


ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS

MDCCCXIX—MDCCCXX.

VOL. III.

ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS
ANNI TERTII

INDE A DIE IV A. NONAS OCTOBRIS ANNI MDCCCXIX AD DIEM VI A. IDUS OCT. MDCCCXX,


JO. FERDINANDO SENTELET,

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,

ATQUE

CAROLO FRANCISCO JACMART,

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.



BRUXELLIS,

Apud P. J. De Mat, Universitatis Lovaniensis, Academiæque Regiæ Bruxellensis Typogr. et Bibliop.

M. DCCC. XXII.

ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A DIE IV OCTOBRIS MDCCCXIX

AD DIEM X OCTOBRIS MDCCCXX,

JO. FERDINANDO SENTELET,

RECTORE MAGNIFICO,

CAROLO FRANCISCO JACMART,

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.

INDEX

EORUM QUÆ HAC ANNALIUM PARTE CONTINENTUR.

I.

I.

NOMINA PROFESSORUM

ET LECTORUM

QUI A DIE IV OCT. MDCCCXIX AD DIEM X OCT. MDCCCXX,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

DOCENDI MUNOS OBIERUNT.

NOMINA

PROFESSORUM ET LECTORUM

QUI INDE A DIE IV OCT. MDCCCXIX AD DIEM X OCT. MDCCCXX,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

Rector Magnificus.

Jo. Ferd. SENTELET.

Senatus Academici Graphiarius.

Car. Fr. JACMART.

Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Professores.

Jo. F. Sentelet,
J. B. Van Mons,
F. J. Goebel,
F. J. Adelmann,
} Ordinarii.

Philosophiæ Theoreticæ et Literarum Humaniorum Professores.

A. Ten Broecke Hoekstra,
J. B. Liebaert,
F. J. Dumbeck,
G. J. Bekker,
} Ordinarii.

Juris Professores.

H. F. Decoster, J. P. De Bruyn, F. M. Birnbaum, Ordinarii.

Medicinæ Professores.

G. J. Van Gobbelschroy, C. F. Jacmart, J. J. Van Der Taelen, Ordinarii.

J. M. Baud, Professor extraordinarius.

Lector Literarum Gallicarum.

J. Jacotot.

Medicinæ Doctores, qui in Nosocomio Militari docuerunt.

J. J. Molitor, rei Medicæ inspector Militaris.
J. M. Zinkgraeff, Professor Honorarius.
Van Onsenoort, Chirurgus.
De Courtray, Pharmaceuta.

II.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE IV OCTOB. MDCCCXIX AD DIEM X OCTOB. MDCCCXX

HABITARUM.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE IV. OCT. MDCCCXIX AD DIEM X OCT. MDCCCXX,

HABITARUM.

TEMPORE HIBERNO.

LECTIONES PHYSICO-MATHEMATICAE.

Physicam Experimentalem ter per septimanam tradidit J. F. SENTELET.

OEconomiam Ruralem idem bis per septimanam.

Chemiam Generalem et Specialem ter per septimanam explanavit J. B. VAN MONS.

Materiam Pharmaceuticam et Pharmaciam Practicam exposuit idem bis per septimanam.

Mathesin Elementarem quinquies per septimanam docuit F. J. GOEBEL.

Principia calculi differentialis et integralis ter per septimanam, idem.

2.

Astronomiam, idem, ter per septimanam.

Zoologiam cum Anatomiâ Comparatâ ter per septimanam exposuit F. J. ADELMANN.

Mineralogiam, idem, bis per septimanam, docuit.

LECTIONES PHILOSOPHICO-LITERARIAE.

Grammaticam linguæ Belgicæ, ter per septimanam explanavit A. TEN-BROECKE HOEKSTRA.

Historiam Patriæ idem, ter per septimanam, latine exposuit.

Poëtam vel Oratorem Latinum idem, bis per septimanam, Belgice, explicavit.

Logicam et Metaphysicam ter et bis per septimanam docuit J. B. LIEBAERT.

Geographiam antiquam et Historiam universalem ter per septimanam, explanavit F. J. DUMBECK.

Historiam Europæ Politicam ter per septimanam.

Historiam et Antiquitates romanas, ter quoque per septimanam idem tradidit.

Terentii comœdias, quinquies, per septimanam interpretatus est G. J. BEKKER.

Homeri odyssæam idem explicavit et tyronibus *grammatica præcepta* tradidit.

Historiam Literarum græcarum et *antiquitates græcas* quater per septimanam exposuit.

Literas Galicas quater per septimanam docuit J. JACOTOT.

LECTIONES JURIDICAE.

Jus Civile Hodiernum gallice, sexies per septimanam, et *jus publicum* latine, bis, per septimanam, exposuit H. F. Decoster.

Pandectas, sexies, per septimanam, et *Institutiones*, quater, explicavit J. P. De Bruyn.

Jus Criminale Hodiernum, quater, per septimanam, docuit F. M. Birnbaum.

Jus Naturæ et Gentium bis et *Historiam Juris* bis quoque per septimanam idem exposuit.

LECTIONES MEDICAE

Exercitationibus Clinicis et Chirurgicis in Nosocomio Civili, præfuerunt J. J. Van Der Taelen et J. M. Baud.

Medicinam Clinicam docuit, in Nosocomio militari, J. J. Molitor.

Physiologiam ter per septimanam et *Pathologiam Generalem* bis, explanavit G. J. Van Gobbelschroy.

Diæteticam et Materiam medicam ter per septimanam *et Semiologiam Generalem* bis exposuit C. F. Jacmart.

Therapiam Specialem sexies per septimanam, explicavit J. J. Van Der Taelen.

Anatomiam sexies per septimanam, docuit J. M. Baud.

De Morbis Siphyliticis, in Nosocomio Militari prælectiones habuit J. J. Molitor.

Hygienem Militarem idem tradidit.

Therapiæ Specialis Præcepta, in Nosocomio Militari, exposuit J. M. Zinkgraeff.

Chirurgiam et Morbos Oculorum explicavit, in Nosocomio Militari, Van Onsenoort.

LECTIONES PHYSICO-MATHEMATICAE.

Physicam Specialem et Applicatam, ter per septimanam, exposuit, et *Œconomiam Ruralem* tradere perrexit J. F. Sentelet.

Chemiam Generalem et Specialem, Materiam Pharmaceuticam et Pharmaciam Practicam exponere continuavit J. B. Van Mons.

Œconomiæ Ruralis Partem, quæ rem Hortensem spectat exposuit idem, linguâ vernaculâ.

Matheseos Puræ Principia, singulis diebus, demonstravit F. J. Goebel.

Zoologiam cum Anatomiâ Comparatâ continuavit F. J. Adelmann.

Botanicam et Physiologiam Plantarum, ter per septimanam, idem explanavit.

LECTIONES PHILOSOPHICO-LITERARIAE.

Linguæ Belgicæ Grammaticam et Historiam Patriæ explicare perrexit A. Ten Broeke Hoeckstra.

Logicam, Metaphysicam et Disciplinam Moralem dedit J. B. Liebart.

Historiæ Universalis lectiones continuavit F. J. Dumbeck.

Terentii Comœdiarum interpretationem, *Homeri Odysseæ*, explicationem et *Grammaticorum Præceptorum* persecutus est G. J. Bekker.

Literas Gallicas docuit J. Jacotot.

LECTIONES JURIDICAE.

Jus Civile Hodiernum et Jus Publicum exponere continuavit H. F. Decoster

Practicam Juris bis per septimanam et *Diplomaticam* bis quoque, idem tradidit.

Pandectas et Institutiones explanare perrexit J. P. De Bruyn.

Jus criminale Hodiernum, jus Naturæ et Gentium, Historiam Juris, persecutus est F. M. Birnbaum.

Juris Encyclopædiam idem exposuit.

LECTIONES MEDICAE.

Exercitationibus Clinicis et Chirurgicis, in Nosocomio Civili, præfuerunt C. F. Jacmart et J. M. Baud.

Medicinam Clinicam, in Nosocomio Militari, docuit J. J. Molitor.

Physiologiam et Pathologiam Generalem explicare perrexit G. J. Van Gobbelschroy.

Pharmacologiam, ter per septimanam, *Medicinam Legalem*, bis per septimanam, tradidit C. F. Jacmart.

Chirurgiæ Theoriam, ter per septimanam, et *Artem Obstetriciam*, bis per septimanam, docuit J. M. Baud.

Therapiam Specialem quater per septimanam, in Nosocomio Militari, exposuit J. M. Zinkgraeff.

De Morbis Venereis tractare perrexit J. J. Molitor.

Super *Chirurgiâ* et *Morbis Oculorum* prælectiones persecutus est Van'Onsenoort.

III.

ACTA

IN SENATU ACADEMIÆ LOVANIENSIS

A DIE IV OCT. MDCCCXIX AD DIEM X OCT. MDCCCXX.

ACTA IN SENATU
ACADEMIÆ LOVANIENSIS

A DIE IV OCT. MDCCCXIX AD DIEM X OCT. MDCCCXX.

I.

DIE X MAJI MDCCCXX.

Actum est de usu Bibliothecæ Academicæ exteris concedendo.

Porro facta est nominatio Rectoris M. in annum sequentem, cujus muneris Candidati, ex more solito, ad Regem Augustissimum missi sunt.

Denique prælectæ sunt variorum bibliopolarum literæ, quibus Senatum Academicum certiorem reddidere de commodis, quæ ipsi facere circa parandos a se libros et diurnalia Bibliothecæ in animo haberent.

II.

Decretum est, ut studiosorum quisque, qui lectiones qualescumque adire in animo haberet, intra mensis spatium rite se apud professorem inscriberet.

Deinde Series Diurnalium, communibus Ordinum sumtibus parandorum, a Bibliothecæ præfecto proposita, a Senatu probata est: cui cum nova quædam (XIV Julii) accederent, certa inposterum argenti summa ab Ordinibus viro illi clar. ad hos usus demandata est (XVIII Augusti).

III.

XVI JUNII.

Variæ diversorum Ordinum Quæstiones pro certamine literario novo propositæ sunt.

IV.

VII AUGUSTI.

Tradita est ab Rectore M. constitutio Regia, qua Rector M. in annum sequentem designatur vir. cl. H. F. Decoster, Juris Prof. Ord.

V.

IX AUGUSTI.

Candidati ad munus Graphiarii Senatus Academici electi atque, ut mos est, ad Curatores, viros ill. missi sunt.

VI.

III OCTOBRIS.

Rector M. cum Senatu communicavit voluntatem regiam, qua vir experientiss. J. M. BAUD, adhuc Prof. extraordinarius, in locum VANDERTAELEN defuncti, ad ordinarium Medicinæ Professoris munus vocatur: quo nuntio lætus, pro protestate ipsi art. XXX Decreti Reg. concessâ, Ordo Medicorum, consentiente omni Senatu, collegam æstimatissimum *Dignitate Doctoris Chirurgiæ et Artis Obstetriciæ* salutavit.

Deinde placuit Senatui, ut quæ varia opportunitate emissa fuerint statuta Academica, Quinqueviris, ex singulis Ordinibus desumtis, perscribenda committerentur.

VII.

IX OCTOBRIS.

Introducto a Curatoribus in Senatum Amplissimum novo Rectore M., is qui adhuc eam provinciam administraverat, F. SENTELET, vir cl., habita ex mente legis oratione, se abdicavit, inque successorem munus transtulit, qui verbis aliquot auspicato munere, jusjurandum ex lege præstitit. Quibus rite peractis, in locum defuncti Vice-Comitis A SPOELBERCH D'EINTHOUTS, beatæ memoriæ viri, Augustissimi Regis gratia suffectus est, *Curatorum Præses*, GERARDUS D'ONYN DE CHASTRE. Ad munus quoque Senatus Graphiarii (jam pridem, d. X Augusti lege statutorum electus) F. J. ADELMANN, V. C., consentientibus Rectoris Assessoribus, cummaxime nominatis, præstito juramento, adpellabatur.

Denique A. VAN SOLINGEN, vir experientiss. ab Aug. Rege Ordinis Medicorum Professor Extraordinarius dictus, in manus Curatorum Præsidis jusjurandum despondit.

Quæ tandem solennia *præmiorum publicâ distributione* terminabantur.

IV.

PROGRAMMA
QUAESTIONUM,

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXI

PROPOSITARUM

XVI CALENDAS QUINCTIL. MDCCCXX.

QUAESTIONES

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXI

PROPOSITÆ.

I. AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Facultas in annum proxime insequentem proponit has quaestiones :

1. Quæritur: 1 Quænam sint corpora permanenter aëriformia sive quæ gaza dicuntur; 2 quænam sint singuli usus et proprietates; 3 in quibus generatim differant a vaporibus.

2. Datus sit radius sphæræ, ... cui singula corpora solida, quorum hedræ *(faces latérales)* sunt polygona duplicis generis (triangula et quadrata, triangula et pentagona; ...... quadrata et pentagona, quadrata et hexagona, ...) regularia, angulique solidi æquales vel symmetrici, inscripta sunt, quærantur valores generales qui præbent quantitatem 1 cujusvis ejusmodi corporis acierum *(côté* ou *arête);* 2 hedrarum;

3 superficierum *(surface)*; 4 soliditatis; 5 radii denique circuli qui circa singulam cujusvis corporis supra inventi hedram circumscribi potest.

3. Petitur historia naturalis, technica et chemica opii opiique succedaneorum.

II. ORDO PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM

Cum ad hanc quæstionem anno elapso propositam,

« Explicetur ratio *progressûs*, quem, fractam post Hispanorum
» septem in fœderatis Belgii regionibus potentiam summique
» imperii abdicationem, *lingua* fecerit *Belgica*, et prorsus
» exponatur causa *ejusdem idiomatis negligentiæ*, per totum
» regiâ in Belgicâ domûs Austriacæ dominationis spatium,
» *recentissimam* usque ad omnium Belgarum sociale sub
» principis Arausiaci imperii pactum *reconciliationem*. . . »

nulla responsio esset adlata, eam in annum insequentem rursus proponendam existimavit.

Denuo autem hic Ordo postulat:

1. Ut disseratur *de Formis rerum publice gerendarum*. Eruatur nimirum ex imâ antiquitate primaria regiminis *origo* et *ratio*, *vis* et *usus*; deinde ejus per temporis decursum mutatamque civitatum indolem coorta *multiplicatio* et *abusus* : tum demonstretur *necessitas* formarum summæ rerum gerendæ atque *momentum* ad publicam prosperitatem *salutare*. Idcirco recenseantur et adcuratius explicentur *loci auctorum classici*, tam antiquiorum, quam recentiorum, qui vel pro-

prios hujus argumenti libros in lucem ediderunt, vel datâ opportunitate in eam rem delapsi sententiam dixerunt. Quum denique jam putidum sit disceptare de *optimâ* regiminis formâ, diligenter inquiratur in id, quod seu *fructuosum* seu *vitiosum* in omnibus et singulis inveniatur: quapropter depingatur *civitatum natura*, quibus vel hæc vel alia videatur respondere: quem in finem proferatur in medium Libri III Caput 80 *Historiarum Herodotearum*, atque *agatur judicium* de eo quod *verum*, quod sophisma sit in illâ procerum Persarum disputatione. Hæc autem omnia et quæque genuinis et luculentis exemplis ac testimoniis ex universo historiarum orbe depromptis comprobentur.

2. Ut colligantur, disponantur et illustrentur Fragmenta *Chrysippi*, philosophi Stoici, ita ut in exemplum sibi proponant discipuli præstantissimas illas commentationes, quæ in eodem genere a doctissimis *Wyttenbachianæ* disciplinæ alumnis exstant conscriptæ, ut *Mahnii* V. Cl. de *Aristoxeno*, *Bakii* V. Cl. de *Posidonio*, *Nieuwlandii* de *Musonio* et *Lyndenii* de *Panætio*.

III. AB ORDINE JURECONSULTORUM.

Ex juris publici principiis demonstretur legem non verbis, sed voluntate, cujus verba signa sunt, constare. Dein variæ proponantur regulæ quæ, verbis dubiis, in investigandâ voluntate adhiberi possint; singulæque exemplis illustrentur. Tum doceatur quomodo voluntas inveniatur, quatenus verba desint. Postea perpendatur an etiam tunc cum verba clara sunt, voluntatem aliunde quærere liceat. Denique exponatur quanti in jure civili hodierno interpretando valeant et emendationes quas codicis prima adumbratio gradatim

subiit, donec tandem lex evaserit, et observationes curiarum, tribunorumque; item ea quæ in consilio sanctiori, cum singuli articuli perpenderentur, undique dicta sunt; et tandem orationes quas oratores seu consulum seu tribunorum in consilio legatorum populi habuerunt.

IV. AB ORDINE MEDICORUM.

Cum ad quæstionem promulgatam nulla responsio ordinis optatis satisfecerit, denuo quæritur:

Functionis hepatis expositio; et quidem primo ex propriâ suâ constructione; deinde ex relatione suâ cum aliis corporis humani partibus, datâ simul explicatione utilitatis in œconomiâ animali illius quidem productionis, quam bilem vocant, quamque multi adhuc, qui medicam artem tractant, inimicissimam generis humani materiam insequuntur.

Responsa, oratione Latinâ et manu alienâ nitide scribenda una cum schedulâ nomen auctoris occultante, cui eadem sit quæ responso inscriptio, ad virum clar. Senatus Academici pro anno proxime sequenti graphiarium *ante Calendas Junias* 1821 mittenda sunt, ut victores tempore per decretum Regium fixo præmiis ornari possint.

LOVANII A. D. XVI CALENDAR. QUINCTIL. MDCCCXX.

V.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE IV. OCT. MDCCCXIX AD DIEM X. OCT. MDCCCXX.

PUBLICE DEFENSARUM.

4.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE IV OCT. MDCCCXIX AD DIEM X OCT. MDCCCXX.

PUBLICE DEFENSARUM.

DISSERTATIONES JURIDICAE.

ANNO MDCCCXIX DIE XX NOVEMBRIS.

Franciscus Guilielmus Vermeulen, *Hoogstratanus*, Dissertationem Inauguralem, *Quibus Modis Pignus aut Hypotheca Solvitur*, publice defendit.

DIE III DECEMBRIS.

Henricus Joannes Vanswieten, *Bergensis ad Zomam*, Dissertationem Inauguralem, *De Domicilio Juris Hodierni*, publice defendit.

DIE XIV DECEMBRIS.

Franciscus Kaldenberg, *Bruxellensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Collatione Bonorum*, publice defendit.

DIE XVIII DECEMBRIS.

Florentinus Joannes Borrekens, *Antverpiensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Requisitis ad Hæreditatem adeundam Qualitatibus*, publice defendit.

DIE XXVIII DECEMBRIS.

Ludovicus Carolus De Sebille, *Montensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Obligationibus quæ ex Matrimonio oriuntur*, publice defendit.

DIE XXIX DECEMBRIS.

Albertus Octavus De Sebille, *Montensis*, Dissertationem Inauguralem, *Qui Potiores in Hypothecâ Habeantur*, publice defendit.

DIE XXX DECEMBRIS.

Ludovicus Godecharle, *Bruxellensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Rerum Hæreditariarum Divisionis Effectibus*, publice defendit.

ANNO MDCCCXX, XVII FEBRUARII.

Carolus Dubois, *Merbiensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Rebus quæ active in Communione veniunt*, publice defendit.

DIE VIII MARTII.

Jacobus Mastboom, *ex Gastel*, Dissertationem Inauguralem, *De Condictione indebiti*, publice defendit.

DIE XV MARTII.

Franciscus Josephus Verhaegen, *Bruxellensis*, Dissertationem Inauguralen, *De Morte Civili*, publice defendit.

DIE XX JULII.

Ludovicus Duquesnoy, *Tornacensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Transcriptione*, publice defendit.

DIE XXII JULII.

Antonius N. J. Martinus Bemelmans, *Mosæ-Trajectinus*, Dissertationem Inauguralem, *De Modis quibus Servitutes Prædiorum Constituuntur*, publice defendit.

DIE XXVI JULII.

Briscius J. A. Josephus Defresne, *ex Fontaine-Valmont ad Sabim*, Dissertationem Inauguralem, *Qui sunt succedendi indigni*, publice defendit.

DIE XXVII JULII.

Joannes Baptista De Prins, *Lovaniensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Portione indisponibili*, publice defendit.

DIE XXVIII JULII.

Desideratus Lenniaux, *Tornacensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Jure Albinagii*, publice defendit.

DIE XXIX JULII.

Ludovicus Vanoverbeke, *Lovaniensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Uxoris Contractu Absque ullâ Auctoritate*, publice defendit.

DIE II AUGUSTI.

Guilielmus T. Franciscus Crick, *Ascensius*, Dissertationem Inauguralem, *De Legitimâ quam Liberis Naturalibus Jurisprudentia concedit*, publice defendit.

DIE III AUGUSTI.

Olivier Cherequefosse, *Tornacensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Jure Civili*, publice defendit.

DIE V AUGUSTI.

Watterus F. Joannes Vangenechten, *Turnholtanus*, Dissertationem Inauguralem, *De rescindendiâ Venditione ob Læsionem enormem*, publice defendit.

DIE VII AUGUSTI.

Jacobus Franciscus Schollaert, *Lokerensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Publicianâ in rem Actione*, publice defendit.

DIE VIII AUGUSTI.

Josephus Barbé, *Bruxellensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Adeundâ simul ac de Repudiandâ Hæreditate*, publice defendit.

DIE XI AUGUSTI.

Guilielmus Josephus Gautier, *Lovaniensis*, Dissertationem Inauguralem, *Tentamentum Censorium de Codice Civili Hodierno et Nominatim de Commissione legali*, publice defendit.

DISSERTATIONES MEDICAE.

ANNO MDCCCXIX DIE V NOVEMBRIS.

Hippolytus Josephus Vanduyse, *Teneramundanus*, Dissertationem Inauguralem, *De Rabie*, publice defendit.

DIE XXIV NOVEMBRIS.

Gaspar J. Jacobus Goris, *ex Wyneghem*, Dissertationem

Inauguralem, *Num Pathologia Humoralis est Alicujus Utilitatis in Medicinâ?* publice defendit.

DIE II DECEMBRIS.

JOANNES BAPTISTA VANVAERENBERGH, *Antverpiensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Phthisi Pulmonali*, publice defendit.

DIE IX DECEMBRIS.

FRANCISCUS VAN LUYCK, *Herendaliensis*, Dissertationem Inauguralem *De Scarlatinâ*, publice defendit.

DIE X DECEMBRIS.

JOANNES ANGELUS VAN INNIS, *ex Lede*, Dissertationem Inauguralem, *De Hæmatemesi nec non de Morbo sic dicto Nigro*, publice defendit.

ANNO MDCCCXX DIE V FEBRUARII.

BENEDICTUS THUNOT, *Tornacensis* Dissertationem Inauguralem, *De Cancere Mammarum*, publice defendit.

DIE XXV FEBRUARII.

MICHEL AUGUSTUS LENGRAND, *Parisiensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Apoplexiâ Sanguineà*, publice defendit.

DIE VII MARTII.

NICOLAUS SPRANGERS, *Walovicensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Pleuritide Verâ*, publice defendit.

DIE IX MARTII.

HENRICUS JOSEPHUS LUYCKX, *Turnholtanus*, Dissertationem Inauguralem, *De Diathesi in Morbis*, publice defendit.

DIE X MARTII.

Henricus Stephanus Frankemote, *Amstelodamensis,* Dissertationem Inauguralem, *De Mensium Fluxu*, publice defendit.

DIE XIV MARTII.

Cornelius Adrianus Drossaerts, ex *Walwyk*, Dissertationem Inauguralem, *De Hæmaturiâ,* publice defendit.

DIE XXI MARTII.

Petrus Josephus Van Den Broeck, *Heystensis,* Dissertationem Inauguralem, *De Dysenteriâ Epidemicâ Bilioso-contagiosâ, quæ anno* 1812, *in Campiniâ Inferiori, Epidemice Grassata est,* publice defendit.

DIE XXIII MARTII.

Augustinus Livinus Andries, *ex Berlaer,* Dissertationem Inauguralem, *De Apoplexiâ,* publice infendit.

DIE XXIV MARTII.

Augustus Henricus Derongé, *Teneramundanus,* Dissertationem Inauguralem, *De Peripneumoniâ Simplici seu inflammatoriâ,* publice defendit.

DIE XI APRILIS.

Guilielmus Timmermans, *Furaducensis,* Dissertationem Inauguralem, *De Fluxu Hæmorrhoidali,* publice defendit

DIE XVIII APRILIS.

Jacobus Antonius Beke, *Antverpiensis,* Dissertationem Inauguralem, *De Menstruis retentis,* publice defendit.

DIE XXIX APRILIS.

Florianus Alexander Josephus Boucqueau, *ex Waterloo,* Dissertationem Inauguralem, *De Peripneumoniâ,* publice defendit.

DIE XV MAII.

Franciscus Mastraeten, *Lovaniensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Iritide*, publice defendit.

DIE XVI MAII.

Petrus Franciscus De-Preter, *ex Rillaer*, Dissertationem Inauguralem, *De Tartaro Emetico*, publice defendit.

DIE VI JUNII.

Petrus Josephus Lambreckts, *ex Mortsel*, Dissertationem Inauguralem, *De Hepatitide*, publice defendit.

DIE XVII JUNII.

Jacobus Franciscus Loos, *ex Bautersem*, Dissertationem Inauguralem, *De Typho Contagioso*, publice defendit.

DIE XXIII JUNII.

Jacobus Josephus Malevé, *ex Jauche*, Dissertationem Inauguralem, *De Utilitate Lactatus Materni*, publice defendit.

DIE XXX JUNII.

Joannes J. Franciscus Verlinden, *Lovaniensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Secundinarum Extractione*, publice defendit.

DIE I JUNII.

Simeo Lanthier, *ex Grand-Rang in Hannoniâ*, Dissertationem Inauguralem, *De Peritonitide Puerperali*, publice defendit.

DIE VI JUNII

Ludovicus Josephus Bonnet, *ex Taintignies Hannoniæ*, Dissertationem Inauguralem, *De Cholerâ*, publice defendit.

DIE XII JULII.

Franciscus Tielemans, *ex Sterrebeck*, Dissertationem Inauguralem, *De Dysenteriâ*, publice defendit.

DIE XIX JULII.

Petrus Antonius Hubertus Poncelet, *Disthemiensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Variolis Genuinis*, publice defendit.

DIE XXI JULII.

Albertus Josephus Noirsain, *Montensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Amaurosi*, publice defendit.

DIE IV AUGUSTI.

Remigius Billen, *ex Dormael*, Dissertationem Inauguralem, *De Febre Catarrhali*, publice defendit.

DIE X AUGUSTI.

Joannes Baptista Vandencamp, *Mechliniensis*, Dissertationem Inauguralem, *De Febre Putridâ*, publice defendit.

DIE XII AUGUSTI.

Jacobus Vanaert, *ex Deleur*, Dissertationem Inauguralem, *De Rabie Caninâ*, publice defendit.



VI.

JOANNIS FERDINANDI SENTELET

ORATIO.

JOANNIS FERDINANDI SENTELET

ORATIO

PUBLICE DICTA,

CUM DIE X OCTOBRIS MDCCCXX.

RECTORIS MAGNIFICI MUNUS

DEPONERET.

ACADEMIÆ LOVANIENSIS CURATORES, VIRI ILLUSTRISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI IN REGNO BELGICO AUT IN CIVITATE LOVANIENSI VEL REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS, VEL JUSTITIÆ TUENDÆ PRÆESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI!

QUIBUS CURA SACRORUM LITANDORUM EST DEMANDATA, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMLIBET DISCIPLINARUM PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGÆ CONJUNCTISSIMI.

ARTIUM ET DISCIPLINARUM QUARUMLIBET DOCTORES CONSULTISSIMI!

ORNATISSIMA JUVENTUTIS ACADEMICÆ CORONA! CIVES, HOSPITES, QUOTQUOT ADESTIS, HUMANISSIMI, SPECTATISSIMI!

ERIGENDIS artibus, iisque fovendis et tutandis, non invenitur, quod operetur efficacius, quam publicæ in urbium præcipuis solemnitates; ubi quicumque arte quadam sive liberali sive mecanica ad colluctandum valent, industriæ suæ specimina palam proponunt omnium conspectui et censuræ; quo confluunt cujusvis ordinis homines, sed præ cæteris illi, qui erga patriæ splendorem et artium fortunam propensum habent animum; qui omnes nova dulcedine lætificantur, quoties advertunt natale solum producere potiora aut non inferiora illis, quæ apud exteros conquiruntur sæpe magnis sumptibus, sæpissime cum damno societatis.

Non solum enim dum publico applausu efferuntur, dum præmiis condecorantur qui cæteris præcellunt, ipsi eorumque æmuli ad majora stimulantur; sed colluctantium quisque

in quibus vincat, in quibus vincatur, quid vitare debeat, ad quid aspirare, alienis sua comparando et ipse perscrutari, et a peritis potest edoceri.

Verum si artes promovent generales istæ concertationes, in Universitatibus Belgicis studia non minus incitare debet annua solemnitas, in qua rectoris munus deposituro demandatum est, ut in aula academica, coram perillustri curatorum collegio, coram toto senatu academico non tantum enarret summam illorum, quæ anno proxime elapso in universitate peracta sunt, sed etiam ut alumnis, quorum responsis ad quæstiones a singula facultate propositas victoria cessit, publice distribuat aurea numismata quæ per reliquam vitam futura sint non æquivoca solertiæ, magnorumque in studiis successuum testimonia, et quasi commendatitiæ optimi Regis litteræ quæ viam pandant ad honores, dignitates et ad prima quævis in societate munia.

Generosi juvenes academici, quandoquidem vestri labores et conatus hic in oculos incurrere, et in publicum conspectum omnes prodire nequeunt; quod in rem vestram fieri potest, hoc die id agite solerter; quisque se ipsum rimetur et judicet; quisque immobili proposito statuat, sequenti anno ita uti, sicut peracto se usum jam vellet.

Et nolite gravari si, antequam honestissimo officio, quod mihi impositum est, pro tenuitate mea satisfaciam, illos invitus monere debeam qui prius eruditi esse volunt quam erudiri, qui disciplinas rerum naturalium vel omnino negligunt, vel singulis harum partibus idoneum et sufficiens tempus ægre tribuunt, qui suas præcipitando curas, scientias finales illotis, quod ajunt, manibus contrectant et turbant, spretis

disciplinis, quæ fundamentum sternunt eruditioni reliquæ et sui neglectum per omnem vitam severa ultione vindicant.

Equidem si disciplinarum omnium finis sit, ut debet, publica prosperitas et privata beatitudo; si quo ad utrumque hunc finem scientia melius perducit, eo majori studio digna sit, quamcumque disciplinam naturalem summo fervore percolendam esse, paucis evincere conabor.

Dum reliquiæ scientiarum e piis cænobitarum secessibus in publicum prodierunt, plures scientias ita ditarunt opera antiquorum absolutissima, ut quæcumque in illis exinde prolata sint aut etiam hodie præstentur, ad perfectionem censeantur eo propius accedere, quo hæc imitatione melius consequuntur; disciplinarum autem naturalium sors infausta fuit, non modo quia ab ista hæreditate vix aliquid his venit solidi et præclari, sed maxime quoniam harum scientiarum progressus magna diu, multumque retardarunt obstacula: scilicet continuo dominabantur in scholis sophistæ, dialecticæ acumina, lusus imaginationis, deliria phantasiæ occupabant ingenia: inutilitates ejusmodi præferebantur laboriosis observationum exactionibus, phænomenorum collationibus, explorationibus distinctis.

Tandem melior illas fortuna respexit, ubi post sæcula steriliter elapsa innotuit, vanum et inane esse quidquid ex istiusmodi figmentis, argutiolis et cavillationibus hauritur.

Ubi sanæ mentis physicus quisque in corporum minimo agnovit infiniti quid, agnovit opus infiniti numinis, ubi innotuit, ne penetrantissimo quidem fas esse ingenio evolvere ex cogitatione sua modum quo corpusculorum minima coeunt ad componendam minimi seminis fabricam, aut modum

quo pilus spectatur constructus, et multo minus dari mortalium ulli sola meditatione ex cogitatis suis reperire, aut ex iisdem in usus humanos extricare vires quibus rerum universitas constet agatque : sed sicut artium addiscendarum, ita naturam contemplandi initium ab experientia esse capiendum.

Ubi innotuit rerum principia nos omnino latere, sensuum autem observatis illas solum addisci corporum proprietates, quæ experiundo cognoscuntur aut quæ ex his una tantum hac via prius exploratis geometrici ratiocinii firmitate elici possunt.

Hac vita quæcumque in natura obtinent leges, singulæ pro sua diversa indole firmiter demonstrari et experimentis confirmari cœperunt, et disciplinæ rerum naturalium ad altiorem perfectionis gradum, quam retroacto quovis sæculo nunc omnes pervenerunt: interea suis incrementis, nonne viam fecerunt ad magna quævis et amplissima totius Europæ commoda?

Si novus orbis detectus est, si notum est novum Belgium, si celebre promontorium superatur, si navigia Africam ambiunt, si Asia attingitur via in medio undarum delineata, si immensus ejus archipelagus percurritur, si China, si Japonia exploratur, si nautæ spernunt turbines marinos et furentes procellas ad orientales veteris continentis plagas consociatis viribus minitantes, illa, quantacumque sint, non fuissent, si tam consilio quam auxiliatrici manu physica non subvenissent animis fortibus navigationi addictis.

Et quis enumeret disciplinarum naturalium multiplicia cujuscumque generis inventa, aut commoda et emolumenta, quæ omnibus societatibus parturierunt! hæc si cumulatim

lustrare velitis, perpendite, quantum quisque status mutatus sit ab illo qui erat ante cognitam acum magneticam, ante inventam typographiam, ante opticam excultam.

Forsan zoilus insurgens contendet, inventa talia non disciplinis, sed cæco potius casui attribuenda esse.

Non est dissimulandum, disciplinas naturales hoc sibi proprium habere, quod nullius arbitrium, nullam sectam, nullius temeritatem audiant, sed solam naturam suas dotes revelantem: nec dissimulare volo, revelationem talem etiam utilissimam fortuito percipi posse; ast quæso, ejusmodi perceptio, quantum distat ab adæquata ejus notione, a cognitione multiplicis ejus nexus cum aliis scientiis et cum diversis ejusdem scientiæ partibus? quantum distat ab ejus usu scientifico! ut quid nautis proderit directio acus magneticæ, si mecanica non dirigat totam navigiorum structuram, apparatum et supellectilem? ut quid multum proderit sine observationibus astronomicis, sine optica exculta?

Verumtamen sicut solem orientem, novo lumine terras aspergentem et novo calore mortalia omnia vivificantem indies videmus, sicut splendidissimum hoc naturæ spectaculum, quia assiduitate viluit, nulla admiratione animum defigit, ita veterum illorum commodorum vix ulla ratio habetur, quia oculos et mentem iis assuevimus et sensum admirabilitatis, gratitudinisque usus detraxit: sed antiquis immorari nihil cogit, quoniam novitia redundant.

Si mecanica jam dudum recluserit aditum ad intima telluris viscera, si jam dudum eruimus in nostrum usum, quæ longo sæculorum lapsu ibi sunt deposita aut efformata, nostris diebus chemia docuit mortiferas in illis vitare explosiones.

Si jam pridem typographia mira celeritate multiplicat litterarum copias, nonne majori nostris diebus lithographia disseminat effigierum et cælaturarum exemplaria ?

Ab ultimæ memoriæ temporibus ad nostra usque aqua reputabatur elementum simplicissimum ; nuper stupentes videbamus illam decomponi ; jam oculos ferit portentum magis admirandum, videmus urbes et conclavia splendidius, quam alio quovis medio, illuminari, aquam componendo.

Non vacat commemorare de centenis non minus egregiis et salutaribus, quæ offert quælibet disciplina naturalis, et præsertim amplificata chemiæ conditio, quæ parentum ætate vix nisi nomine nota, omnibus fere artibus copiosos jam fructus largitur uberioresque in posterum pollicetur, et quæ in nostra etiam schola sese expandit et perficitur.

Enim vero quem in finem historia naturalis congerit, et in classes redigit, quæ regnum animale infinita varietate subministrat ; quæ tellus divite gremio fovet, sub quocumque cælo in quovis solo enascantur et nutriantur ; quæ vastissimo oceanus sinu, quæ intimis terra visceribus complectitur ? quem in finem quæcumque historia naturalis suppeditat, chemicus omnia severo examini submittit, multiplici via decomponit, et omnium virtutes perscrutatur ? quem in finem physicus universi phænomena observat et æmulatur ; ex ipsis phænomenis eruere nititur immutabiles leges, quibus summus arbiter res omnes subjecit ? qua ratione dies et anni in se revolvantur ; qua ratione natura numquam quiescens nusquam aberret, et semper sibi constet ? qua ratione in incomprehensibili rerum abundantia, commutatione et successione perennet pulcherrimus omnium concentus et inviolabilis ordo ?

quem in finem omnia hæc conamina? nisi ut tota rerum universitas et omnes omnium virtutes in maxima societatis commoda convertantur.

Inter vanas speculationes et in dium abituras siquis hæc habeat studia, a ligone per omnes in societate gradus ascendat, et quam reperiet artem, quod opificium, quam professionem, quod vitæ genus, cui disciplinæ naturales non summopere inserviant, cui non maxime prosint? Si artium liberalium sit, vitæ semitam lenire et floribus conspergere, nonne eo felicius defunguntur, quo fidelius naturam imitantur et exprimunt? et cui dubium esset, an disciplinæ naturales omnibus artibus præsideant? an hæc studia regant et moderentur non solum artes mechanicas sed artem quoque architecti, musici et pictoris, poëtæ et oratoris?

De eximia et mirifica percipiendæ ex his disciplinis utilitatis ubertate et magnitudine convictus serenissimus Britanniæ rex Carolus II, anno sexagesimo sæculi decimi septimi, suis auspiciis ad illas excolendas, et divulgandas instituit societatem, quæ hodiernum in diem floret summo tam ipsius scientiæ, quam Britanniæ emolumento. Insigne institutum sine cunctatione imitati sunt aliarum nationum moderatores perspicacissimi, et omnes perfectissima collegerunt ingenia eaque instigarunt et impulerunt ut assidua et communi cura niterentur indagare atque evulgare tecta et interiora naturæ secreta.

Isthæc cum ita sint, non est, quod miremur si inter urbes populosas plures curam contulerint, ut abdita naturæ et artium arcana publicè recludantur cujuslibet ordinis civibus, omni etiam opifici et artifici; sed mirabuntur posteri, harum disciplinarum non majorem huc usque fuisse curam in universi-

tatibus et academiis, quandoquidem non solum regionum et civitatum rectoribus perspectum sit, sed omnium oculis jam dudum illuceat, quamque nationem eo ampliori prosperitate, eo pluribus commodis et jucunditatibus abundare, quo hæc studia magis, et a majori incolarum numero sunt exculta: quandoquidem hæc studia non solum tot et tanta per se elargiuntur emolumenta, sed ex ipso etiam modo quo addiscuntur, nova depromunt adminicula, quæ mentem et sensus perficiant, rebusque diversissimæ et incertioris aliquando indolis bene intelligendis et rite gerendis aptam reddant.

« Etsi enim mathematicæ speculationes, inquit Cel. Van Swinden (1), in se sint pulcherrimæ, et earum quædam nostram admirationem excitent; licet humanæ mentis robur et sagacitatem in aprico ponant vel tum etiam, cum rebus in vita civili peragendis nondum inserviunt, præcipue tamen ut instrumentum spectandæ sunt, quo in vita civili atque in reliquis disciplinis uti debemus ad ea peragenda et determinanda, quæ numero, pondere et mensura constant; » in physica autem isti usus recurrunt semper et ubique; ubique mensurare aut ponderare et geometrico uti ratiocinio necesse est; unde quamvis scientiæ omnes hominem perficiant, tamen absque invidia dixero, in nulla ad res dijudicandas et gerendas majoribus mentem instrui præsidiis, quam in physica; si enim mathesis præcipue judicium acuat, quis non videt, continuum ejus usum, et omnimode variatam ejus applicationem tam machinis et artium inventis, quam naturæ phænomenis, æqualem aut etiam majorem producere effectum?

Quoniam ex individuorum secundis rebus conflatur et

(1) Posit. phys. pag. XVI.

coalescit publica prosperitas, si hanc disciplinæ naturales tantopere promoveant, dubitari non potest, A. O. illas beatam privatis secundare sortem; sed si non tanti fructus ostenderentur, et si ex his studiis sola delectatio peteretur, tamen ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis.

Ipse beneficus naturæ conditor, dum voluit indies alternari magnifica naturæ spectacula, nocturna caligine obduci res omnes terrestres, et cælestia ostentari corpora, numero infinita, quorum distantiam nulla attingit mensura: diurno lumine cælestia obvelari corpora et ex umbra educi pulcherrimum telluris apparatum; dum res terrestres incomprehensibili varietate venustissimis instruxit formarum et colorum ornamentis, nonne hominem ad almæ naturæ contemplationem allicere, nonne ad hanc placidam animi remissionem videtur invitare?

Et quis est adeo sensus expers, aut tam vere ferreo vivit animo, quem non jucunde afficiat conspectus collectionum zoologicarum aut mineralium? quem non moveat mirificus naturæ splendor, quoties æthereos orbes et apparentia cœli convexa explorat, quoties innumera, quæ nos ambiunt, corpora contemplatur, quoties oculos circumducit per agros, prata et vireta, quæ floræ, cereris et pomonæ donis condecorantur?

Sed si grata sit tenuis illa angustisque limitibus circumscripta contemplatio, quæ omnibus hominibus communis est, quanto jucundior et generosa mente dignior est solida naturæ exploratio, quam disciplinæ edocent. Qui scientia duce naturæ apparatum primo intuetur, obstupescit et anceps hæret, quid magis admiretur, utrum multiplicia et præclara quæ

illum eousque latebant, an quod fuerit tanto tempore de grege illorum qui oculos habent et non vident.

Tanta est amœnitas studii naturæ ut viros, quovis disciplinarum genere eminentes, fere omnes ipsi incubuisse, omnis ævi historia testetur. Ut quid Asiæ domitor, Alexander, quæcumque mira et propria Asiæ producta, quæ ingenti numero victoria offerebat, ad Aristotelem transmitti curabat, nisi ut descripta et collecta ordine disponerentur, aut colerentur, nisi ut eorum amœnitate et utilitate suorum animos belli incommodis depressos leniret et sublevaret?

Ut quid in hâc etiam urbe cives cujusque conditionis et ordinis, senes æque ac juniores, ipsi etiam quibus ob curas domesticas non vacat omnibus naturæ disciplinis operam vovere, saltem societate botanica uniuntur, nisi ut animum de negotiis fessum recreent, placide pascant et oblectent naturam contemplando et excolendo.

Ut quid ethnici poëtæ omnes beatorum sedes collocarunt non in palatiis manufactis quæ marmore, auro, statuis et columnis refulgent, sed in campis elysiis, in viretis et nemoribus? non alia ratione, nisi quia naturæ ornamenta nulla hominis assequitur industria; quia quacumque etiam aviditate concupiscantur opera manuum, horum possessionem brevi sequitur satietas et tædium; dum ineffabili varietate et continua vicissitudine natura occurrit satietati et fastidio, dum animum replet deliciis, quæ numquam exhauriri possunt.

Felix qui potuit naturam indagare, rerum causas cognoscere, progressus insequi : quocumque illum fata ferant, naturæ genium constanter et ubique comitem habet, nullibi

solus, nullibi peregrinus erit; in medio inconstantis oceani, in scopuloso montium culmine, ad ripas spumosi torrentis aut lenis rivuli, in arida planitie, natura oculis ejus vera contemplatione dignis majora nec minus grata exhibet ostenta, quam quæcumque longo temporis tractu, auro, et potentia accumulari possunt in sublimibus magnatum porticibus, aut in amplissimis universitatum musæis.

In quacumque officina, in quacumque operariorum aut artificum fabrica diversetur, nullibi cæcus, nullibi mutus erit; non inepti ac gloriosi ritu litterati, non putida eruditionis ostentatione, sed materiæ, operi et opifici adaptato colloquio ubique potest lepidè instrui et instruere; dumque emetitur, quanto labore et sudore, qua dexteritate opus perficiatur, quid opifex producat et conferat ad publica commoda, quam existimationem, remunerationemque promereatur etiam sub humili tecto degens; omnibus benevolus, et omnibus charus inter cujusque conditionis homines non cessat beatos ducere dies.

Dum e terrestribus assurgens contemplationem erigit in infinitum spatii et temporis, in immensum creationis, evanescit e conspectu ejus summa votorum ambitionis humanæ, ut spatii insensibile punctum, quod in momento temporis exurgit et destruitur; atque animus ejus induitur constantia et robore, quibus valeat humanos casus subjicere pedibus, mentem quietam submittere divini numinis legibus et inevitabili necessitati; Religionis, virtutisque fulcimine semper tutus, et in quacumque fortuna intrepidus summum diem nec optare nec reformidare.

Optimi juvenes academici, vos qui a rectæ rationis usu, a veræ felicitatis tramite nondum deflexistis, aut deturbati estis

vos qui ad assequendam propriæ mentis culturam et perfectionem, ad animum ad omne officii genus informandum, cogitationes vestras et assidua studia confertis, naturam omnesque ejus facies ac virtutes attentis oculis et omni acie ingenii explorate, observate phænomena, alia aliis comparate, in quibus conveniant, in quibus discrepent perquirite, et possidebitis basim atque fundamentum cunctarum scientiarum et artium.

A juvenilibus annis nanciscendo consuetudinem enitendi ad idæas generales, his inhærendo, harmonia, constantia et pulchritudo naturæ vobis quotidie clarius illucescet, et quotidie animus vester nova majorique admirationis jucunditate perfundetur. Dies sereni quos traducetis his studiis intenti, non turbabuntur sordidorum vitiorum impetu, nullis violentarum passionum procellis obnubilabuntur; et non elabentur fugaces anni sine egregio fructu per omnem vitam duraturo, qualecumque ad maturitatem adducti vitæ institutum sequamini.

Si vitam devoveatis quæstuosis mercaturæ negotiationibus, si operationibus fabricæ, si laboribus agriculturæ, ipsi abunde perspicitis, nunquam tutius vos ituros, quam si scientiæ rerum naturalium omnes gressus dirigant et moderentur; si vitæ genus amplectamini, in quo harum disciplinarum ignaris non indies alienis uti oculis sit necesse; si ad honorabilem magistratum evocemini; quoties iniquitatis, delictorum ac criminum luctuosa et horrifica effigies conspectui vestro non objicietur? non erit diu inspicienda et attente perpendenda? utcumque divitiis etiam, honoribus et dignitatibus augeamini; nunquam tamen eo pervenietis, quo invidiæ et fortunæ tela pertingere nequeant, a quo non variis casibus præcipitari possitis, et

dum animus erit horrendo scelerum visu contristatus, dum erit curis et laboribus obrutus, fallacis amici perfidia fractus, adverso et inopino casu depressus, morbis et doloribus conflictatus, vel mortis inclementia sejunctus a rerum dulcissimis, quid poterit amaros luctus compescere nisi Religio, virtus et studia? sed præ cæteris studia rerum naturalium, in quibus situm est, ut omni beatitudine, quam in hac mortali vita sperare licet, homo perfruatur, ut commodis pacti socialis commoda status naturæ superaddere noscat. Accedo jam ad commemorationem illorum, quæ per hunc annum Academicum Universitas nostra fuit experta.

In nobilissimo Curatorum collegio lugemus funera duo. Sublatus est Vicecomes de Spoelbergh, Lovanii natus antiqua stirpe, quæ a loco Spoelbergh in Geldria nomen habet; per plura sæcula majores ejus militia togaque clari fuerunt, et nunc patruelis est Augustissimo Regi a cubiculo, et frater in Curia Bruxellensi consiliarius maxime spectandus. Ipse ab adolescentia honestate et virtute præstans, in neminem magis quam in se ipsum severus, integer vitæ scelerisque purus placida morte quievit: difficillimo tempore urbis et districtus Lovaniensis Præfecturam strenue et magno civium applausu sustinuit quoadusque Galli urbem occuparent. Liberata patria deputatus fuit ad Comitia generalia, et ab Augustissimo Rege nominatus unus directorum, ut dicunt, syndicatus; Eques ordinis Leonis Belgici et præses illustrissimi collegii Curatorum hujus Academiæ, cujus commoda, quamdiu vixit, omni opera adjuvare non destitit, atque moriens annuos reditus assignavit pro alimentatione alumni facultatis artium. Primi fundatoris memoriam grata colet, quam diu stabit renovata Academia.

Sublatus est Baro de Feltz Luxemburgensis. Postquam sub ditione Austriaca variis primi ordinis muniis et legationibus summa laude perfunctus esset et in ordine equestri inferioris Austriæ assumptus, domitore patria expulso, ab Augustissimo Rege nominatus fuit ordinis leonis Belgici præfectus, ad procerum Comitia deputatus, Academiæ, quæ Bruxellis est præses et hujus Universitatis Curator. Blandus erat et affabilis, litterarum peritia insignis, nulli muneri impar, omnia ei demandata pro dignitate explevit in provecta etiam senectute.

Noster ordo et nobiscum Academia cladem tulit ex obitu expertissimi Vandertaelen, viri Medicinæ practicæ excellentia præstantissimi. Suis et nobis ereptus fuit, cum munus Academicum vix auspicatus esset, cujus immaturam mortem eo acerbius lugent medicæ facultatis alumni, quod ejus cura et eruditione diutius frui non licuerit.

Amisimus Academiæ alumnum Jennart Namurcensem, ingenii dotibus, et morum castitate præstabilem, ac magnæ spei juvenem, in ipso ætatis flore exstinctum.

Flebilia hæc sunt Academiæ nostræ damna; sed adsunt quæ mœrorem aliquatenus mitigent.

Regio decreto de 19ª aug. 1820 in nobilissimo Curatorum collegio ad primatum evectus est perillustris Dominus d'Onyn de Chastre. Spectatissime vir, tibi meo et universi Senatus nomine publice gratulor, perges ut ante de Academia nostra bene mereri, perges commoda Urbis et Academiæ felicissimo nexu conjungere.

Eodem decreto inter Curatores assumptus est perillustris

Dominus de la Hamaide, in Curia Bruxellensi Regiarum causarum primus actor. Præstantissime vir, Academiæ nostræ curam tibi commissam esse, sibi congratulatur omnis nostra societas literaria: fuisti toto studiorum tuorum decursu inter sodales facile primus, amas eruditionem, amas virtutem et quævis humanitatis officia, te omni cura scholæ nostræ commodis invigilaturum confidimus.

Decreto Regio de 11ª aug. expertissimus Baud, in Facultate Medica Professor extraordinarius, creatus est Professor ordinarius: si favores recipere semper dulce sit, dulcissimum tamen est, dum illos meritis concessos esse, affirmat publicus omnium applausus. Expertissime vir, indefesso tuo zelo, in docendo clara tua et discipulorum industriæ adaptata methodo, tua dexteritate, ipsa tua humanitate et modestia omnium auditorum tuorum animos tibi devinctissimos habes, omnes nobiscum applaudunt Regio decreto: pulcherrimam Anatomiam, sine qua nullus Physiologus, nullus vere Medicus fieri potest, scholæ nostræ alumnos accurate edocebis; Chirurgicam, quæ diu nimis in his provinciis fuit neglecta, debito gradui et honori restitues, atque non solum de Academia nostra, sed de urbe pariter et patria bene mereberis.

Regio decreto de 16ª septembris pro arte obstetricia nominatus est Professor extraordinarius expertissimus Van Solingen, Metelloburgi quondam Medicinæ Professor et approbatis, quas edidit, lucubrationibus ubique notus; magna eum præcedit scientiæ et meritorum fama, magna ab illo auxilia Sperant Medicæ facultatis alumni.

Si quæritis statum Academiæ; de rebus, quibus utimur quid

dicam A. O.? non exigui sumptus erogati sunt ad res nostras Medicorum præsertim emendandas et augendas; sed desunt multa, maxime utilia et diu promissa, desunt fato nescio quo; brevi tamen nihil defuturum, pro certo habemus.

Interim omnes Professores, collegæ dignissimi, suo muneri intenti unitis viribus et assidua laboris contentione Academiæ nostræ prosperitatem promovere conantur, atque doctrina salubri virtutisque exemplo renovare et amplificare perantiquæ Universitatis Lovaniensis famam et celebritatem, quam ab origine sua meruit, et per quatuor fere sæcula sustinuit usque in diem, quo ab extraneis suppressa fuit non sine generali totius Belgii luctu.

Van Mons a tempore, quo in hac schola docet, publici juris fecit Pharmacopæam Swediaur, quam additamentis locupletavit, notis elucidavit et volumine auxit 2° Principes élémentaires de Chimie philosophique avec des applications des proportions déterminées; « 3° Sub prelo sudat opus cui inscribitur « Pharmacopée générale théorique et pratique; » 4° aliud opus sub titulo « Nomenclator chemicus seu interpretatio vacabulorum, quæ in disciplina chemica usui sunt, adjuncta synonomia in usum prælectionum; » 5° cum duobus adjutoribus edit « Annales générales des sciences physiques, dont-il paraît chaque mois une livraison de neuf feuilles avec cartes lithographiques. »

A Dumbeckio edita sunt hoc anno opera « 1° Clio, sive de historia, de Laudibus historiæ, de arte historica dialogi tres; » 2° « Historiæ universæ tabulæ ethnographico-periodico-synchronisticæ. » Plures alii operibus elaborandis occupantur, et vigili

omnium opera usque adeo viget Academia nostra, ut coram illustrissimo Curatorum collegio, et in conspectu vestro viri nobilissimi, qui in hac provincia aut in hac urbe rebus publicis administrandis vel justitiæ vindicandæ præestis, attestari fas sit, in singula facultate partem longe maximam alumnorum summo fervore studiis incumbere et quam plurimos non mediocri aut optato successu. Pergite ornatissimi juvenes, ut cæpistis; quæ de vobis prædico, labore indefesso et moribus Religione non minus quam vestra educatione dignis confirmate : nisi vitiis naturæ Vires hebetentur, crescit juvenile corpus et quasi sponte perficitur, sed studio et labore evolvendæ sunt animæ facultates et exornandæ; pergite quæso ut cæpistis, cursus academicos alacriter consummate, et siqui forsan inter vos supersint desidia torpentes et sopiti vel infatuati voluptatum lenociniis, sortem istorum dolete, miseremini istorum, istis assistite, ut quantocius expergiscantur et resipiscant.

Egregii juvenes perpendite, quanta utamini felicitate non tantum quod nati sitis eo ævo, quo scientiæ apud omnes fere nationes ad maximum perfectionis gradum increverunt, et quo quidquid alibi detegitur utile aut jucundum, mira celeritate ubique provulgatur, sed præcipue quia ad studia academica vos accingitis sub tanto disciplinarum fautore et patrono, quantum exoptare licet; curante enim Augustissimo Rege, cuncta vobis parata sunt media, quæcumque desiderare potestis, ut directo gradu ad scientiarum fastigia progredi valeatis; nec illarum solummodo, sine quibus respublica stare et illi bene ac prospere esse non potest, sed omnium, quibus hominem ingenuum esse imbutum, honorificum est

atque salutare; et quo usque Augustissimus vobis vestrisque progressibus invigilet, comprobat annua solemnitas, in qua voluit, ut illi, quorum responsis ad quæstiones a singula facultate propositas victoria cessit, præmiis publice condecorentur, quod ut hodie ordine fiat, te rogo, expertissime vir, qui senatui academico ab actis es, ut prælegas facultatum acta, quæ ad literarium hujus anni certamen pertinent, ut de victoribus legitime constet; quæ pertinent etiam ad quæstiones, quæ in sequentem annum Belgicarum Academiarum juventuti proponuntur enodandæ.

E certamine victores recesserunt:

Joannes-Baptista Motte, ex Viesville;

Bernardus de Saint-Moulin, ex Houdeng-Aimeries;

Petrus-Josephus Van der Ton, Antwerpiensis;

Franciscus-Josephus Schollaert, Lokerensis;

Andreas Cohen Khonraad, ex Bergis ad Zomam.

Numismata traduntur.

Egregii juvenes, decreta vobis industriæ et laboris præmia accipite! Splendidissima hæc curæ Regiæ documenta ad majora quævis vos stimulent, excitent, impellant; pergite flagrantissimo literarum amore aliis specimen esse; estis Academiæ nostræ ornamenta; sitis aliquando societatis fulcra et patriæ decora.

Tandem pervenio ad illud, quod in festo hoc academico ultimum est; Rectoris personam lubens depono, et in sequentem annum ab Augustissimo Rege creatum Rectorem magni-

ficum Dominum De Coster, virum clarissimum in Facultate juridica Professorem ordinarium publice renuntio. Conjunctissime collega, tuæ fidei fasces et commentarios Academicos mando; te Rectore floreat dignitas perantiquæ hujus scientiarum et artium sedis, ac lætissima capiat incrementa. Votis nostris annuat bonorum omnium largitor Deus Optimus Maximus.

FINIS.

VII.

JUDICIA ORDINUM

DE RESPONSIS AD QUAESTIONES

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO

IDIBUS AUGUSTI ANNI MDCCCXIX

PROPOSITAS.

JUDICIA ORDINUM
DE RESPONSIS AD QUAESTIONES ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS PRO CERTAMINE LITERARIO IDIBUS AUGUSTI ANNI MDCCCXIX PROPOSITAS.

JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Non quæcumque quæ de argumento dicenda erant dixit auctor commentarii cui inscriptio : *In tenebris metam ferire arduum est.* Sed ut inscriptio fert, res ardua erat disserere super argumento de quo doctorum sententiæ variant et cujus solutio periculis minus quam ratiocinio innitebatur. Quare verosimilior non positiva origo electricitatis in columna galvanica quærebatur, et quamvis ubique unde materiam illustraret hauserit scriptor, quæ hausit bene selegit, ordine optato disposuit et idcirco Facultas præmium ipsi concedendum judicavit. At is est :

Joannes-Baptista Motte ex Viesville, in Academia Lovaniensi Med. Stud.

Dissertationis, cui epigraphium : *Si desint vires tamen est laudanda voluntas*, auctor dicendorum quam maximam par-

tem sagaciter quæsivit et selegit, atque clare exposuit. In quæstione cæteroquin enodationis valde difficilis, ex eo præsertim, quod physiologorum nostri ævi principes discrepent, in pluribus ad hanc rem pertinentibus momentis. Ideo articulo 185 instituti satisfecit auctor. Est autem

Bernardus de Saint-Moulin, ex Houdeng-Aimeries, Facultatis Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum in Academia Lovaniensi Studiosus.

JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Ordo Philosophorum ad Quæstionem Literariam his verbis conceptam :

« Explicetur et ex Græcis potissimum fontibus illustretur
» Ciceronis liber, qui *Cato Major* sive *De Senectute* inscribitur
» idque ad exemplum egregiarum in hoc genere disputationum,
» quibus de Cicerone nuper insigniter meruerunt Batavi homi-
» nes doctissimi, ut *F. G. Van Lynden, Jo. Th. Netscher,*
» *C. J. Van Assen,* alii. »

unam solummodo accepit commentationem, cui inscripta leguntur verba hæc Democratea :

Ὁ κόσμος σκηνή, ὁ βίος πάροδος· ἦλθες, εἶδες, ἀπῆλθες.

In qua quidem, sive doctrinam spectes sive orationis Latinæ probitatem, haud pauca ad perfectionem desiderantur. Sed cum summopere illa commendetur a mirâ quadam in argumento persequendo auctoris diligentiâ et rerum congestarum ubertate, non dubitavit Ordo quin præmio eam ornaret. Apertâ, quæ illi adjecta erat, schedulâ apparuit nomen

Petri Josephi Van der Ton, Antwerpiensis, Philos. et Literar. Candidati Jurisque in hac Academiâ Studiosi :

qui in instituto cum eo examine ad singulas quæstiones tam feliciter respondit, ut Scriptionis auctorem se comprobaret.

Ad alteram anno elapso propositam Quæstionem :

« Diligenter et adcurate exponatur locus de *Errorum Fontibus*,
» copiosius præcipue eâ parte explicatâ, quæ est de *Opinioni-*
» *bus præjudicatis* (vulgo præjudiciis), indicenturque quænam
» adhibendæ sint, errores undecumque ortos evitandi, cau-
» tiones : idque eâ ratione, ut Antiquorum et Recentiorum,
» qui idem argumentum attigerunt, placitis continuo inter
» se comparatis, suam ipse sententiam auctor adjiciat. »

una item exhibita est commentatio hoc Gallici auctoris versiculo insignita :

« Le vrai nous vient du ciel, l'erreur vient de la terre. »

in qua, licet a sermonis Latini bonitate sic satis commendabili, potiores argumenti partes multo levius tractantur quam earum ambitus et gravitas postulare videbantur. Atque hoc in eam potissimum Scriptionis partem cadit, quæ in exponendis Antiquorum Philosophorum eâ de re sententiis versatur : quorum vel præcipuorum placita aut negliguntur omnino aut obiter tantum hinc inde ex parte tanguntur. Licet igitur hanc scriptiunculam, ceteroquin laudabilem, ut typis exscriberetur, indignam Ordo existimaverit; non tamen ab ejus consiliis videbatur alienum, auctoris voluntatem et quam pluribus locis prodidit ingenii sagacitatem eo quodam modo remunerari, ut lemmate publice prælecto, honoris caussâ hæc Dissertatio nominaretur.

Ad tertiam Quæstionem :

« Explicetur ratio *progressûs* quem fractam post Hispanorum
» septem in fœderatis Belgii regionibus potentiam summique
» imperii abdicationem, *lingua* fecerit *Belgica*, et prorsus
» exponatur causa *ejusdem idiomatis negligentiæ*, per totum
» regiâ in Belgicâ domus Austriacæ dominationis spatium,
» *recentissimam* usque ad omnium Belgarum sociale sub
» principis Arausiaci imperii pactum *reconciliationem*. »

nulla omnino exhibita est responsio.

JUDICIUM ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ad quæstionem pro certamine literario anni 1820 a nobis propositam :

« Quid sit possessio? Quotuplex? Quomodo acquiratur reti-
» neatur et amittatur? Quænam sint ejus commoda. »

tria nobis allata sunt responsa, ex quibus commentatio cui est inscriptio : *Errare humanum*, tam dispositione argumenti et doctrinâ quâcum tractatum est, quam diligentiâ et eruditione ei elaborando impensâ præmio digna videbatur. Apertâ schedulâ, quæ nomen occultavit, auctor ejusdem dissertationis innotuit

Franciscus Jacobus Schollaert, Lokerensis, jam in universitate nostra Doctor juris romani et hodierni summâ cum laude creatus.

Dissertationem ab eo pro certamine literario nobis allatam, et præmio ornandam, ex legis præscripto manu alienâ descriptam esse, habitâ comparatione adparuit, ejus auctorem vero se præstitit juvenis ornatissimus examine cum eo ex lege a nobis instituto.

Nec reliquæ dissertationes pro certamine literario nobis oblatæ silentio prætereundæ sunt. Altera cui est inscriptio *Fac et spera* recta in explicandis juris principiis ratione fundata præcipua laude; altera cui est inscriptio : *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas*, ob summam quâcum elaborata est industriam memoratu digna esse videbatur: quare utriusque auctori publice et, si velit nobis indicare nomen suum, nominatim laudem meritam tribuere decrevimus. Cumque auctor dissertationis prioris

Georgius Gouverneur ex Oudenbosch

nomen suum nobis indicavit, et ut publice nominaretur, nobis permisit, juveni ornatissimo hoc laudis testimonium tribuere non dubitamus.

JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Unum responsum accepit Facultas Medica, cui præscripti sunt versiculi

Le dessein en est grand, le succès mal-aisé;
Si je m'y perds, au moins j'aurai beaucoup osé.
La Fontaine.

Hæc commentatio quamvis omnibus numeris non sit absoluta, scripta est firmo judicio : rerum medicarum cognitionem jam provectam, et aptissimam ad altiora studia auctoris indolem indicat. Nomen sub schedulâ erat.

Andreas Cohen Khonraad, ex Bergis-ad-Zomam, Medicinæ Candidatus.

Super dissertatione examinavit facultas ornatissimum juvenem verumque auctorem agnovit. Palmâ dignum eum pronuntiavit.

VIII.

JOANNIS BAPTISTAE MOTTE

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM PHYSICAM.

JOANNIS BAPTISTAE MOTTE,

EX VIESVILLE,

MEDICINÆ IN ACADEMIA LOVANIENSI STUDIOSI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM:

Quæ est origo verisimilior electricitatis in columna electrica, et qua ratione compositio et decompositio corporum hujus ope obtinentur?

QUAE PRAEMIO ORNATA EST VIII. IDUS OCTOBR. MDCCCXXI.

In tenebris metam ferire arduum est.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM PHYSICAM.

Pleraque phænomenorum causas, quæ produxit natura, involucro densissimo occultasse videtur. Quæ phænomena, si diligenter et accurate cognoverimus, aliquando ad originem hujusmodi causarum, quas sæpe plus minusve verisimiles effingere debemus, pervenire poterimus. Quæ cum ita sint, ratio illa quæ simpliciter quam maxime et distincte electricitatis phænomena exponit, quæque ad notiones horum phænomenorum nobis comparandas accommodatior erit, cæteris anteponatur. Immo vero etiam præcisa phænomenorum inter sese relationum explanatio, si modo causas eruat e quibus ea oriuntur, cognitioni maxime inserviet. Nullum igitur sit partium studium si phænomenorum expositio eorumdem naturæ respondebit, quisquis sit qui eam docuerit, Tros Danausve sit minime curamus.

Ac primo quidem, priusquam ulterius progrediar, hoc monuerim fluidum electricum et galvanismum nobis idem esse;

quippe quod analogia, vel potius identitas intersit, in eo imitans plerosque viros ejus rei peritissimos imprimisque Volta, qui sic existimaverunt. In orationis nostræ contextu verba quidem haud adhibebimus exquisita, sed, quod fieri, clara ut quæ ipsi sentiamus aliis significare valeant, satiusque ducentes si ad intelligentiam lectorum quæ protulerimus accommodemus. Attamen, usum universe receptum sequemur, et grate hanc veniam petimus, damusque vicissim.

Nullum hodie dubium superest de identitate fluidi galvanici et electrici. Namque utrumque globulos, palleas, foliola, electromtrica divergere facit, commotiones inducit, scintillas procreat, eosdem conductores sequitur, ante eosdem isolatores gradum sistit, in iisdem condensationis apparatibus, in lagenis armatis, in ipsisque batriis electricis, coalescit. Præterea, utrumque corpora ignefacit, combinationis chemicæ effectus impedit vel adjuvat, et in positivum et negativum sese distribuit.

Priusquam consideremus undenam repetenda sit electricitas quæ evolvitur et succedit in columna voltaica, aliquid nobis dicendum est de præcipuis inventis quæ ad excogitandam hancce columnam contulerunt. Anno 1767, Sulzer observavit duas diversi metalli partes, v. g., argenti et cupri in mutuum contactum per linguam adductas, statim in hoc organo saporem excitare quem ferri comparabat. Deinde, anno 1776, Fontana animadvertit bracteam auream coeuntem cum frustro argenteo in acido nitrico immerso evolutionem bullarum gazeosarum ex hoc acido efficere; horumque effectuum causam nominavit *agens metallicum*.

Cum in disciplinis progredimur, tum eorum limites quodammodo crescere videntur; quo fit ut finem earum nos non

posse attingere arbitremur. Quam veritatem electricitas nuperrime probavit. Frequentes erant experientiæ, neque deerant observationes ; tamen desiderabatur legum ex quibus phænomena orirentur accurata definitio. Anno circiter 1789, primæ hujus inventionis observationes Galvani, physices, Bononiæ, Professori sese obtulerunt ; qui quum inquisitiones institueret excitabilitatis organorum muscularium ope electricitatis dignoscendæ gratia, his in experimentis adhibebat ranas emortuas excoriatasque, quarum nervos lumbales denudaverat. Præterea, quo facilius eas disponeret in aliqua parte columnæ vertebralis, filum cupreum hami instar recurvatum transfixerat. Evenit quadam die, quum plurima ranarum cadavera pergulæ ferreæ his cupreis hamis suspendisset, quod illico pedes et crura harum ranarum convulsionibus spontaneis affecta sunt. Idemque phænomenon occurrebat toties quoties contactus iteratus.

Tum temporis, nepos ejus, Camillus Galvani, qui apud avunculum anatomiæ studebat, quum ad unius ranæ nervos crureos internos scalpellum fortuito admovisset, statim membrorum musculi vehementibus agitati sunt convulsionibus. Eamdem experientiam denuo instituit Galvani, scalpellumque conjuncta scintilla electrica in ranæ nervos applicavit. Cujus experientiæ felices et improvisi effectus Galvani ad id impulerunt ut nova tentaret. Eventus autem non præter spem fuit. Elementa apparatus diversimodo composuit ; et pro varia compositione maxime notabiles, quoad intensitatem et spatium temporis, ranæ convulsionum ortæ sunt modificationes.

Horum phænomenorum cognoscendorum cupiditas diversas variasque conjecturas procreavit, quæ non mediocriter ad galvanismi progressus inservierunt. Quo autem phænomena explicare posset Galvani, duarum electricitatum concursum admi-

sit, scilicet inter duas electricitates oppositas æquilibrii restitutionem. Putabat autem hanc electricitatem animalibus peculiarem esse: et observationi effectuum electricorum innixus, observavit, vitalitate sese extinguente, effectus etiam languescere, cessante vero, deficere; cui sententiæ lubens assentiebat. Hujusmodi initio Galvanismi notiones erant; sed mox per germaniam disseminatæ sunt. Italorum autem physicorum explicatio non ubique placuit.

Pfaff, doctissimus ille physicus, comparationem ranæ organa inter Leidæque lagenam ineptam demonstravit, cæterisque quæ comprobandæ suæ sententiæ inservirent silentio prætermissis, experientiam protulit ubi, utraque armatura nervo apposita, contractiones fiebant; licet hoc in casu extremitatis arcus exonerantis machinæ conductori imponerentur. Tum celeberrimus Volta italorum physicorum sententiam amplexus est, quam tamen, experientia edoctus, deseruit, atque sic electricitatis sedem inesse in armaturis, ejusque evolutionem ab heterogeneitate harum substantiarum pendere existimavit. Quæ feliciter cogitaverat, ea, duobus metallis heterogeneis ad contactum adductis iisque ope electrometri maxime sensibilis comprobatis, executus est.

Plurimi deinceps physici inter quos præstant Gren, Ritter, Van Humboldt, Reil, quem matura morte nostris atque medicis disciplinis ereptum summe lugemus, existimaverunt irritationis causam inesse in metallis, irritabilitatem vero, in corporibus organicis. Volta experimentis animadvertit in ejusmodi phænomenis carbonem metalli vicem sustinere; atque Pfaff excogitavit fluidum electricitati affine circulum galvanicum percurrere, et in hoc casu corpora madida, sulfureta aut carbureta metallica alterius metalli partes implere. Eodem tempore Volta

demonstrare incepit phænomena galvanica et electrica ab eadem causa pendere, discrimenque solum inesse in ratione diversa qua excitetur et ducatur electricitas. Cui demum sententiæ quum plurimi physici adversarentur, sese continuo conferebat ad novas rei declarationes, quibus perductus in posterum columnam excogitavit.

Creve feliciter admodum invenit in contactu binorum metallorum combustibilitate diversissima aquam decomponi : quod idem eodemque tempore observavit Asch, quum animadverteret, contactu inter laminas argenteas et zincinas madefactas posterius hoc metallum oxidari. Tunc exortus est, plurimis institutis experimentis plurismisque inventis peractis celeber, ill. Ritter, morte proh dolor! ereptus cum disciplinas excolere inciperet, quem studii ardor consumpsit sicuti et Gertanner consumpserat. Deinde vero Kok et Van Mons in lucem ederunt numerosorum phænomenorum summam, inter quæ notata est constructio ejusmodi columnæ ope elementorum galvanicorum duplicatorum, conductoribusque humidis diversis interpositorum, quæ maximas commotiones producebat. Hæc autem omnia peragebantur et in lucem prodierunt ante finem anni 1798. Anno 1800, Volta invenit egregium illum apparatum, qui omnem chemiæ philosophicæ faciem immutavit. Cujus inventi descriptio in ephemeridibus chemicis et physicis hujus regionis publicabatur. Eo inde tempore animus physicorum sese contulit ad hujus columnæ studium, quæ una fere erat et machina electrica spontanea et lagena leidensis per se ipsam sese onerans et tandem validissima via directæ decompositionis, qua hucusque chemia usa est. Decompositionem autem directam intelligo eam quæ efficitur nullo alio corpore mediante, sed sola vi amotionis calorici, quod oxidorum omnium reductioni, omniumque com-

ponentium determinationi fixæ præest. Qui apparatus aperte demonstravit fluida electrica et galvanica idem esse. Hanc probam mox Carlisle et Nicholson peculiariter tractarunt; quippe qui, in metallo debili statum negativum, in validiori positivum invenerunt. Itaque aquam decomposuerunt eo modo ut elementa ejus restituerint; qui cum in magna quantitate id facerent, observarunt sic institutam columnam in activitate chemica cogi ut sumptibus corporis humidi sese decomponentis reficeretur, tuncque aquam oxidare metallum validum, atque sic præbere fontem instaurationis pro exhausta continua oneratione. Animadverterunt insuper hydrogenium evolvi in polo negativo et oxigenium in polo positivo. Primi etiam observarunt inter utramque columnæ extremitatem scintillas excitari posse. Cruikschank agnovit columnæ impregnationem per solutionem muriatis ammoniaci ejusdem energiam valde augere. Salia alcalina et terrea in proxima eorum constituentia et in remota elementa oxida salium metallicorum distribuit. Quibus ita constitutis primum ille progrediebatur ad subsidia, eaque infinita, quæ columna voltaica mox ut agens chemicæ decompositionis præbuit. Ille enim rationem excogitavit qua separatim gaza ex aquæ decompositione orta colligerentur; oxigeniumque aquæ fluido electrico detrahi, hydrogenium vero ad gazis statum reduci observavit. Idem serius columnæ formam immutavit, eamque commodiorem et apparatui instituendo aptiorem reddidit; longioremque energiam præbuit, imprimis idoneam, quæ notabiles effectus chemicos procrearet. Loquor de columna cellulis, *à compartimens*, confecta : quæ in posterum universe comprobata et recepta est. Quod si columna decomponatur murias calcis obtinetur in polo positivo chlorum, quod nisi simultanea salis et aquæ decompositione oriri potuisset. Creve lagenam leidensem cum onerasset columnæ ope, ejusmodi experimento

omnes de identitate fluidi utriusque ad se sententias alliciebat. Tum etiam temporis ingenium suum mire exercitabat celeberrimus Davy, qui physicus idem et philosophus, experimentis suis et observationibus chemicas disciplinas mirifice locupletabat. Magnum quid tentavit, sed longius progressus esset nisi, propterea quod alius physicus cum eo consentivisset, novis sese applicuisset, suasque rectas sententias aliquantum deseruisset. Prætereo alcalium reductionem quam primus invenit; hoc enim phænomenon fortunæ non ejus ingenio debemus. Hoc item obtigisset alio cuivis, qui validis columnis institutis ad Cruiskhanck rationem sese diligenter et accurate accommodasset. Quæ tamen licet non investigata reductio magni momenti fuit, minusque etiam per se ipsam notabilis quam ob effectus eximios quos habuit. Namque hi tales fuerunt ut resolvi in sua elementa potuerint, medio chemico, corpora quæ non nisi potestate divellente columnæ prius resoluta fuerant; quibus etiam fiebat ut recte cognoscerentur compositionis relationes, quæ hucusque, ne cogitatæ quidem fuerant. Novorum intelligo metallorum combinationem cum combustibilibus acidifiabilibus.

Davy, aqua accurate decomposita, eam continere volumen unum oxigenii et duo hydrogenii invenit. Quæ elementorum aquæ mensuratorum determinatio altera via exstit ad doctrinam proportionum per volumina; priorem viam invenerat jam diu ante Kirwan, qui acidum muriaticum voluminibus æqualibus chlorii et hydrogenii constare agnovit: miri pro tempore eventus qui comprobarunt quanta eum accurata concinnitate cel. ille chemicus experimenta sua institueret. Tum etiam acidum sulphuricum in acidum sulphurosum, sulphur et oxigenium decomposuit. Acidum nitricum loco muriatis ammoniaci in columnæ apparatu adhibuit; indeque activitatem multo majorem

obtinuit. Præterea animadvertit apparatus energiam extingui in atmospheris aëris oxigenium liberum aut parum combinatum non continentis. Alii ejusdem ætatis physici, auxiliante columna, diversa metalla, ipsumque aurum liquefecerunt, sulphur, ætherem, inflammarunt, aurumque fulminans decomposuerunt. Qui omnes effectus debentur modificationi electricitatis in caloricum.

Ritter paulo post observavit columnas galvanicas oriri posse ex copulatione inter sese, binorum liquidorum diversissimæ combustibilitatis, et ex metallo quod sese fluido electrico producto oneraret.

Volta, cujus mira de electricitate galvanica inventa vix in Gallia innotescerant, quo melius doctrinam suam magnique momenti observationes docto gallici imperii instituto declararet, explicaretque, in hanc regionem sese conferebat, idque effecit, adjuvante doctissimo quodam nostrati viro, qui plurimum ibi tunc temporis valebat, cujus etiam præsidio itineris comitem nactus est Brugnatelli. In Galliam cum advenisset hujus ingenii laus egregie prædicabatur et ingens donum accepit, atque felix itineris fuit exitus ut in rei publicæ beneficiis deferretur. Præmium etiam insigne tunc promittebatur iis qui doctrinam electricam ad id perducerent ut talis existeret qualem reddiderat theoria Franklin, cujus præmii partem meruit et adeptus est Davy. Deinde vero Ermann doctissimam conductorum quinque partito distributionem instituit. Tum etiam Davy, anno 1806, obtulit Academiæ regiæ Londinensi opus de legibus, ad quas apparatus voltaicus in decompositione salium interveniret, experimentisque, magis quam ratiociniis accuratam corporum distributionem in comburentia et combustibilia confecit. Quibus commonstrabat in combinationibus elementa modo

hanc, modo illam qualitatem recipere; atque sic pro qualitate quâ illa induerentur, modo ad polum positivum, modo ad negativum ferri. Quocirca comburentia ad polum positivum combustibilia, vero, ad polum negativum transierunt. Mox prodiit ingeniosa Berzelii doctrina super theoria electrochemica; cujus theoriæ principia, si discedatur a quibusdam modificationibus, ab Orsted maximam partem quoque excogitata fuerant. Ex hac theoria sequebatur chemicam copulationem esse debere veluti extinctionem per exonerationem status electrici, et chemicam decompositionem, nullo adhibito alio corpore, veluti excitationem per onerationem ejusdem status.

Paulo post Davy alcalia fixa in statum metallicum reduxit; et quod notabilius et majoris etiam momenti, Trommsdorff et Seebeck idem in ammoniaca operati sunt; cujus metallisatio licet immixta, tamen in immixtione coruscanti et rite cristallisata, maxima cum analogia, compositam cæterorum metallorum naturam declaravit. Hoc autem experimentum feliciter admodum iteraverunt Berzelius et Davy; deinde prorsus relictum ut non omnino conveniens cum sententiis prioris illius chemici, et quod primitivo dominio posteriori non amplius erat. Jam ante diximus cel. Davy famam non inniti reductioni alcalium in metalla, quam non meditatam nec cogitatam reperierat; sed omnibus palam fit illum sibi laudem immortalem comparasse *Chemicam physicam* elaborans. Quod opus doctissimum, quod unquam ad hanc usque diem in lucem prodierit, primo confecto volumine, non amplius editum est. In hoc autem libro eximie elucet auctoris ingenium et mens divinior, ibique simplici, elegantique elocutione, et solida ratiocinatione utens, sese sapientissimum philosophum et prudentem veri indagatorem ostendit; omnia momenta et rationes perpendit, examini et

dubitationi submittit, ut nihil quidquam accipiat nisi quod compertum et exploratum habeat. Quibus præmonitis historiam brevem galvano-voltaismi absolvimus; quippe qui, mortuo Ritter, et Davy missa de hac re opera, continuo desinit.

Inter eos, qui in hac nostra regione præter binos auctores, quos supra laudavimus, electro-galvanismi inventum plurimum excoluerunt, eminet medicinæ doctor et professor Curtet, qui rationem ac methodum suppeditavit, quo columnæ actuosissimæ conficerentur discis carbonicis copulatis cum discis *lamineis* et ferreis. Atque scintillas admodum corruscantes extrahere docuit ex minimis columnis, cum excitaret ope frusti carbonici, acuti, easdemque oculis subduxit, id efficiens ut eæ in mercurii superficiem reflecterentur. F. Gerard nomen non præteribimus, qui procul a patria præmatura morte, sed scientiis jam locupletatus, occidit; qui opibus etiam dives uti et doctrina, utrumque plurimum ad augendas, exponendasque disciplinas contulit. Is est nimirum qui secundariam columnam, novamque phænomenorum electricorum theoriam invenit. Laudare etiam hic possumus Bouvier, qui siccam columnam longe ante Zamboni excogitaverat et descripserat.

Galvani profecto et fama, et grato posteritatis animo dignus erit, neque vero admiratione; sed Volta laudem consequitur et admirationem, qui illius inventionem maxime adauxit et ampliavit. Lucidis enim ductus experientiis et observationibus novum sibi inveniendorum phænomenorum aditum patefecit: multaque nova protulit. Mediante que electricitate per contactum, ejusmodi electricum apparatum instituit quem physici omnes deinceps sunt mirati. Qui apparatus columnæ voltaicæ nomen habet.

Hæc autem inventio variis disciplinis emolumento fuit, imprimisque chemiæ profuit, scilicet in corporum decompositione, quæ ad hunc usque diem non nisi aliis viis reductibilia erant medium præbuerit. Corpora enim composita in eorum elementa, educta, hac methodo absque productis enatis, si modo quis intermediis materialibus utatur, resolvi possunt.

Præstat autem experientia quam Ritter, apparatus sui ope, scilicet columna secundaria instituit. Discis nimirum ejusdem metalli et tot chartæ madefactæ discis componitur. Electricitatem evolvere nequit, vimque nanciscitur omnem ex voltaica columna mediante contactu. Et si modo duæ extremitates ejus columnæ ordinariæ extremitatibus appositæ sint, virtutem et activitatem suam adipiscitur. Brevi elapso tempore, adjunctio tollitur et columna secundaria non solum aquam dissolvit, sed etiam scintillas, commotionesque sat durantes afferre potest. Fit enim ut charta madefacta communicationi adversetur. Cujusmodi vero columna in statu onustionis non perdurat; sed vim suam sensim sensimque deperdit, et tandem nullam omnino retinet.

Phænomenon quoddam in columna animadvertitur, ad quod intelligendum doctissimi quique physici animum contulerunt, oxidationem dico, quam metallicæ superficies in contactu cum conductoribus humidis patiuntur; quam Volta existimat effectum, qui arctiorem inter columnæ elementa contactum instituit, atque sic ejus actioni majorem vim et energiam præbet. Doctus Davy argumentis, experimentisque comprobavit oxidationis naturam in electricitatis columnæ evolutionem inferre. Cujus intensitas crescit cum isolata gazis oxigenii atmosphera circumvolvitur : quod fluidum in machina recipiente inclusum

sensim sensimque absorbetur. Absorptioneque facta, columna activitatem suam amittit; sin vero nova quantitas gazis intromittatur, tum eam recuperat.

Columna autem in actione perseverat si liquidum quod paria metallica disjungit, sit acidum nitricum aqua attenuatum. Hoc idem obtigit in pneumaticæ machinæ vacuo, aut in atmosphera acidi carbonici. Quod si liquidum sit aqua pura, actio tota suspenditur, quippe posito in istiusmodi casibus apparatu. Quibus consideratis voltaica hypothesis non plane respondebat. Vis enim oxidationis in evolutione columnæ electricitatis temperationes exigebat, quas Davy afferre conatus est. Arbitrabatur autem metallorum contactus electrici æquilibrii fracturam afferre; ex qua chemicæ nascuntur immutationes, quæ ut id restituant postea conantur.

Theoria quæ columnæ voltaicæ cupri et zinci discis confectæ convenit, duobus etiam quibusvis metallis sese accommodat; His omnibus in casibus identitas effectuum una eademque esset. Verumtamen omnigena metalla non æque pro generatione phænomenorum electricorum inserviunt. Recentiori tempore celeberrimus Davy columnam discis argenteis corpore humido interposito solummodoque separatis utendo, instituit. Nonnulli vero chemici, iique celeberrimi, columnas electricas absque humiditate construxerunt: Cujusmodi apparatibus immorari nos debere haud putamus, cum ad effectus energicos producendos parum præstent. Quippe qui non adhiberi possint in decompositionibus chemicis, quibus fluidi electrici subministratio continua necessaria est. Columna autem sicca energia caret defectu chemicæ actionis; nam sola ejus activitas ab oppositione metallorum diversæ energiæ pendet.

Effectus electrici nativam corporis materiam ex quo oriuntur, quasi hoc corpus vi intrinseca extra se ipsum agat, causam efficientem et immediatam non habent. At aliam quamdam causam habent physicam, cujus actio pro dispositione corporis electrisati sese manifestat, modificatque. Hæc materia attenuata, exilisque reddita, attactu, aut calore...... prolata, haud dubie non est materia corporis electrisati. Experientia enim constat maximam partem corpora quoties, quamdiuque volumus electrisari posse, illa absque sensibili ponderis amissione.

Per contactum duorum metallorum diversæ combustibilitatis diversam fluidi electrici partitionem fieri intelligere possumus. Corpus enim relative ad aliud combustibilius positive sese onerat; hæcque oneratio debilis subsequenti effectui originem præbet; atque sic quodammodo processus chemici concitator primitivus nuncupari potest. Hanc autem onerationem adauget processus chemicus in oxidatione metalli positive oxidati; si quidem adhibeatur caloricum per metallum ab oxigenio aquæ eductum. Haud aliter, ut opinor, hoc phænomenon excogitari posset, cum columnam plurium horarum spatio aquam absque ulla intermissione eadem cum intensitate decomponere videamus.

Quoties tamen oxigenium ad gazis statum transit, ingens calorici quantitas sub electricitatis forma sese componit, et columna nullam decompositionem efficit, nisi hujus fluidi pars aliqua implicata sit. Tum effectum hunc suppeditat sive isolata sit, sive cum terra communicet. Deinde vero energia inter ejus polos ea ipsa ratione crescit qua intensitas chemica adaugetur. Columna nullam fere energiam habet, si fluidum ejus circulare nequeat. Indeque fit ut metalla componentia elementa, diu in

eodem statu permanere valeant, quin tamen ad statum perfectæ oxidationis transeant. Hoc probare videtur negativum statum, circulatione renovatum, caloricum ad modificationem, tensionemque fluidi electrici adducere. Animadvertimus etiam, ubi superficiem adhibemus sat latam et conductricem ut electricitas omnem suam electricitatem servare possit, electricitatem transire absque naturæ immutatione. Ubi vero via ipsa angustior est et conductibilitatem minorem habet, in caloricum tunc electricitas sese modificat, corpora liquefacit, eaque igne subigere valet. Si autem electricitatis conductrix hæc via sit arctissima, tum electricitas maximam partem in lumen immutatur. Præterea utroque ultimo in casu columnam per aliquot momenta onerationem amisisse suam observamus.

Ex mora quam in translatione fluidum electricum patitur, effectus fusionis et ignitionis repetendi sunt. Coacervatioque eo major est, quo affluxus minimo cum transitu fit. Nihil simile animadvertimus in metallo conductore; si enim tunc fusio esset, non nisi secundum filum fieret: et quidem eodem momento in puncto interruptionis et conductionis, scilicet ad polum negativum et positivum.

Haud aliter res se habet ubi carbo platinum inter et superficiem negativam imponitur; fluidum enim retardatum majorem vim ad fusionem, ignitionemque recipit. Sin idem corpus inter platinum et positivam superficiem intersit; tum causa carbonis fluidum retinentis retardatio habetur. Verisimillimum igitur est positivum ab accumulatione; negativum vero a substractione pendere.

Columna voltaica, cum bene humectata est, galvanici currentis fons est fixus et perennis, tum enim currens galvanicus omnem

conductorem columnæ extremitates attingentem percurrit. Hic autem conductor ex una parte inferiorem, ex altera, superiorem columnæ partem tangere debet. Columna quæ viginti horum discorum, scilicet zincinorum et cuprinorum, seriebus constat, conflictum producit, qui in brachiis persentitur; si adsint centum series tum ad scapulas usque pervenit. Hoc in casu columna aqua tantum onerata; ubi vero salibus vel acidis aqua acuitur, columnæ effectus validiores sunt.

In corporibus autem fluidum electricum non conducentibus columna nullam actionem habet; hujuscemodi sunt gaza, sulphur solidum, olea, pinguedines, vitrum. E contra actionem plus minusve notabilem in corporibus hoc fluidum ducentibus, ut sunt pleraque metalla, solutiones salinæ, habet. Atque calefacere, liquefacere, et etiam ad gazis statum corpora simplicia reducere, prætereaque corporum compositorum elementa separare valet.

Si filum ferreum tenue adjungatur extremitati unius filorum ex aurichalco vel ex platino confecti, annexique polis columnæ intensæ, ac latis discis compositæ, v. g., polo zincino; alveisque columnæ acido impletis, tum hoc filum ferreum in contactum ducatur cum filo poli cuprinæi ex aurichalco confecto; confestim filum ardescet, immo etiam flagrabit. Qui effectus eo notabiliores erunt, quo disci majores, et quo filum ferreum minoris est diametri. Quod si hoc filum majus esset, non vehementer admodum calefieret; quoniam hoc in casu omne fluidum ad fili superficiem transiret. Ubi vero fili superficies minor esset, nec sufficere transitui valeret, tum in interiorem ejus partem penetraret et caloricum, ut aiunt, emitteret. Itaque quidquid sit columna voltaica eadem ratione qua lagena leidensis,

3.

quæ exonerata mox ex se ipsa sese onerare valeret, agere videtur.

Cutis sicca fluidum electricum male conducit; indeque fit siccis digitis communicatione inter duos polos instituta, columna non nisi partim exoneretur, commotioque recepta debilis sit. Sin digiti fluido conductore madefiant, v. g., salis cujusdam dissolutione, tum manibus duo corpora metallica teneantur, ut tali modo communicatio instituatur, columna omnino fere exoneratur. In hoc casu fortis commotio persentitur, quæ plus minusve ad organa sese extendit, et quæ columna, indesinenter se exonerante, continua fit; quippe communicatione interrupta et renovata.

Ubi autem filum metallicum in una extremitate habens filum carbonicum plane ustum, eodem tempore in utraque extremitate cum columnæ partibus extremis ad contactum adducitur, erumpit statim scintilla electrica, aut fragmentum carbonicum incandescit. Si duo fila ex plantino confecta in contactu cum duabus extremitatibus columnæ, in eamdem aquæ partem ducantur, sive etiam in duas diversas hujus liquidi partes, opeque substantiæ humectatæ communicantes, oxigenium e filo effluit quod electricitatem positivam habet, hydrogenium e filo quod signa electricitatis negativæ præbet, liberatur. Qua in experientia si adhibeatur solutio salis neutri acido et alcali, terra aut acido metallico compositi, præter alia phænomena quæ oriuntur, insuper observatur acidum coacervari circum circa superficiem positive electrisatam, terram vero aut oxidum, circa superficiem negative electrisatam. Si solutio in duobus vasis diversis, mediante albesta humida communicantibus, partiatur, acidum collectum in vase filum positivum continente, erit in

proportione determinata cum materia collecta in alio vase, ita ut cum ipsa materia compositum neutrum salinum efformare possit. Acidum hoc in casu aquam alcalisatam transire potest, et basis aquam acidam: et tali modo absque ullo impedimento, quod transitum, ad polum quo attrahuntur perveniunt. Quod pendet a statu respective negativo aut positivo in quo constituuntur.

Ubi igitur columna sese exonerat et sub ejus transitu decompositionem chemicam operandam invenit, ejus fluidum in duas partes distribuitur, quarum altera sese copulat, altera sese applicat; prior cum oxigenio, posterior ad hydrogenium, aut altera cum corpore oxidato, altera ad corpus reductum. Sin duo corpora sint oxidata, pars prior cum corpore magis oxidato; posterior vero cum minus oxidato sese conjungit. Oxigenium autem quod quantitatem completam calorici pro suo gazis statu habet, fluido columnæ ab hydrogenio sejunctum absque combustione in polo positivo metalla valde oxigenata oxidare non posset, nisi caloricum quod in hac operatione deponit, in hoc polo resumeretur loco partis fluidi quod hydrogenium ad polum negativum transtulit. Atque sic nisi id fieret oxida non magis oxidarentur. Regulam quod attinet fluidi electrici, hæc est: superficies fluidum electricum ducens, liberatio calorici sufficiens, corpus electricitatem et caloricum eodem tempore isolans, penetrabilitas massæ hujus corporis per fluidum concentratum. In priori casu modificatur electricitas, quæ sese applicat; in posteriori, fluidum sese sub scintillarum forma coalescens. Sic in aëre, calorico, quod aqua deponit, ab oxigenio segregato fluidum electricum efformari videtur. Hoc enim fit, quod aër calorici pravus conductor, id ad terram transferre non valeat.

Physicus Orsted recte animadvertit, oxigenium et corpora oxidata, hydrogenium et corpora reducta, ad polos respectivos pervenire, alia quidem cum majori intensitate vis combinationis; alia vero cum aucta combustibilitate. Priora observavit calorico carentia quod affinitatem auget, posteriora cum abundantia quæ combustibilitatem auget.

Ex calorici theoria cujus hic notionem affero, hydrogenium liberum, vel cum metallis conjunctum, maximam calorici partem continens, sub columna fluidum electricum non amplius sibi adjungere valet, ut id in caloricum modificet; sed fluidum sub applicatione accipere debet, quo conductorum more in suam superficiem conducere possit. E contra oxigenium combinatum et oxida fluidum retinent ut id in caloricum modificent, et ut hydrogenium sese iterum eo saturet loco oxigenii quocum erat conjunctum. Modificatur itaque caloricum in fluidum electricum; indeque potissimum ad applicationem hydrogenium et corpora reducta, ad penetrationem autem corpora oxidata appetere debet. Priora corpora fluidum ducunt, altera fluidum in caloricum modificatum sibi adjungunt. Alter enim effectus fluidi præsentiam relinquit, alter illud substrahit.

Ex his quæ supra diximus omne fluidum exoneratione suppeditatum recalorificationi hydrogenii adhiberetur, quod sive ad statum gazis transiret, sive cum basi metallica combinationem iniret. Tum etiam columna, in ea ratione qua hydrogenii recalorificatio fieret, exhauriretur.

Effectus qui fiunt absque dehydrogenatione oxigenii completa et absque recalorificatione hydrogenii saturata, columnæ statum implicatum reddunt. Unde efficiuntur interruptiones quæ nominatæ sunt necessitas sese reficiendi, quæ potius sunt necessitas sese in oneratione uniformi iterum distribuendi. Quod

ad illam magni momenti speculativam quæstionem attinet; utrum nempe phænomena electrica pendeant vel a fluido quod in excessu esset in corporibus positive electrisatis, vel a duobus fluidis quæ sua combinatione lumen procreare valent; utrumve isthæc phænomena in exercitatione peculiari potestatum attractivarum materiæ generalium consistere possint, teste cel. Davy, prout sunt nostræ hujus rei notiones, vix aliquid fixi et determinati statuere possumus. Itaque electricitatem ut medium chemicarum decompositionum usurpare pergamus; caveamusque hoc maxime ne cum causis, ubi phænomenorum origo agitur, effectus confundamus.

Nonnulli auctores recentiores unum esse fluidum electricum non secus ac aquam asserere videbantur; idque plurimis aliis fluidis componi probare voluerunt. Sed qui sapere voluerit, is, duce quidem sana philosophia, in tam præmaturas generalisationes non descendere debet. Franklin, Cavendish, Æpinus, Volta, unici fluidi electrici celebres patroni, hoc tanquam hypothesim habuerunt, quæ feliciter maximam phænomenorum partem dilucidet. Et revera quæcumque experimenta, quæ ad hanc usque diem prolata fuerunt, sive illa de unius fluidi, sive de duorum existentia, nihil præbent quod inde quidquam concludere valeamus. Attamen nemo est, ut putamus, qui dubitare possit de materialitate fluidi electrici, ex omnibus quæ jam innotescunt de combinationibus, quas hoc fluidum cum corporibus init, et de modo, quo sua substantia iis intervenit. Idque magis etiam comprobatur, si animadvertemus affinitates quas in compositione et decompositione corporum habet. Sed hoc verum sit, fluidum electricum originem terrestrem non habere; et luminis instar cujus est temperatio e sole emanare. Quod si vero lumen et caloricum qualitates non ducamus; tum etiam corporis nomen fluido electrico non est denegandum. Si ponatur

immaterialitas fluidi electrici, oxigenium vi quadam liberari deberet, hydrogeniumque prope illud reproduceretur, et ab hoc principio qualitate amoveretur. Atque sic corpore non existente videremus, et calorici sensationem percipere deberemus. Verumtamen quum phænomena electrica, tam unius fluidi quam duorum fluidorum adoptione explicari possint, palam fit, admissis duobus, difficultates majores, majoremque theoriæ complicationem oriri.

Columnæ longæ et angustæ, ut constat experimentis, potissimum electricitatem evolvunt; latæ et longæ partim electricitatem, partim caloricum; latæ et breves omnino fere caloricum. Indeque manifesta evadit analogia fluidum electricum inter et lumen et caloricum. Atque ad verum prope accedit, unicum quidem corpus, pro variis circumstantiis, tres modificationes, scilicet lumen, caloricum et fluidum electricum inire.

Physicus Hare, ex urbe Philadelphia, columnam construxit ita modificatam, ut ea communiationibus metallicis unico pari metallico constans considerari possit; aut unico columnæ magnæ superficiei elemento prædita haberetur. Hæc autem superficies solummodo caloricum evolvit; quapropter *Calorimotoris* nomine eam denominavit. Aliunde enim ejusmodi differentia oriri non posset, nisi variis in circumstantiis tres modificationes : luminis, electricitatis et caloris caloricum pateretur. Hæc nimirum proprietas calorico recusari nequit; et nihil obstat, ut equidem puto, quominus, in separatione ab oxigenio aquæ, in electricitatem sese modificare valeat. Numquid præterea columnæ fluidum corpora liquefacit? Numquid ea calore rubro inficit uti ipsum caloricum? Numquid sub explosione, ubi pro sua condensatione per angustiores vias transit, electricitatis instar, clara luce collucet, statu luminis præditum ? commo-

tiones autem parit; scintillis sæpe fulgescit; Leidæ lagenam onerat; electrometrum deflectit uti fluidum electricum.

Experientia Childeren ope columnæ voltaicæ. Lamina cuprina et zincina hunc apparatum constituentes, laminarum plumbearum ope in ordine solito inter sese uniuntur; quæ laminæ sex pedibus longæ, pedibusque sex et octo pollicibus latæ sunt. Unaquæque lamina superficiem triginta duorum pedum quadratorum habet. Omnes laminæ solidæ margini ligneæ alligatæ sunt. Hæc autem margo chordis et trochleis suspenditur; æquipondia eam librant, ut facile demitti et attolli queat ad laminas in acidum immergendas, easque pro arbitrio ex eo auferendas. Primi effectus, quum exspectationi non responderent, cuivis pari serierum altera lamina cuprina addita est; ita ut quævis cellula, *compartiment,* laminam zincinam et duas cuprinas includeret. Superficiei cuprinæ apponebatur superficies zincina, et cellulæ columnæ numero erant viginti et una; summa autem earum capacitatis nonaginta quinque *Gallons* (1), erat. Singulo columnæ polo agglutinatur tubus plumbeus cujus diameter tres circiter quartas pollicis adæquat, et extremitas cujuscumque tubi in pelvim mercurii plenam immergitur. Sua cuique pelvis est tubo, qui circuitum electricum complet, et contactum perfectiorem et certiorem reddit. Quibus ita institutis, si duo fila diverso metallo confecta, ejusdem diametri et longitudine æqualia, in circuitu electrico collocentur, ita ut una ex extremitatibus utriusque fili in contactum veniat cum una pelvi mercurii cum polis columnæ communicante, et altera extremitas sic recurvata ut filorum continuitas stabiliri possit, iisque ad

(1) *Gallon,* æquat quatuor pintas gallicas.

invicem adjectis, tum effectus facultatem comparativam, qua diversa metalla ignescunt et funduntur, determinant, v. g., aurum et platinum, ignitio platini; aurum et argentum, ignitio auri; fusio metallorum et oxidorum metallicorum; platini, oxidi urani, titani, tungstenii.

Nihil hucusque certi prodiit contra theoriam ex qua metallorum contactus æquilibrium destruit, quod chemicæ mutationes restituunt. Quamdiu igitur decompositiones fiunt, tamdiu actio perstat. Sic ubi intensiori salina solutione aquæ conductibilitas augetur, aut columnæ onus crescit, persæpe hydrogenium avolat, statque decompositio quasi gazis liberatione exhausta. Omnis autem compositio autecedentem decompositionem ponit; quoniam materia ex combinatione non egressa sese combinare non potest. Ubi itaque fluidum electricum uni alcali acidum jungit, caloricum hydrogenio aquæ locum præbet; tumque hydrogenium sese implicat et caloricum liberatur. Idem fit in omnibus circumstantiis, quibus materia in activitatem ingreditur.

Discernenda autem est vis columnæ chemica ab ejusdem electrica; utraque enim non semper est in eadem congruentia, neque vero unius cognitio ad alterius cognitionem necessario confert. Columna quæ octoginta paribus constat, si cum acido conjungatur, statim potassam aut sodam decomponit; ubi vero sexcentorum parium aqua vel etiam dissolutione sulphatis sodæ composita est, eumdem effectum non procreat, licet longe majorem tensionem habeat. Magnum præterea discrimen circa columnæ effectus animadvertitur si duo fila ex platino confecta cum ejus polis communicantia, in aquam immergantur puram, aut quæ dissolutionem salinam, alcalinam, acidam continet. Gazis enim major copia obtinetur cum in aqua ali-

quis sal inest, quam quum pura est, major etiam quum acidissima est, quam quum minus acida. Atqui cum constet acida melius conducere quam alcalia et sales, hæc autem melius quam aqua, probabile est conductibilitatem plus minusve magnam istorum liquidorum causam esse ex qua hujusmodi effectus penderent.

Chemici Gay-Lussac et Thénard experimentis probarunt columnæ effectus quantitate gazis quod obtinetur, mensuratos, non ut numerum parium crescere. In prima experientia, duplicatis paribus, effectus non duplicabatur, et nonnisi auctis octies paribus id obtigit. Secunda, tertia et quarta experientia effectus, qui ab hac lege haud sensibiliter distant, attulerunt. Igitur columnæ effectus mensurati quantitate gazis quod producit, fere proportionales sunt radici cubicæ numerorum laminarum. Unde magni momenti consequentia duci potest. Ponamus enim columnam viginti parium facultatem habere corpus uti aquam dissolvendi, manifestum est melius esse, si columnæ instituantur remotæ, quæque viginti paribus composita, quam si invicem in extremis suis partibus uniantur. In priori casu effectus erit proportionalis numero columnarum, in altero solummodo radici cubicæ istius numeri. Multi igitur occurrunt casus in quibus commodius est parvis uti columnis; occurrunt vero etiam nonnulli in quibus maximis uti debemus, vel iis quæ multis paribus componuntur. Quod imprimis est agendum, quum elementa, quæ non nisi permagnæ vi repulsivæ cedunt, sunt segreganda.

Haud parvi erat momenti determinare quæ interesset relatio effectus columnæ inter et superficiem parium, quibus columna componitur. Quapropter adhibitæ sunt binæ columnæ viginti parium, quarum alterius superficies ad alterius superficiem

erat ut 1 ad 19, 7. tribusque deinceps in unaquaque columna peractis experimentis, utriusque columnæ eodem parium numero constantis effectus fere in proportione cum earum superficie reperti sunt. Præterea ex pluribus experimentis a diversis physicis imprimisque a claro Fourcroy institutis effectum est columnas latas certæ altitudinis effectus non magis mere electricos quam angustiores producere, quippeque commotionem, electrometrorum discessum, scintillas efficiunt. Latæ autem columnæ multum calorici sub caloris forma evolvunt: quæ proinde ad effectus producendos magis accommodantur ubi nimirum hæc ultima calorici modificatio adhiberi debet.

Deinde comparati sunt columnæ effectus diversis liquidis compositæ, cum tensione ejus electrica, viginti tantum paribus adhibitis, statera Coulomb et condensatore maxime sensibili. Ac primo quidem columna acido nitrico instructa est. In hoc casu, post contactum brevissimum inter catillum superiorem condensatoris et unum ex polis columnæ, condensator adeo onerabatur, ut ex eo scintilla maxime visibilis extrahi potuisset. Columna dimidia jam ab hora et plus instructa erat; et tensio ejus electrica eadem semper remanebat. Quæ non nisi autem evolutis tribus circiter horæ quadrantibus sensim sensimque imminui cæpit; tamen actio chemica non nisi viginti minutis perduravit; quæ saltem post hoc temporis spatium fere omnino evanuerat. Hæc anomalia forsitan explicari posset si admitteretur, cum columnæ actio deficiebatur chemica, temporis spatium quo contactum cum uno alterove ex ejus polis habebat condensator, maximam in quantitatem electricitatis, quam condensator sumebat, vim exercere. Porro quum accurata inter machinæ polos communicatio instituitur, tum electricitas circulat quin tamen ullum, qui videri possit, effectum producat. Sin resistentiam in transitu suo patiatur, tunc actione chemica,

luminis aut caloris, aut etiam utriusque emissione sese manifestat. Si itaque scapus metallicus uno, alterove machinæ polo conjungatur, et deinde extremum ejus in pelvim mercurio plenam, cum altero polo communicantem, immergatur, superficiebus in contactum adductis, statim emissio fit calorici aut luminis, quæ desinit ut primum ipse scapus volumen sat magnum obtinens, sub mercurii superficie omnino immergitur. Si autem circuitus duobus carbonis ligneis frustis, compleatur, tunc evolutio calorici et luminis tamdiu intima est, quamdiu eorum superficies in contactu permanent.

Et revera contactus ille nunquam sat est perfectus, qui electricitate nullam resistentiam opponat. Licet ubi scapus metallicus et mercurius adhibetur, contactus statim perfectus fiat et currens electricus non interrumpatur. Caloris igitur emissioni, quæcumque sit causa hujus phænomenis primitiva, resistentia originem præbet. Quum autem hæc emissio sit in ratione inversa facultatis conductricis, ubi duo quævis fila metallica modo continuo conjuncta in circuitu ponuntur, temperatura pejoris conductoris erectior erit: itaque platinum quod ex omnibus metallis pessime conducit, præ cæteris calefit, deinde ferrum.....

Ubi duo corpora ob tertiam majorem affinitatem decomponuntur, tum relatio electrico-chemica corpus sejungens inter et corpus copulatum intensior est, quam inter istud corpus, et secundum corpus copulatum : tum etiam ignis manifestatio eo major est, quo major est hæc differentia. Exoneratio autem magis est completa in nova combinatione; et corpus præcipitatum dispositionem electro-chemicam intensiorem, quam ante copulationem habebat, a corpore præcipitante recuperare videtur. Phænomena decompositionis partium componentium

conductori affinitate determinantur, qua cum illo sese combinare valent. Quæ affinitas reciproca intererit in corporibus compenentibus, si quidem plura adsint, ex. gr., ubi nitrum decompositionem patitur ammoniaca etiam novarum combinationum cohæsione oritur. Ubi autem acidum nitricum decomponitur, azotum ad polum negativum transfertur, et ope hydrogenii, quod illud ad polum comitatur, ammonium effermat.

Nunc aliquid dicamus de theoria eorum (*dualistes*), qui duo fluida in decompositione corporum ope columnæ electricæ admittunt : quam haud probandam existimamus. Ponunt enim, corpore quod decomponi potest sub actione alicujus columnæ imposito, statim particularum moleculas constituentes, polum positivum inter et negativum sese polarisare; quippe fluidum earum naturale decomponi. Opinanturque molecularum alias positivas fieri, et exadversum polum negativum collocari, alias vero negativas fieri et exadversum polum positivum. Quibus positis compositionem admittunt ultimæ moleculæ unius poli cum cæteris moleculis poli alterius a vicina ad remotiorem procedentis; et vicissim moleculæ ultimæ hujus poli compositionem cum cæteris moleculis instituunt. Sic moleculæ negativæ cum omnibus positivis moleculis a polo positivo ad negativum sese uniunt. Attamen, ni fallor, phænomena electrica ex affinitate quidem pendentia modificatione fluidi electrici oriri facilius intelligitur.

Celeberrimus Davy plurimis experimentis accurate institutis comprobavit statum electricum crescere in ea ratione qua intensitas affinitatum mutuarum corporum. Hic enim status, adhibitis quibusdam cautionibus, in corporibus mutua affinitate præditis oriri, percipique potest. Idem chemicus crebris aliis

experimentis protulit temperatura vim electricam in corporibus sese contingentibus crescere; ea enim, ut constat ex physicis, affinitatem auget. Quod si hic mechanicus contactus chemica compositione sequatur omnia electricitatis signa cessant.

In decompositione liquidorum attractiva unius corporis intensitas cum alterius energia etiam coit; atque sic translatio unius corporis ad aliud fieri ponitur. Rem haud aliter sese habere experimenta quam plurima demonstrant, v. g., in solutionibus alcalinis, per quas acida fuere transmissa, acidi aliquid inventum est. Quod probat ad originem primitivam aliquantulam materiæ acidæ partem remanere.

In separatione partium aquam constituentium, et in solutione salium neutrorum, qui omnem continuitatem efformant, successio decompositionis et recompositionis trans liquidum oriri potest. Experimenta enim hanc sententiam confirmant. Si baryta per acidum sulphuricum, et acidum muriaticum per solutionem sulphatis argenti transmittantur, tunc transmissionis facultas destruitur; namque composita insolubilia efformantur et extra spheram activitatis ponuntur. Ubi igitur fluidum electricum corpora decomponit et recomponit, non aliter ac fornicularum ignis agit; et ignis instar ipse, priusquam corpora recomponat, ea prius decomponere debet. Quum itaque fluidum electricum corpora decomponit, si effectus ejus sit permanens, corporis oxigenium adit, quocum manet; ubi vero recomponit, ab eo separatur; tunc enim hydrogenium liberum vel combinatum, reductum aut oxidatum, calorici locum sumit.

Ex experimentis decompositionis fluido electrico confectis hæc concludunt Hizinger et Berzelius: quum fluidum electricum per liquidum transit, principia hujus liquidi ita ab invicem

separantur, ut alia circa polum positivum, alia circa negativum sese aggregare valeant. Atque absoluta decompositionum quantitas ea ratione crescit, qua crescunt electricitatis quantitates.

Analogiam autem quamdam inter corporum principia quæ circumcirca unum polum sese aggregant, chemici invenerunt. Sic itaque ad polum negativum corpora combustibilia, alcalia, et terræ transeunt, ad positivum gaz oxigenium, acida et corpora oxidata. Relativaque quantitas in liquidorum compositorum decompositione est in proportione affinitatis corporum compositorum et contactus cum conductoribus. Et generatim in corporum decompositione elementa relative magis combustibilia versus polum negativum feruntur, relative autem magis comburentia versus polum positivum. Ubi igitur sulphuretum metalli reducti decomponitur, sulphur versus polum positivum et metallum versus negativum transfertur. Sin chloruretum sulphuris decomponatur, sulphur ad polum negativum, chlorum ad positivum tendit.

Aqua decomponitur in oxigenium et hydrogenium; utraque in aqua haud solubilia; quapropter prius filo positivo, et alterum, combustibile, filo negativo liberatur.

Demum phænomena compositionis et decompositionis ut effectus attractionis plus minusve intensæ corporum, auctaque fluidi electrici modificatione, non immerito haberi possunt.

Instrui potest columna voltaïca aut binis conductoribus et dimidio conductore aut duobus dimidiis conductoribus et conductore. Energia est in ratione differentiæ energiæ combustibilis duplicati elementi; quasi esset in ratione oxidabilitatis illius elementi. Hæc etiam energia in ratione est vis comburentis semi-conductoris, aut ratione conductorum unius in opposi-

tione ad vim combustibilem alterius. Animadvertere enim licet auro, argento et acido muriatico instructam nullum electricæ excitationis signum declarare; cum excitatio permagna sit ubi acidum nitricum loco acidi muriatici adhibetur. Idem obtigit si coeant aurum et platinum, quæ cum acido muriatico non agunt; et cum acido nitromuriatico magnam energiam habent.

Silentio autem transivimus diversas easque plurimas formas, quæ columnæ voltaïcæ datæ sunt, hæc dicere sufficiat eam primitus constitisse accumulatione plus minusve iterata simplicium catenarum, quæ ipsæ componebantur duobus discis metallicis vi combustibili diversissimis, atque a sese invicem disco ex materia quæ in solutione salis imbuitur sejunctorum. Cujusmodi columna maxime omnium idonea, quæ physicos et mechanicos electricitatis effectus producat. Varie etiam distribuitur columna voltaica. Scilicet in columnam coronatam, in columnæ pateræ lobulorum instar confectam, in columnam cum lebetibus, cum tubis aut cum loculis. Deinde vero feliciter excogitatum est ut majore extensione, formaque quadrata primitivæ columnæ disci adhibita, effectus notabiliores exorirentur.

Columna cujus inter polos processus antichemici sunt, ad polos suos et ad polum positivum maxime chemicam actionem exercet. Oxigenium autem quod parte combinata electricitatis in statum negativum promovetur, ad coalescendum tendit cum corporibus combustibilibus, quæ polum istum producunt, et quidem propendit ad intimam cum comburentibus corporibus combinationem. Hydrogenium vero positive accumulatum propter suam fluidi partem qua oneratur, æque ad sese uniendum vergit cum corporibus relative comburentibus, quæ in hoc polo reperiuntur, ac præsertim cum adjuncto calorico

unienda sunt. Quod de oxigenio et hydrogenio, idem quoque de cæteris omnibus corporibus comburentibus, tum absolutis, tum relativis obtinet. Præterea chemica est actio columnæ, cum fiunt combinationes caloris instar et propriæ ejus scintillæ explosione. Illud autem nonnisi in explosionis distantia oritur, et in eo puncto quod duos inter polos jacet, ubi decomponuntur corpora. Atque columnæ actio multo intensior et diuturnior foret, si cum corpus decomponit, tum simul aquam decomponeret; unde accrescit sublati fluidi quantitas. Illud sane mirum est aquam ita decomponi exacta proportionis cum disjunctis elementis ratione. Ex quibus elementis unum versus polum positivum oxigenium comitem habet, alterumque hydrogenium versus negativum.

In reductionibus autem ad verisimilitudinem accedit aquæ decompositæ hydrogenium, adjuvante fluido electrico, illum effectum operari, aquamque inde ortam ut subsidiariam decomponi. Si aqua in salibus non æque decomponeretur, haud, temere, crediderimus eam oxidorum reductioni inservire. Sed omnibus in casibus illud obtinet. Hoc modo quidem ex acido nitrico libero et debili vel leviter implicato ejus hydrogenium ammoniacam cum hujus acidi azoto format, atque ubi sales decomponuntur ex ejus oxigenio versus polum positivum efficiuntur oxida, quibus acida coalescunt.

Nisi hydrogenium ad polum positivum cum pervenit, fluidum electricum sibi adjunctum haberet, multo plures combinationes efficeret, sed ab altera parte per se ipsum multo minori reducendi vi gauderet. Oxigenium ipsum, ubi polum positivum contigit, si calorico deficeret, in statu suo gaziformi multo plures combinationes produceret; sed illuc calorico saturatum advenit, atque in statu naturali onustionis vel solum

negativo ratione hydrogenii, quod a polo recedit ad quem oxigenium tendit.

Animadvertitur quoque ex hoc oxigenio superoxida etiam facilius obtineri quam oxida; et adhibitis oxidis superoxida, quæ alia ratione superoxidorum naturam induere non potuissent. Itaque non in usum vocanda est aqua ut humidæ interpositiones compleantur; sed ut fluida ad chemicas reactiones impellantur, et fortasse etiam ut ejus auxilio via translatoria habeatur, atque ut impediatur ne rursus fiat elementorum compulatio.

Fieri etiam potest ut fluidum electricum, cum non possit non nisi leviter corpora, quæ liquida non sunt, perstringere, neque corpora aquæ substrahere, eam decomponere cogatur, ut hæc attingat. Atque corporum fusorum decompositio per caloricum, veluti muriatis sodæ in chlorum et in sodium multum ad hanc explicationem confert. Attamen aquæ concursu corpora decomponit quæ in hoc liquido absolute insolubilia videntur, et quorum profecto plus minusve solutionem excitat. Dicere quoque licet aqua irrorationis, fusionisque calorico juvari fluidi ductum, motu in retardatione requisita.

In universum satis commendata est hæc opinio, columnæ fluido nullam aliam originem adscribi, quam inter duo corpora contactum, quæ combustibilitate diversa gaudent. Ita sentit doctus physicarum scientiarum professor Sentelet. Intelligitur autem in hujusmodi hypothesi fluidi electrici activitatem in corporum decompositione effectui mere mechanico tribuendam esse. Etenim cum ponitur fluidum cum corpore comburente intime copulari, ut corpori combustibili substrahatur, non unde profluat apparet, ut jactura resarciatur. Atque propterea solum

quod libertati restituitur, vel independenter a sua cum calorico combinatione liberum fit, sustinendum est oxigenium a metallo per columnam disjunctum ultro ad statum gaziformem transire.

Quum olim ignoraretur, columnam isolatam eodem modo agere ac columnam cum terra coeuntem, tunc huicce communicationi illius sumptuum reparatio assignabatur; hodie vero cum eidem constans hæc electricitatis origo tribui nequeat; probata quidem materiali columnæ per energiam ejus chemicam defectione, illius phænomenis causam aliam quamdam investigare debemus in eo chemico processu qui in columna habetur; quique fontem perennem suppeditat calorici in fluidum electricum sese convertentis, quamdiu processus, quicumque ille sit, sese continuat. Quæ origo cum a terra aliena sit generale æquilibrium non rumpit, neque magis detractione quam adjectione; quoniam fluidum, simul ac oritur, continuo coalescit.

Præterea animadvertimus energiam chemici processus qui in columna obtinet, una cum energia processus antichemici, aut decompositionis, quæ inter polos locum habet, progredi, atque media hujus decompositionis eo esse celeriora, quo media oxidationis metalli positivi majorem vim habent. Hæc autem quæ natura lenta est oxidatio decompositionibus actuosa fit; si nimirum liquidum stabiliatur, simul atque formatur, sicque continuo efformationis, oxidationisque necessitas renovetur. Numquid vero electricitatis evolutio postulat, ut corpus liquidum, ubi inter duos conductores intercedit in unum ex hisce conductoribus chemice agat, aut utrumque liquidum, si corpore solido ab invicem separentur, unum in alterum agat?

quænam etiam esset chemicæ ejusmodi actionis necessitas, si effectus qui oriretur pure physicus esset?

Petere etiam volumus ab iis qui columnæ actionem mere physicam tribuunt caloricum utrum, et lumen, quæ evolvuntur tempore inflammationis gazorum et aquæ per columnam decompositione ortorum, aliunde nisi ex hoc ipso apparatu oriri queant. Hujusmodi actio mechanica, inesse deberet in eo repulsu, qui in corporibus similiter electrisatis, et in attractione inter alia corpora opposite electrisata obtinet. Neque vero haud mirum in priori effectu similes corporum partes potius quam dissimiles a se invicem non separari et qui fiat ut hæc repulsio cohæsionis, potius quam decompositionis renixum vincere non debeat.

Statum electricum positivum calorico, et luminis statum electricum negativum, et calorico electrisationem vis excitandi adscripta est, quæ electrisatio vitrea dicitur, et lumini electrisatio resinosæ. Præterea dictum est probabile esse in corporum decompositione electricitatum alteram, vel quæ positiva dicitur, quæque acidorum characterem præfert, cum corpore comburente alteram vero vel quæ negativa audit, et quæ oxidorum characterem exhibet, cum corpore combustibili combinari. Tales explicandi rationes potius obscuræ quam in aperto theoriam proferant, nobis videntur; manifestum enim est lumine caloricum usque ad statum electricum tendi posse; sicut et luminis intensitas calorico deprimi potest, donec ad hunc ipsum statum electricum transierit. Atque insuper infinitus intermediarum tensionum numerus extremos inter luminis et calorici gradus interest; quorum nempe intensitas minor est. Hæc intensitatis diversitas diversis corporum, quæ directe decomponuntur, effectibus accommodari potest, quæ corpora decomponenda omnia

majorem, minoremve evolutionem accipere possunt, prout longa, angusta, alta vel depressa columna est. Atque illud tum maxime evenit ubi via, qua permeat fluidum, plus minusve vi conductrici gaudet. Hæc intermedia, quæ contingunt, phænomena haberi possunt tamquam permixtiones diversis proportionibus subactæ, quibus tamen proportionibus determinatæ calorici, luminisque tensionis rationes inesse possunt. Electricitas negativa vero ubi cum corpore, quod in composito quodam corporis comburentis vicem instituit, combinatur, atque electricitas positiva cum corpore copulatur, quod corporis combustibilis vicem in corpore supplet; cum vero admittitur duplicis illius status materiam eamdem esse, statumque negativum in fluido rariore, et statum positivum in fluido densiori consistere, tum simpliciter phænomena illa explicantur.

In solitis autem decompositionibus, majus combustibile in debilioris locum sese substituit, neque vero cum eo copulatur; quod idem fit in comburentibus. Neque etiam electricitas aut caloricum cujusvis tensionis hanc duplicem copulationem inire debet; sed tantum circa corpora comburentia corporis combustibilis locum capit.

Præterea multoties electricitatis formatio nos fugit, quippe quæ corporum superficiem perlabens, eaque luminis instar non dilatans, neque uti lumen, ea reddens visibilia, neque ullis, qui oculis percipi possent, effectibus præsentiam declarans omnem prorsus attentionem effugit. Dicere autem possumus in electricitate lumen dilatantem calorici vim, et vicissim caloricum vim luminis illucentem adimere.

FINIS.

IX.

BERNARDI DE SAINT MOULIN

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM BOTANICAM.

BERNARDI DE SAINT MOULIN

EX HOUDENG-AIMERIES,

FACULTATIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM IN ACADEMIA LOVANIENSI STUDIOSI

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM PHYSICARUM ET MATHEMATICARUM PROPOSITAM:

Disseratur de Plantarum structurâ et enucleentur ex Physiologicis et Chemicis præceptis Processûs vegetationis capita maxime memoranda.

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT VII. IDUS OCTOBR. MDCCCXX.

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas.
HORATIUS.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM BOTANICAM.

DE STRUCTURA PLANTARUM.

Cum omnia corpora naturalia in organica et in inorganica dividantur, necesse est ut horum corporum comparationem et differentias primum exponam.

Animalia et vegetabilia ad organica, cætera ad inorganica spectant. Corpora inorganica tantum crescunt per juxta-positionem, organica autem per intus-susceptionem. Sed organica inter se differunt. Animalia crescunt, ut dixi, per intus-susceptionem, vivunt et sentiunt; vegetabilia autem eodem modo crescunt, vivunt et sentiunt. Eorum autem differentia in diverso genere sensibilitatis consistit: Animalia utroque sensibilitatis genere, scilicet organico et animali prædita sunt, vegetabilia autem tantum organico.

Sensibilitas organica ea est quæ impressiones recipit, quarum conscii non sumus; functionibus organicis præest, itaque et vegetabilibus et animalibus communis. Sensibilitas vero animalis impressiones recipit, quarum conscii sumus; functionibus omnibus animalibus præest, itaque tantum animalibus propria. BICHAT.

Sed optima differentia inter corpora organica ab eorum compositione petenda est: vegetabilia carbonio et productis oxygenatis ad fermentationem vinosam transeuntibus; animalia vero phosphate calcis et productis azotatis ad decompositionem putridam pronis abundant.

Botanica est cognitio principiis acquisita hujus partis historiæ naturalis quæ omnia vegetabilia complectitur. In partes tres præcipuas vulgo distribuitur, Anatomicam, Physiologicam et Chemicam.

Planta est productio naturalis organica, vulgo terræ adhærens et in cujus compositione carbonium et oxygenium abundant.

Omnes partes solidæ necessario e fluidis ortæ sunt. Sed ut liquidum fieret solidum, aqua, vi calorici mutata, in elementa sua, oxygenium et hydrogenium resolvenda fuit: hanc decompositionem lux, calor et electricitas peragere debuerunt.

Dum aqua mucum organisabilem continet, actione magnorum vitæ vegetabilis irritantium, formæ oriuntur, quæ omnibus in primordiis semper eædem occurrunt. Hæc forma duplex est: hydrogenium ex aquâ primum sese evolvens, quippe cum solutioni exiguâ vi adhæreat, globulos et vesiculas format; oxygenium quod postea secedit, radios, tubulos: fibras et formas rectilineas producit.

Cum itaque hydrogenium prius secedat, formatio globosa

aut vesiculosa in regno vegetabili prius nascitur, quam forma rectilinea, fibrosa, tubulosa et membranacea. Sic opinatur Sprengel.

Plantæ magnâ ex parte constant cellulis, quæ telam cellulosam efformant. Tela cellulosa est aggregatio vesicularum membranacearum et pellucidarum: quæ mutuâ pressione, quam crescendo in invicem exercent, fiunt contiguæ et formam induunt variam, vulgo angulosam, quare nunc hexagonæ, nunc tetragonæ, nunc elongatæ et irregulares apparent. Plerumque succos, sæpe autem nil nisi aërem includunt.

In organisationibus inferioribus tela ista sæpe admodum indistincta est, nonnunquam autem magnà cum regularitate sexangularis aut globosa.

Cellulæ superficiales planorum viridium per rimas aut poros regulares cum aëre externo communicant.

Cum forma cellularum maxime obvia sit hexagona, liquidum, quod circumdat cellulas, in ipsarum angulos defertur; unde oriuntur ductus prismatici, meatus inter-cellulares dicti, qui, cum humoris plantæ copiâ admodum dilatentur, efformant vasa propria. Spatia ista et meatus parietibus propriis carent.

In plantis aquaticis cellulæ parenchymatis amplæ et irregulares occurrunt, quæ nil nisi gasa continent et lacunæ vocantur: laceratione parenchymatis cellularis produci videntur.

De parietibus cellularum, ex theoriâ earum originis maxime probabile est, parietem qui duas cellulas sejungit, duplicem esse debere: quod e. gr. in maximis cellulis cucurbitæ conspicuum est.

In telâ cellulosâ inveniuntur corpuscula rotunda, modo omnino pellucida, modo semipellucida, miræ tenuitatis, quæ variant pro plantis et quandoque in eâdem plantâ. Tria genera horum globulorum distinguuntur.

Primi globuli, vulgo minores, sunt corpora rotunda, admodum pellucida, formæ plus minusve regularis, quæ non nisi in cavitatibus cellularum, præsertim plantarum juniorum et cotyledonearum adsunt. Hi globuli fæcula vocantur et amylum constituunt.

Secundi globuli minores et magis irregulares, quos Link materiam colorantem resinosam nuncupat, parietes cellularum inducunt. Hæc materia viridis plantarum colorem viridem causatur.

Tertii globuli corpora sunt rotunda, admodum tenuia, diversi coloris in diversis plantis, in succo proprio meatuum intercellularium et vasorum propriorum; cellurarum futurarum videntur esse rudimentum.

E telâ cellulosâ non omnes quidem sed tamen plurimæ partes plantæ formantur. Tela cellulosa vocatur Parenchyma, si succulenta liquidisque coloratis ac propriis repleta est. In superficie plurimarum plantarum tela cellulosa constituit corticem et in earum medio medullam. Continetur etiam in foliis, abstractis venis et nervis. Maxima pars fructuum carnosorum et lignosorum e telâ cellulosâ constant.

Tela cellulosa evadit composita, si cellulas format aërias, verbi gratiâ, in medullâ sambuci.

Tela cellulosa succos non sorsum agit, exceptis tamen infimis plantis, ubi nulla alia forma conspicua est. Cum vero suc-

eos revera excipiat, eosque aliis cellulis communicet, nec poris visibilibus instructa sit, concludendum est communicationem invisibilem adesse quæ persudatio organica vocari potest.

Cellulæ elongatæ libri et ligni essentialiter inter se et sensu anatomico differre non videntur; quare simul tractantur. Cellulæ elongatæ libri formant partem internam plantarum parenchymate duriori præditarum, et arborum; cellulæ ligni basim corporis lignosi sistunt.

Ab aliis cellulis tantum differunt formâ magis elongatâ in sensum perpendicularem, meatibus intercellularibus majoribus, et in eo quod parietes superiores et inferiores deflectantur plus minusve a directione horizontali.

Cellulæ libri et ligni in plantis minus perfectis absunt, in quibus totum parenchyma cellulis plus minusve elongatis formatur, quæ nullo modo ad cellulas elongatas plantarum perfectarum accedunt. In plantis annuis cellulæ libri sæpius non nisi contractione diametri horizontalis, et elongatione diametri perpendicularis distinguuntur: in iis igitur adsunt sed modo irregulari.

Cavitates harum cellularum ætate provectiori propemodum omnino obliteratæ sunt et deletæ, ita ut in sectione horizontali trunci non nisi puncta opaca orâ semipellucidâ circumdata appareant. Hæc obliteratio fit, ut videtur, concretione membranarum parietum harum cellularum, ita ut parietes interni sese tandem contingant et punctorum opacorum aspectum assumant.

Cellulæ libri plerumque sub telâ cellulosâ corticis sitæ sunt, et librum in plantis constituunt. Cellulæ libri et ligni quoque

inter se meatibus intercellularibus eodem modo ac inter cellulas parenchymatis medullæ dispositis instruuntur, qui magnitudine admodum differunt. Cellulæ elongatæ vasa lymphatica constituere videntur, sed nondum constat.

Cellulæ elongatæ circumdant vasa propria et vasa spiralia, et hæc duo loca semper occupant sive in plantis herbaceis sive lignosis. Cellulæ libri formant fibras corticales, et circulus harum fibrarum partem ligno viciniorem constituens, liber audit. In medio fasciculorum harum cellularum vasa propria plantarum lactearum et resinosarum formantur. Solâ dilatatione meatuum intercellularium produci videntur.

Cellulæ ligni etiam fibræ lignosæ audiunt; observatur metamorphosis successiva fasciculorum cellularum elongatarum vasa spiralia circumdantium in corpus lignosum.

Liber igitur tantum hisce cellulis elongatis in fasciculos agglomeratos dispositis, et radiis medullaribus intertextis construitur. Corpus lignosum pariter nihil est nisi coagmentatio fasciculorum cellularum elongatarnm radiis medullaribus intertextarum et vasis spiralibus repletarum.

Cellulæ elongatæ eamdem ac cellulæ parenchymatis structuram habentes, quoque poris orbæ sunt.

Radii medullares, sola organa elementaria quibus planta crescit in sensum diametralem, sunt fasciæ verticales, variæ latitudinis et densitatis, quæ percurrunt truncum arborum a cortice ad medullam, et quæ sic formant in sectione horizontali lineas plus minusve latas, quæ percurrunt *diametraliter* corpus lignosum et corticem, semper corpus lignosum comitantur, et ubi lignum, ibi radii medullares adsunt.

Radii medullares in magnos et parvos dividuntur: nunquam in medullâ reperiuntur. Nascuntur in circulo cellularum elongatarum, quæ medullam circumdant et in cortice terminantur. Eorum fabrica simplicissima est, tantum formantur cellulis elongatis quæ crescunt *diametraliter* a medullâ ad corticem. Radii medullares quoque meatibus intercellularibus instruuntur.

II. Canales et tubuli, quorum parietes e fibris tenerrimis spiralibus consistunt, secundam constituunt formam primitivam. Tracheæ spirales vel vasa spiralia audiunt hæc organa, quæ formantur per fibram in spiram convolutam aut in annulum agglutinatam, quorum spiræ quandoque simul glutinantur, aut simul conjunguntur per membranam punctatam, quæ uno aut alio modo speciem monstrant ductûs rotundi, magnitudinis quæ illam cellularum superat; quæ præterea transeunt per totam longitudinem plantæ a radice ad florem, et quæ nunquam in cortice aut medullâ reperiuntur, sed tantum in medio eorum, conferendo præcipue ad formationem corporis lignosi in lignis. Vasa quoque audiunt, quia eorum forma in genere cylindrica est, sed in nodis interrumpitur. Eorum diameter variat pro ætate; pro diversis plantarum partibus, et pro diversâ earum naturâ.

Hæc forma primitiva minus frequenter occurrit, plane abest in organisationibus inferioribus usque ad Filices. In juveni plantâ vasa spiralia offeruntur quamprimum plantula radices egit. Dum altiores plantæ crescunt, hæc forma semper inter medullam et corticem, una cum cellulis elongatis intime sese colligit, per frondes et petiolos folia intrat, ubi nervos et venas format; per pedunculum in flore sese expandit, cujus tela venosa ex iisdem Tracheis Spiralibus magis magisque di-

visis consistit, usque dum solitariæ versus marginem petalorum sese subducunt et evanescunt. In organis sexualibus constanter adsunt, sed tenuissima et tenerrima. In fructus quoque tracheæ spirales penetrant.

Vasa spiralia organum perfectissimum inter organa elementaria efformare videntur: quare partem plantæ maximi momenti efficiunt. Vasa spiralia in fasciculos vulgo disponuntur, quorum singulus triginta vasa et ultra continet: in arboribus quovis anno novis fasciculis augentur; eorum structura maximam meretur attentionem, quippe cum præcipuam plantæ organisationem sistant, e quibus vires vitales enasci videntur. Semper cellulis elongatis circumdantur, quibuscum nullo modo communicare videntur. In plantis vetustioribus cavitates horum vasorum telâ cellulosâ plus minusve obstructæ reperiuntur.

Vasa spiralia in situ naturali nullum liquidum continent, tantum fluida aeriformia includunt.

De structurâ vasorum spiralium sequentia probavit Kieser.

Una aut plures fibræ, sæpius rotundæ, quandoque, ut videtur, leviter applanatæ, sese convolvunt circa spatium vacuum, ad se omnino accedendo et sese contingendo (in plantis juvenibus et quibusdam adultis) aut spiras ab invicem removendo et interstitia supplendo, modo membranâ punctatâ (in plerisque plantis et in omnibus arboribus) modo ramis qui à spiris ipsis proveniunt.

Fibræ spirales, quæ vasa spiralia componunt, tenacissimæ sunt et elasticitate præditæ videntur: harum diameter plurimum variat. Spiræ fibris spiralibus productæ nunquam ætate

juveni ligatæ sunt. Spirarum directio modo dextram modo sinistram versus tendit. Vasa spiralia semper in internodiis simplicia et absque ramificatione occurrunt, sed in nodis interrupta ramificantur et vasa moniliformia producunt, de quibus infra.

Vasa spiralia crescendo plures mutationes subeunt: vasa spiralia in simplicia et annularia, hæc in punctata, ramificata, reticularia et in moniliformia abeunt.

Simplicissima vasorum spiralium forma et fabrica in vasis spiralibus simplicibus adest, quæ non nisi unâ aut pluribus fibris spiralibus contiguis et sic intertextis, ut cavitas ibi efformata sit rotunda, construuntur; plantæ inferiores dum vasa spiralia habent, iis tantummodo gaudent. Annularia autem fibris annularibus efformantur, i. e. fibris in annulum agglutinatis, paribus intervallis supra lineam perpendicularem inter ordines cellularum dispositis, sic ut pariter remaneat ductus cylindricus. Originem dant vasa simplicia et annularia vasis punctatis, ramificatis, et reticularibus, solaque prope medullam in fasciculis vasorum sita sunt. Tracheæ punctatæ formantur unâ aut pluribus fibris rotundis aut leviter applanatis, quæ dum sese convolvunt modo trachearum simplicium circa spatium rotundum, aut dum sese in annulos agglutinant, inter spiras interstitia relinquunt plus minusve larga, repleta membranâ plus minusve densâ et pellucidâ, prædita punctulis ellipticis, modo opacis, modo perforatis et pellucidis. In his tracheis spiræ fibræ spiralis nunquam sunt contiguæ, sed semper ab invicem remotæ.

Tracheæ ramificatæ et reticulares efformantur unâ aut pluribus fibris spiralibus, quarum spiræ contiguæ in juveni plan-

tâ, ab invicem removentur ætate maturâ, et quarum intersti-tia partim replentur novis ramis, qui a spiris primitivis oriuntur. In maximâ perfectione aspectum reticuli maculis oblongis referunt, et sic merito ramificatæ et reticulares audiunt.

Tracheæ moniliformes in his plantæ partibus reperiuntur, ubi ejus accretio perpendicularis retardata est, et ubi directio primitiva et perpendicularis plantæ, cellulas elongatas producens, horizontaliter deducitur; cellulas breviores et formæ mutatæ efformandi causâ. Sic tantummodo hæ tracheæ in nodis culmi et radicibus tuberosis reperiuntur. E tracheis spiralibus simplicibus, punctatis et reticularibus originem ducunt, et nil aliud sunt quam hæ tracheæ nodi qualitatibus immutatæ: efformantur constrictionibus in vicinia nodi intervenientibus; tracheæ spirales certis spatiis subeunt strangulatus, qui dum fiunt in ipsis nodis acutiores, ibi vas dividunt, et ex eo utriculos oblongos unus supra alium insertos formant, ita ut omnino aspectum vermium tortorum et articulatorum offerant; quandoque implexus reticulares formant.

Cum non nisi varietates et mutationes trachearum spiralium verarum sint, eamdem quoque distinationem habent. Cum enim nullos succos, sed aerem vehant, pro organis transitionis liquidorum in fluida elastica, seu pro organis formationis aeris haberi possunt.

Organa elementaria vegetabilium huc usque fere absque ullâ relatione inter se et cum systematibus plantæ consideravimus: ut melius intelligantur functiones organorum elementarium et systematum plantæ, quædam adjici de fabricâ anatomicâ, systematum vegetabilium necessarium videtur.

In vegetatione duo sunt systemata generalia; cætera sunt

modi aut subdivisiones. *Originaria* duo systemata sunt systema cellulare et fibrosum seu vasculare. Cellula cum sit forma primitiva et elementaris vegetationis, systema cellulare secundi est ordinis; systema autem vasculare primi. Plantæ quæ non nisi cellulis et earum partibus constant, plantæ inferiores audiunt; plantæ verò vasis spiralibus præditæ, plantæ superiores vocantur.

Systema cellulare omnia organa elementaria vegetabilium complectitur, quæ tantum cellulis construuntur, et quæ solummodo a cellulosâ formâ dependent. Continet igitur cellulas parenchymatis et medullæ; radios medullares, libri et ligni cellulas elongatas, meatus intercellulares, vasa propria et lacunas. Systema vasculare organa elementaria continet, quæ independenter a fabricâ *originariâ* et cellulari ad formationem elaboratam nituntur, et quæ modo systemati cellulari plane alieno effórmantur. Huc referenda sunt vasa spiralia cum eorum subdivisionibus in vasa spiralia simplicia, annularia, punctata, ramificata et reticularia, et ob fabricam conspicue vascularem, pori.

DE VEGETATIONIS PROCESSIBUS EX PHYSIOLOGICIS PRAECEPTIS ENUCLEANDIS.

Planta est, ut supra dixi, corpus organicum vivens, sensibilitate organicâ et facultate sese regenerandi præditum, motu spontaneo orbatum, quod crescit et sese nutrit per intussusceptionem ope aliorum corporum quibuscum in contactum venit, vel quibus adhæret.

Sæpius et generaliter quatuor in eâ partes diversæ conspicuuntur : radix, caulis, folium et fructificatio. Radix est pars infima plantæ, versus centrum terræ tendens. Radices in nonnullis plantis inferioribus desunt. Dantur etiam plantæ quarum radices in aquâ natant, quin terræ adhæreant. Radix vel est profunda, vel superficialis, vel ad summam soli superficiem, aut sub aquâ. Organi absorbentis vices gerens plantæ suppeditat materiem nutritivam. Duas habet partes, rhizoma vel corpus, et radiculas. Radicula fibrillis constat, quæ siphonis vices agentes, succos nutritivos in interiori terræ parte hauriunt. Radix est annua, biennis vel perennis.

Præcipuæ radicum formæ sunt : fusiformis, tuberosa, palmata, bistorta, truncata, articulata, fasciculata, granosa, comosa, fibrosa et bulbosa, quæ squamis plus minusve pressis composita. Tres dantur species bulborum; sunt solidi, tunicati vel squamosi. Directio radicum est perpendicularis, horizontalis vel obliqua. Conveniunt radices cum truncis in eo, quod organisatio sit fere eadem. Differunt respectu incrementi in eo, quod trunci crescant in omnibus suis partibus; radices vero tantum in extremitate producantur. Trunci versus cœlum tendunt, radices versus centrum terræ. Frustra expertum est hanc tendentiam invertere. Vis radicum immensa : profunditas earum et magnitudo non semper proportionata est altitudini et crassitiei caulis.

Caulis est pars plantæ quæ e collo radicis exit et quæ supra terræ superficiem assurgit directione plus minusve verticali, sive se propriis viribus erigat, sive aliis corporibus se adnectat : erigit folia et fructificationem. Caules simplices sunt, aut in alios tenuiores divisi, foliis præditi aut orbi. Plantæ quoque dantur acaules.

In caule considerandæ sunt structura et functio. Caulis arborum componitur 1°. epidermide 2°. cortice 3°. libro 4°. alburno 5°. ligno et 6°. medullâ.

Epidermis est membrana tenuissima quæ omnes plantarum partes molles parenchymate cellulari præditarum obtegit, abest in plantis minus perfectis, tantum copiam cellularum minus elaboratarum continentibus, et in cortice duriori et vetusto arborum. Coloris varii est pro ætate, climate et solo; ejus fibræ perpendiculares sunt fibris corticalibus, sed horizontales in *Ceraso;* ætate destruitur; conspersa est poris, scilicet parvis orificiis transpirationi transitum concedentibus; impedit quominus textus cellularis corticis nimium evaporetur.

Epidermis, cum sit membrana exterior, quæ telam cellulosam plantæ operit et per quam communicat cum aëre, ejus functio tantum potest esse aërea. Consequitur ex experientiis *Sennebier, Desausure*, et relationem haberi inter plantam et aërem qui eam circumdat. Die et quidem exposita lumini plurimarum candelarum (*Decandolle*) planta amittit de suo oxygenio, quod atmosphæra recipit; noctu autem planta oxydatur, et atmosphæra desoxydatur. Hic processus chemicus ab impulsione solis et terræ dependet. Hæc operatio, ope pororum, pilorum et vasorum lymphaticorum ad poros conducentium peragitur.

Cortex est parenchyma exterius prope epidermidem situm, quod constituitur per parenchyma primitivum plantæ, cellulis hexagonis vulgaribus constans, separatum in arboribus fasciculis cellularum elongatarum libri. Semper coloris est viridis in junioribus plantis, meatibus intercellularibus et vasis propriis instruitur. Circumdat omnem superficiem plantæ a

radice ad folia, cum medullâ communicat ope radiorum medullarium, regeneratur, et transpirationi insensibili transitum præbet. Functio corticis cellulosa est et tantum vivens et alens, i. e. succos haurit et eos præparat, ut incremento plantæ inserviant. Videtur species separationis diversarum materiarum succi, mediante reciprocâ cellularum actione organicâ, locum habere in cellulis, per quam, ut in processu chemico pars vertitur in amyli grana ad nutritionem plantæ, pars alia in materiam colorantem viridem, quæ parietes cellularum densat. Color viridis corticis maximè intensus est in cellulis luci expositis. Hic annulus cellularis quodammodo est corpus glandulosum; materiam transpirationis ab aliis fluidis sejungit; in ejus telâ actioni luminis subjectâ, operatur decompositio gasis carbonici. Circumdat ramos, ramulos, caules, occupat in foliis spatia inter nervos contenta, etiam ad radices se extendit, sed colorem viridem non servat, nec decomponit gas carbonicum.

Dum rescinditur planta juvenis, fere semper reperitur magna quantitas globulorum admodum exiguorum. Globuli isti minimi ad humorem meatibus intercellularibus contentum pertinent, et cum humor coloratur, color ab his globulis dependet. Hi globuli novarum cellularum in quas transeunt, sese dilatando sunt rudimentum. Hic succus est origo vitalis omnium novarum formationum plantæ et meatus intercellulares sunt hujus succi receptacula. Cum nulla alia dentur in plantâ humoris receptacula, præter meatus intercellulares, formatio alburni, libri et gemmarum nonnisi ab his meatibus proficisci potest.

Cum succus in vasis propriis contentus sit densior et in genere magis resinosus quam humor meatuum intercellularium, et non nisi in locis fixis reperiatur, vasa propria videntur continere residua præparationis humoris.

Liber plantarum lignosarum pluribus fasciculis cellularum elongatarum, in parenchymate cellulari inter corticem et corpus lignosum, quod circumdat, sitarum, efformatur, ita ut diversi fasciculi certis in spatiis radiis medullaribus, qui corticem cum medullâ connectunt, intertexti sint. Libri novus annulus quotannis crescit; sejungitur in strata lamellosa.

Functio generalis formationum cellularium est nutritioni inservire. Humor elaboratur in suo cursu per cellulas elongatas libri, ut novæ formationi idoneus reddatur et in cambium mutetur; hâc præparatione humoris resina et gummi arborum resinosarum et gummosarum separantur ab humore vegetabili et in receptacula seu vasa propria, deponuntur.

Cambium est hæc materia gelatinosa et *viscosa* quæ vere reperitur inter alburnum et librum, quæ originem dat annulis annalibus ligni et libri et quæ regenerat vulnera et partes ablatas. Cum húmor descendens contineat originem vitalem plantæ, etiam sine dubio continet cambium; et cum humor descendens non nisi in cortice et reliquiis parenchymatis cellularis defluat, minime dubium est, quin Cambium originem sumat ex cortice, et quin hic humorem fundat, qui in Cambium transformatur, quo liber et alburnum novos annulos libri et alburni producunt.

Alburnum est novus annulus ligni, qui quovis anno regeneratur. Ex legibus generalibus organisationis, simile producit simile; liber format novum annulum libri, corpus lignosum novum annulum alburni. Origo vitalis harum formationum eadem est, scilicet cambium, quod est succus semivitalis. Alburnum lignum est imperfectum, varians pro colore et soliditate. Differt a ligno perfecto mollitie et colore. Crassitudo ejus

annulorum est in ratione vigoris arboris. Accretio corticis et ligni inversa est; cortex crescit ex parte exteriori in interiorem, et lignum ex interiori in exteriorem.

Lignum est pars arboris solidissima, immediate cortice cooperta, formatur fasciculis vasorum spiralium cellulis elongatis circumdatorum et radiis medullaribus intertextorum. Fasciculi vasorum spiralium annulum circa medullam efformant, et novus quotannis ad priorem accedit: hi annuli lignosi audiunt. In his annulis magnitudo vasorum spiralium admodum variat. Vasa spiralia maxima semper partem medullæ proximam obtinent et vere, ubi accretio vegetabilis vividissima est et celerrima, formantur ; minima autem autumno producuntur et locum cortici proximum occupant.

Functio ligni in genere est succum vehere in altum. Corpus lignosum vehit succum crudum, quem e fibrillis radicis recipit et eum in foliis deponit, ut in contactum veniat cum aëre atmosphærico. Sed in hoc cursu succus accedit ad magna vasa spiralia, et hæc, cum poris instructa sint et aëre repleta, sine dubio summopere influunt in humorem plantæ, processui respirationis, inservire videntur, sicut pori foliorum. Lignum non suppeditat humorem vitalem, materiam quâ partes novæ formantur, cambium; sed procul dubio e meatibus intercellularibus parenchymatis corticis fluit. Soliditas ligni, ut Chemia docet, tantum dependet a gradu plus minusve provecto oxydationis mucilaginis et aliarum materiarum, e quibus cellulæ producuntur.

Incrementum trunci peragitur inter librum et corpus lignosum, et novus quolibet anno libri annulus prodit. Etenim cortex aëri expositus rigescit, finditur et squamis obducitur et

per has partes mortuas semper de materiâ amittit. Massa autem corticis non minuitur, sed quotannis augetur. Et præterea in sectione verticali trunci qui aliquot annos crevit, cernuntur in cortice tot annuli libri, quot ligni; inde maxime vero est simile eodem modo et eodem tempore, quo novus annulus ligni formatur, novum libri annulum produci. Cortex igitur arborum vetustarum nonnisi libri annulis constituitur. In annulis vetustioribus cavitates cellularum obstruuntur, sed meatus intercellulares aperti sunt, et in his humor vegetabilis ascendit ut in alburno. Lignum et cortex semper ab invicem separantur; et nunquam cortex in lignum, nec liber in alburnum vertitur. Hac duo corpora plane sibi opponuntur, ut duo poli columnæ galvanicæ, sic ut alburnum respondeat polo positivo, liber polo negativo.

Radii medullares sunt reliquiæ parenchymatis in quo fasciculi vasorum inseruntur. Sola sunt organa quibus planta horizontaliter crescit. A medullâ oriuntur in secundo annulo lignoso et corticem cum medullâ connectunt. Horum organorum functio consistit in sustentandâ communicatione primitivâ inter medullam et corticem, quæ aliter separarentur annulis libri et ligni, et concurrit ad novam procreationem partium ablatarum verisimiliterque ad formationem ligni et libri per præparationem cambii.

Replicatio fibrarum vasa constituit, quorum parietes efformant. In tres ordines vasa dispescuntur, in vasa lymphatica, propria et aërea. Vasa lymphatica, de quibus jam supra, corporis lignosi sunt meatus intercellulares cellularum ligni, et vasa corticis sunt ejus meatus intercellulares. Vasa propria continent secretiones plantarum, gummi, resinas, aliasque

materias segregatas. Vasa autem aërea sunt vasa spiralia, respirationi plantæ inserviunt et aërem vehunt.

Inter rerum naturalium investigatores omnes constat humorem ascendere in vegetabilibus. Plurimæ experientiæ probaverunt plantam consumere humiditatem, sive atmosphæræ, sive aquæ in quâ fluitat. Hoc fluidum folio imbuitur, sed fluidum transiens e folio in caulem solummodo cursum retrogradum habere potest. Succis igitur foliorum necessarium reddit cursum humoris plantæ descendentem. In arboribus ubi humor qualitate differt, et ubi adest humor aquosus et gummosus, lacteus aut resinosus, prior tantum reperitur in corpore lignoso, posterior solum in cortice.

Sequens est cursus humoris vegetabilis:

Succus hauritur fibrillis radicis ope telæ cellulosæ corticis. Succus ascendit e radice in corpus lignosum, et in meatus intercellulares cellularum ligni, quæ circumdant fasciculos vasorum spiralium. In hoc cursu, ubi succus proxime accedit ad vasa spiralia, quæ sine dubio respirationi plantæ inserviunt, sensim mutatur (Knight), elaboratur in quovis internodio, et sequens internodium continet humorem ponderosiorem quam præcedens. Hic motus humoris semper dirigitur versus aërem et lumen, et in plantâ eversâ et in terram erectâ, pariter evertitur, proceditque ex apice plantæ terræ impositæ versus radicem in aërem sublatam. Dum succus in folium pervenit, peragitur novus processus; species respirationis locum habet et succum præparat, ut in succum nutritivum, humorem plantæ, mutetur. Dum autem in folium pervenit, mutationes passus est per contactum aëris, et ibi in humorem plantæ transformatur. Tum descendit e foliis, ut formet annulos annales et

regeneret vulnera in ligno et cortice facta, usque ad radices per meatus intercellulares corticis, permeat quoque corpus lignosum mediantibus radiis medullaribus.

Ex experientiis consequitur 1°. humorem aquosum ascendere in corpore lignoso 2°. humorem descendentem reperiri in cortice et originem esse vitalem plantæ, quo hæc crescit et crassescit 3°. humorem ascendentem in vasis spiralibus non ascendere ejusque cursum non solum esse longitudinalem, sed ascendere in meatibus intercellularibus corporis lignosi 4°. humorem descendentem non magis cursum directum tenere, sed permeare corticem in omnem sensum.

Parenchyma primitivum plantæ, cellulis hexagonis vulgaribus compositum, sejungitur in arboribus fasciculis vasorum spiralium et cellulis elongatis ligni, efformandi gratiâ parenchyma interius in centro caulis, quod medulla audit. In juveni plantâ parenchyma nondum comprimitur, radii medullares adhuc absunt, et medulla plane parenchymati corticis similis succum continet. In arbore adultâ cellulæ medullæ siccantur, quandoque discerpuntur et cavitas plus minusve magna in medio prodit. Ductus medullaris efformatur fasciculis magnorum vasorum spiralium et cellulis elongatis, intime agglutinatis. Medulla functionem essentialem et propriam non exercet, ejus functio est cellularis.

Medulla consideranda esse videtur sicut succus nutritivus juniorum plantarum, in quibus abundat; supplet emulsionem et albumen cotyledonum, quibus nutriebatur juvenis planta immediate post germinationem.

Caulis est ea pars plantæ quæ exit e caudice ascendente, et elevatur supra superficiem terræ in directione plus minusve

verticali. Erigit ramos, folia et fructificationem, recipit vasa lymphatica, propria et aërea. Incrementum caulis in longitudinem fit surculis, qui sibi quovis anno succedunt, in crassitiem annulis annalibus addititiis.

Caulis oculos producit qui rudimenta novarum formationum continent: oculi per explicationem gemmæ fiunt. Primum teneræ sunt gemmæ et herbaceæ, sed sensim textus lignosus evolvitur, et gemmæ in ramos vertuntur, qui deinde originem dant gemmis, unde ramuli exeunt. Rami et ramuli, cum nonnisi extensiones caulis sint, eodem modo evolvuntur. Rami et ramuli quodam loco inclusi inclinant ad fenestram. Explicatur hoc phænomenum, dicendo partem junioris germinis radiis solaribus illuminatam, gas carbonicum decomponere, et carbonicum figere multo citius quam quæ est in umbrâ; unde sequitur, eam partem citius indurari et minus elongari: quod incurvationem causatur.

Gemma est protuberantia, a novo germine, quod enasci incipit, efformata, et nihil aliud est quam hæc germina quæ nondum explicata sunt. Sæpius offert prima lineamenta foliorum, florum et eorum fulcrorum. Gemmæ habentur floriferæ, foliiferæ et mixtæ, rudimenta foliorum et florum. Squamosa sunt vel non; considerantur ut rami abortati.

Folia, quæ sunt expansiones petiolares in superficies applanatas, considerari possunt, ut tot radices aëreæ, quæ proprietatem habent, non solum secernendi superfluum liquorum transpiratione, sed etiam hauriendi in atmosphærâ, absorptionis viâ, partem elementorum necessariorum accretioni plantæ. Folia variant pro positione, formâ, divisione, compositione, colore, structurâ et usu. Folia arborum recipiunt et aspirant paginâ inferiori vapores aqueos qui ex terrâ exsurgunt. Folia

autem herbarum solo viciniora, et in atmosphærâ humidâ immersa, indifferenter hauriunt nutritionem unâ aut alterâ paginâ.

Folia æque ac aliæ partes virides, impulsione radiorum solarium subjectæ, gas carbonicum decomponunt, quod a radicibus accipiunt aut atmosphæræ auferunt, omne carbonium retinent et propemodum omne oxygenium expellunt. Lumen quod in plantas incidit, affinitate suâ cum oxygenio in gas reducit oxygenium acidi carbonici, et ipsum lumen in calorem vertitur. Tum carbonium gasis acidi decompositi elementis aquæ adjungitur, et cum iis format lignum, resinas, olea, materiam viridem, et alias substantias combustibiles; inde hic vigor quem plantæ acquirunt lumini directo solis expositæ. Aliter se habent phænomena in obscuritate. Folia, loco oxygenium exhalandi, adhuc atmosphæræ arripiunt, quod supplent volumine æquali gasis carbonici. In his circumstantiis composita saccharina producuntur, et vegetabilia magis elongantur quam firmantur. Constat tamen in hoc casu folia gas carbonicum decomponere, sed non quantitate sufficienti pro vegetationis usibus.

Dum aër est siccus, folia ipsi partem fluidorum quæ continent, cedunt, et transpiratio plus minusve abundans locum habet.

Accedente vere, ante foliationem vasa humore obruuntur, et primus hujus fluidi nutritivi nisus gemmas explicat et ramos elongat; quo tempore vegetabilia nondum in crassitudinem crescunt, sed dum folia explicantur, elongatio ramorum sistit, et truncus ejusque ramificationes accrescere incipiunt.

Flos est pars localis et transitoria plantæ quæ fœcundationem germinis præcedit, et in quâ aut per quam efficitur. Flores or-

ganis generationis efformantur et partibus destinatis ad horum organorum tuitionem, usquedum fœcundatio peracta sit. Partes externæ sunt calix et corolla, partes internæ sunt pistilla et stamina. Stamina sunt partes masculæ et fœcundantes, formatæ filamento, antherâ et polline, quod est corpusculum, pulvere fæcundanti confertum. Pistillum collocatum est in medio staminum et tribus partibus componitur : ovario, embryonem continente, stylo, quod ovarium connectit cum ejus extremitate, stigma nuncupatâ.

Vasa plantæ matris in pistillum penetrant et diversas sequuntur vias; quædam quasi sceletum parietum ovarii efformant, hæc sunt vasa parietalia; alia per placentam procedunt, et sunt vasa nutritoria et conductoria; nutritoria succos nutritivos ovulis ferunt, conductoria ad stigma ascendunt et inserviunt, ut videtur, actui fœcundationis. Vasa conductoria et nutritoria in interiori parte placentarum unita componunt nervos, fasciculos vasculares, qui funiculis originem præbent. Extremitas cujusque funiculi in sacculum prima lineamenta novæ plantæ continentem explicatur. Huic sacculo nomen ovuli inditum est.

Apparitio organorum sexualium effectu dilatationis et distractionis naturalis integumentorum floralium vocatur explicatio floris. In gemmâ flores jam integri efformantur. Phænomena explicationis dependent a tribus causis, 1° ab agentibus externis, ut lumen, calor, humiditas, forsan fluidum electricum, quæ sane stimulant irritabilitatem vegetabilem, 2° ab agentibus externis, ut humor vegetabilis, succi proprii, et gasa, 3° tandem ab irritabilitate ipsâ, sine quâ vita nulla est.

Fœcundatio habetur quotiescumque liquor seminalis secre-

tus ab organo masculo in contactum venit cum organo fœmineo aut cum ovulis, et cum post contactum nova entia sese explicaverunt. Signa externa fœcundationis sunt, apertura capsularum antherarum, emissio pollinis, contactus immediatus hujus pulveris cum stigmate, effluxus liquoris pollinis in istud organum. Pollen illabitur, dispergitur et corpora ambientia operit. Quædam ejus granula in stigmate retenta, cujus superficies vulgo viscosa est et pilis, asperitatibus et papillis munita, liquorem seminalem diffundunt, et fœcundatio peragitur.

Sub fructificatione intelliguntur mutationes successivæ quæ traducunt ovarium ad statum fructûs perfecti. Antequam flos evolvatur, quando pistillum explicari incipit, ovarium repletur textu cellulari admodum subtili, qui in omnibus punctis, naturæ homogeneæ esse videtur, et cujus cellulæ pellucidæ liquore limpido imbuuntur, quo tempore ovula nondum apparent : paulo post delineantur in telâ cellulosâ. Vulgo hæc tela siccatur, destruitur, et ovula a se invicem removentur. Sunt corpora rotundata, subviridia, lævigata et lucida : omnia placentæ adhærent, modo immediate, modo mediante funiculo, et recipiunt in puncto hili extremitatem vasorum conductorum et nutritorum. Quando flos defloruit, interveniunt mutationes insigniores : lineamenta vascularia sese explicant in textu cujusvis ovuli. Ovarium non tantum juniora semina ab actione agentium externorum defendit, sed species est corporis glandulosi ; præparat in telâ suâ succos nutritivos explicationi ovulorum necessarios. Fructus notabiliter transpirant. Chemia probat fructus virides modo partium viridium respirare.

Primum semina mucilaginosa sunt et in multis speciebus sapore subdulci prædita; prout ipsorum textus solidescit, et succi concrescunt, mucilago fit minus abundans, et fæcula supplet principium saccharinum. Hæc fæcula tempore germinationis, in saccharum vertitur, et inservit tum juvenis plantæ nutrimento. Pericarpia in statu ovariorum maxime mucilaginosa sunt, paulo magis explicata viridescunt, saporem herbaceum assumunt, oxygenium expirant sed non quantitatem notabilem gasis carbonici producunt. Senescendo pleraque lignosa aut pulposa evadunt. Notetur mucilagines, resinas, olea, ligninum, amylum, saccharum, acida vegetabilia oxygenio, hydrogenio et carbonio in variis proportionibus efformari, dum proportiones horum elementorum mutantur, principia immediata variare.

Fructus succedunt floribus, et nil aliud sunt quam productio medullæ, cum telâ cellulosa et medullaris eosdem succos excipiant, fructus sunt tela cellulosa dilatata, in quorum maculis lumen explicat et combinat eorum aroma et sapores. Fructus semen continent. Semen differt formâ, crassitudine, appendicibus ; continet plumulam, radiculam et cotyledones. Duæ cotyledones adsunt in maximâ parte vegetabilium continentes alimentum plantæ appropriatum per germinationem.

CHEMIA VEGETABILIS.

Chemia vegetabilis est hæc historiæ naturalis pars quæ elementa plantarum immediata tractat. In hâc parte agam 1° De formatione principiorum et præcipuis substantiis quæ

in regno vegetabili occurrunt. 2° De compositione ipsarum diversarum partium. 3° De historiâ vegetationis, quibus adjungam oxygenii, carbonii et luminis efficaciam.

Vegetabilia, ignis vi, in quatuor elementa, carbonium, hydrogenium, oxygenium, quædam in azotum resolvuntur, residentibus insuper quibusdam magis terrestribus, ut kali, natro, calce, siliciâ, ferro, tum sulfure et phosphoro efflorescentibus, quæ omnia secundum leges stoechiometricas componuntur. In plantis minima azoti, plurima carbonii, et media oxygenii et hydrogenii ratio invenitur. Hæc elementa principia immediata formant, quæ in tres classes dividuntur, 1° in principia in quibus sufficiens oxygenii et hydrogenii ratio inest ut aqua generetur, 2° in principia in quibus major oxygenii ratio adest quam in aquâ, 3° in principia quæ plus hydrogenii continent quam quo producatur aqua. Addi potest classis quarta quæ principia azotum continentia complectitur.

Ad primam classem pertinent amylum, saccharum et gummi; ad secundam, acida vegetabilia, scilicet acidum aceticum, oxalicum, tartaricum, succinicum, etc.; ad tertiam, olea ætherea et pinguia, resinæ, etc.; ad quartam, asparaginum, indicum, gluten, etc.

Constat partem quæ oxygenium in conflictu virium electrochemicarum liberat, hydrogenium sibi adjungere; eam vero quæ hydrogenium excernit, oxygenium acquirere; et observatum est quod substantia quæ alieno ab aliorum elementorum numero his obviam venit, statim in ipso occursu immutari, privari aliis, aliis autem imbui elementis, donec certo suo numero æquiparetur. Una plantæ substantia nisu vegetationis dissipata, in totidem diversas elementorum propriorum series

discedit quotquot sunt elementa remotissima, e quorum concursu vita vegetabilis derivatur. Procul dubio vegetabilia constant plurimis oxydis, plurimisque acidis æque debilibus, quæ sic facile alias combinationes inire possunt, et magna varietas productorum vegetabilium tantum provenit ex quibusdam differentiis in proportionibus inter principia constituentia.

Substantiæ quæ in regno vegetabili reperiuntur sunt : saccharum, quod obtinetur ex arundine sacchariferâ aliisque. Prout asserit continere gluten, gummi, extractivum, acidum malicum, sulphatem calcis, et duplicem speciem sacchari, saccharum vulgare et speciem sacchari non crystallisabilis, quod in syrupi statu occurrit.

Manna præcipue elicitur e Fraxino Orno. Exsudat tum sponte æstivis mensibus, tum incisurâ fluit. Constat mannâ purâ, parcâ sacchari copiâ, materia odore nauseoso præditâ cui adscribitur virtus cathartica, et levi mucilaginis ratione.

Sarcocolla est productum Penææ mucronatæ, dissoluta in aquâ, mucilaginis speciem præ se fert. Ad sarcocollam naturâ suâ accedit liquiritia, quæ præter partem saccharinam, etiam materiem mucilaginosam continet.

Gummi est liquidum spissum pellucidum, inodorum, quod præcipue e Mimosâ niloticâ exsudat, dissolutum in aquâ mucilaginem format. Saccharum tantum differt a gummi minus unâ ratione aquæ. Substantia mucosa exstat in radicibus, foliis, etc., plurimarum arborum ; ad gummi accedit.

Polychroïs est materia colorans, quæ obtinetur ex Croco sativo, destillata suppeditat aquam acidam, oleum coloris flavi citrini, cui succedit oleum magis coloratum, avolante acido

carbonico et hydrogene carbonato. Dum calcinatur carbonium residuum cum potassâ, acidi borussici ratio una prodit.

Quassina est principium amarum quassiæ; Picrotoxina, Cocculi indici, scillitina scillarum; Coffeina coffeæ; quævis obtinetur ex eâdem substantiâ purâ; sed daphnina principium amarum daphnes alpinæ est daphnina cum resinâ conjuncta.

Emetina est principium ipecacuanhæ; morphina principium extractivum opii; asparagina succi Asparaginis sativæ, cerasina fere semper cum resinâ miscetur; gummi adraganta considerari potest ut cerasina purâ, productum est Astragali Tragacanthæ, destillatum suppeditat acidum aceticum, carbonem, calcem cum phosphate calcis parcâ copiâ, avolante acido carbonico et hydrogene carbonato.

Si in aquâ diluatur similago, obtinentur duæ partes constituentes distinctæ, quarum una est substantia tenax quæ gluten audit, altera amylum nuncupata; præcipitatur sub formâ pulveris albi. Amylum destillatum præbet aquam acido, ut censent, acetico imprægnatam, parcam olei empyreumatici, largam autem acidi carbonici et hydrogenis carbonati copiam. Gluten conflatur ex materiâ viridi quæ resinæ proprietates induit, substantiâ quæ fibris lignosis magnâ ex parte formatur, et glutinis specie. Albumen et gluten sic ad invicem accedunt ut considerari queant uti producta distincta.

Olea fixa et volatilia in plantis occurrunt. Oleum fixum tantum in seminibus plantarum cum substantiâ mucilaginosâ commixtum reperitur. Olea volatilia in radice, caule, foliis, floribus.... inveniuntur.

Camphora e Lauro Camphorâ extrahitur; acidi sulfurici intermedio in oleum flavum, carbonem et substantiam resinosam abit. Major est in camphora carbonis proportio quam in oleis.

Consideratur cera ut oleum fixum oxygenatum, et resina ut oleum volatile oxygenio saturatum, et parte sui hydrogenii orbatum. Resinæ sponte ex arboribus exsudant, incisurâ quoque fluunt.

Thomson asserit gummi-resinas gummi vel substantiâ extractivâ et corpore intermedio inter oleum et resinam constare. Gummi Ammoniaca constat resina, Gummi, materiâ glutinosâ et aquâ.

Compositionem partium vegetabilium nunc attingam. Humor vegetabilis semper acidum continet, quandoque liberum, sed sæpius conjunctum cum calce et potassa; diversa quoque principia ut saccharum et mucilaginem complectitur et quandoque albumen et gluten, imo tanninum. Mucilago videtur prævalere in succis propriis. Cambium omnino mucilaginosum est.

Aër in plantis contentus nihil aliud est quam aër atmosphæricus non mutatus, quandoque parte oxygenii exutus.

Omnia fere principia vegetabilia in lignis et radicibus reperiri debebunt. Analysi radicis Ipecacuanhæ obtinuerunt oleum, emetinam, ceram, gummi, amylum et ligninum. Lignum componitur magnâ ex parte fibrâ lignosâ, quæ acidi nitrici intermedio in acida oxalicum, citricum et gas azotum et carbonatem calcis decomponitur.

Materia parenchymatis, et succi in corticibus contenti admodum variant. Quidam e. g. Quercus-Roboris qualitate

astringenti sunt prædíti et tanninum continent; alii e. g. cinnamomi, aromatici sunt et oleum essentiale continent.

Folia magis inter se conveniunt. Infra epidermidem reperitur materia pulposa, vulgo viridis, quæ continet substantiam resinosam, et partem glutinis; subter hanc substantiam adest materia fibrosa.

Flores continent substantiam colorantem, quæ nondum pernoscitur, sed quæ valde fluxa est; hanc in rubram vertunt acida, alkalia in viridem.

Materia pollinis in diversis plantis variat. Pollen Coryli magnam tannini quantitatem includit, resinam, multam glutinis, paucam fibrinæ copiam.

Semina magnam amyli rationem complectuntur, quamvis hæc materia proprietatibus in diversis seminibus parumper differat. Vulgo quoque gluten continent, quædam parcam materiæ saccharinæ copiam; oleum fixum est quoque vulgaris eorum pars constituens.

Fructus fere omnes acido sunt præditi; hoc acidum vulgo est tartaricum, aut oxalicum, aut citricum, aut malicum, vel mixtio duorum aut plurium horum acidorum. Capiunt quoque partem materiæ gummosæ, quandoque amylum, et fructus carnosi materiam fibrosam, quæ nondum satis pernoscitur. Amylum constituit magnam partem bulborum, reperitur quoque materia fibrosa amylacea, albumen et mucilago in solani tuberibus.

Quidam Lichenes gummi continent et materias colorantes. Lichen islandicus componitur sirupo, parcâ bitartaratis potassæ, tartaratis calcis et phosphatis calcis copiâ, principio ama-

ro, cerâ viridi, gummi, materia colorante extractivâ, fæculâ lichenis, et materiâ insolubili amylaceâ.

Fungi continent magnam quantitatem materiæ spongiosæ insolubilis quæ *fungina* audit, et duobus acidis boletico et fungico dictis.

Naturæ investigatores probaverunt omnes plantas e seminibus enasci. Plures etiam ad generationem spontaneam inclinant. Germinatio est hæc explicationum embryonis series a momento maturitatis usque ad illud quo integumenta seminalia exuit. Quodvis semen constat tribus partibus: cotyledonibus, radiculâ et plumulâ; tres hæ partes integumento quod seminale audit includuntur. Primus effectus germinationis est inflatio totalis aut partialis embryonis, unde nascitur abruptio integumentorum seminalium. Embryo, pars maxime essentialis plantæ, species est plantæ, subtilioribus e partibus composita.

Conditiones necessariæ germinationi hæ sunt: Expositio seminis certæ temperaturæ semper supra o a 10 ad 30°, contactus cum aquâ et gase oxygenio; necesse quoque est ut semen ab actione viridioris luminis subducatur.

Semina uno vel pluribus cotyledonibus instruuntur, quæ certam quantitatem materiæ farinosæ includunt, ibi collectam ut nutrimento embryonis-plantæ inserviat quam primum indigere incipit. Tamen hoc alimentum præparetur necesse est, antequam hoc sibi assimilet planta ad formationem et perfectionem organorum. Probabile est omnia phænomena, quæ in germinatione animadvertimus, consistere in mutationibus chemicis quæ in hoc alimento producuntur, et in explicatione, quæ inde consequitur, plantæ organorum.

Dum semen in secundis circumstantiis collocatur, sensim humore imbuitur, et statim postea certam quantitatem gasis carbonici evolvit, et quidem dum nullum adest gas oxygenium. Si autem abeit hoc gas, liberatio brevi cessat et nulla germinatio; si adsit pars, vertitur in gas acidum carbonicum. Non videtur aqua decomponi in actu germinationis, saltem nihil hoc ita se habere clare probat. Non evolvitur nec gas hydrogenium nec gas oxygenium; et pro aquæ decompositione non mirum videretur, si aquæ ratio prodiret per unionem ejus constituentium, hydrogene et oxygene prius in semine existentibus.

Plurima semina germinatione saporem saccharinum acquirunt. Concludunt chemici mucilaginem, quam continent, in materiam saccharinam conversam esse. Observatur carbonii volumen minui per germinationem, et nisi generetur aqua, volumen hydrogenii et oxygenii proportionate augeri debet. Constat calorem produci per germinationem.

Dum materia farinosa in seminibus vegetabilium in saccharum permutatur, magnus vasorum numerus in cotyledonibus patet, quæ radiculæ transferunt alimentum in cotyledonibus præparatum; tum accrescit, radicis formam assumit, in terram penetrat, et brevi potest extrahere alimentum incremento plantæ futuro necessarium. Sed dum radicula plantulæ radix perfecta evasit, planta vegetare desinit, si auferantur cotyledones. Cotyledones tum foliorum quæ supra terram offeruntur, formam assumunt, et folia plantæ primordialia efformant. Postea plumula sensim crescit, supra terræ superficiem elevatur, et in ramos et folia sese explicat. Brevi postea pereunt folia seminalia, cadunt et planta per omnes vegetationis processus transire pergit absque eorum auxilio. Cum autem com-

municatio inter cotyledones et plumulam intercedere non videatur, inferre debemus alimentum e radiculâ in plumulam transire; et revera observatur quod plumula tum vegetare incipiat, dum radicula quoddam incrementum assumpsit.

Quippe cum planta vegetare desinat etiam post radiculam in radicem conversam, si auferantur cotyledones antequam plumula sese explicuerit; sequitur radiculam per se non sufficere ut vegetatio salva persistat, et cotyledones partim adhuc hanc adjuvare pergere. Jam vidimus quid ad vegetationem conferant lobi seminales, alimentum nutritioni plantæ destinatum præparant : radix tunc per se hanc partem explere nequit. Dum cotyledones formam foliorum seminalium assumunt, patet omne alimentum quod ab ortu ibi erat congestum ad columen embryonis-plantæ, exhauriri; tamen non minus ac antea sunt necessariæ; oportet igitur ut materiam nutritivam, quæ radicibus imbuitur, accipiant, hanc quasi permutent; quæ sic vegetationi propria fiat, et iterum remittant ut ad plumulam transferatur. Dum plumula omnino in folia explicata est, auferri possunt cotyledones, quin plantæ noceatur, et quidem a se ipsis brevissime pereunt. Videtur tum functionem cotyledonum deinde expleri eâ parte plantæ quæ supra terram assurgit.

Plantæ alimentis indigent. Sed quodnam est? Patet plantas vegetare non posse aquâ orbas, adeoque ipsis perquam necessariam esse. Constat quoque aërem non minus necessarium esse. Ultima experientiæ dubitationem omnem tollunt quin magnam partem, saltem materiæ carbonaceæ quam plantæ continent, ipsis suppeditet aër atmosphæricus : sic plantæ ex atmosphæra tres partes ad nutritionem hauriunt, scilicet : acidum carbonicum, oxygenium et humiditatem. Sed aër et aqua non sufficiunt. Tertius et ultimus fons est solum in quo vegetant;

duabus partibus constat, scilicet terris puris et reliquiis animalium et vegetabilium. Sed cum omnes plantæ contineant materias terrenas et salinas, hæ veluti earum partes constituentes habendæ sunt; et quis facile non crediderit solum in quo plantæ crescunt, multum influere in proportionem harum substantiarum terrenarum et salinarum? Solum semper continet salia quæ in plantas agunt et vegetationem incitant, absorberi videntur a plantis quas corroborant.

Summa est oxygenii efficacia, quâ in contactu cum partibus vegetabilium mortuis ex his carbonium elicit, et sic acidum carbonicum constituit. Hâc ratione terra vegetabilis largissimus acidi carbonici est fons, non subsistens, antequam ipsa plane destructa sit. Idem de extractivis vegetabilium partibus constat, quarum in fimo præsertim magna adest copia.

Constat aquam acido carbonico imprægnatam majori vi a plantarum radicibus hauriri quam aquam puram, et tali in aquâ plantas celerius increscere. Prout non omnis proportio acidi carbonici aëri atmosphærico admixti, vegetationi prodest, sic etiam nonnullæ plantæ minus bene vegetant in aquâ perfecte illo acido saturatâ, sed optime in tali quæ minori ejus quantitate est imbuta.

Universe statui posse videtur, nullam terram vere fertilem esse, nisi quæ sufficientem acidi carbonici quantitatem largiri possit. Certe ex terrâ vegetabili aëris contactu evolvitur notabilis hujus acidi quantitas, quæ partim aqua terram humectante solvitur, et in eâ retinetur. Omnis quoque fimus idem hoc acidum largiter evolvit, atque tum demum materiæ vegetabiles et animales agrorum fertilitatem augent, quando, incipiente putredine correptæ, in principia remota resolvuntur, et nova producta, imprimis acidum carbonicum largiuntur.

Plantæ vegetantes in atmosphærâ quæ acidum carbonicum retinet, illud decomponunt, et carbonium sibi conjungunt. Hoc loco alia observatio addenda est. Nimirum aqua quam planta absorbet et cujus ope vegetat, sub vegetatione in solidas plantæ partes abire et ipsa veluti solida fieri videtur, ita ut hâc aquæ permutatione materies sicca plantæ augmentum capiat. Jam vero talis aquæ permutatio intime connexa est cum simultaneâ carbonii cum plantâ conjunctione, unde fit, ut ultimâ hâc deficiente aqua vix in solidas partes abeat.

Lux maxime influit in producta vegetabilia : incitat vegetabilium irritabilitatem et magnâ ex parte moderatur eorum absorptionis et exhalationis opera, suoque regimini submittit eorumdem nutritionem et incrementum; quæ quidem conclusio eo facilius colligenda videtur, cum lux habeat moderamen in absorptionem aquæ et acidi carbonici, quæ potiorem alimenti partem plantarum efficiunt, atque ita dirigat exhalationem, ut expirentur gas oxygenium et aqua. Duce sanâ physiologiâ docemur principia proxima organica, ex uberrimo secretionum fonte non tantum singula esse hausta, verum hæc principia nihil aliud esse habenda, quam effectus harum secretionum quam maxime necessarios. Præterea constat præclaris experimentis quantam efficaciam lux exerat in generationem, tam spontaneam, quam solitam, natam ex sui similibus. Quibus collatis apparet nullam esse quarumvis plantarum functionem, quam lux non incitet et promoveat. Functiones singulæ, quasquas habeant plantæ, ad quinque reduci possunt, nimirum ad absorptionem, assimilationem, secretionem, evolutionem et generationem.

Quomodo autem, accedente lucis vi, acidi carbonici decompositio perficitur, nondum satis liquet. Multum conferre potest

mixtio chemica principiorum vegetabilium quæ foliis continentur, et enatæ inde variæ affinitatum complicationes; multum etiam organica parenchymatis viridis structura et propriæ vires ei insitæ. Num forsitan præcipua lucis actio derivanda sit a calorico, radiis solaribus admixto, et peculiari hujus ad partes vegetabiles applicatione, hoc probabile est? Dum oxygenium emittitur, composita combustibilia prodeunt; hydrogenium aquæ cum carbonio plantæ conjungitur, unde Gummi, resinæ, et olea, hoc hydrogenium colorem, saporem, et odorem horum corporum efficit. In absentiâ lucis planta acidum carbonicum emittit, et oxygenium aëris sibi adjungit, quod, ut et aquæ oxygenium, cum carbonio plantæ copulatur unde nascuntur producta saccharina et acida. Quæ diversa producta summe debilia sunt, nam acidum carbonicum omnino hydricum, quod hanc aquam retinet, dum cum oxidis conjungitur, magnam calorici expulsionem non patitur. Hâc proprietate fruuntur acida vegetabilia, quæ præterea aquâ organisantur; unde acidum carbonicum minus adhuc de calorico suo amittere potest. Patet inde summa productorum vegetabilium debilitas; vis enim affinitatis consequitur ex vi quâ caloricum in corpore combustibili condensatur.

Apparet 1°. lucem habere eximiam facultatem plantarum irritabilitatem stimulandi, atque, ut cæteras functiones, ita quoque absorptionem incitandi.

2°. Tenebras, quo profundiores, eo pejus corrumpere plantarum irritabilitatem, eo graviorem his inferre torporem.

3°. Plantas vetustiores actioni luminis minus esse sensibiles.

4°. In plantis inesse mirabilem organorum et facultatum consensum; neque tantum candicem ascendentem ægre ferre

tenebras, verum etiam detrimentum capere caudicem ascendentem luci expositum.

5°. Beneficam lucis facultatem in plantis absorptionis et secretionis incitandæ, esse auctorem facilioris et celerioris incrementi plantarum, in regionibus sole plurimum collustratis.

6°. Cum plantæ in tenebris vix et nullo quidem modo absorbeant acidum carbonicum, et absorptum difficulter decomponant, quæ in tenebris adolescunt, multo minus carbonii continere plantas quam in luce crescentes.

7°. Cum neque in umbrâ et multo minus in tenebris, aquam, acidum carbonicum, azotum, sive ex humo haurienda in suum usum convertant plantæ, his in umbrâ vel tenebris crescentibus principia proxima mero hydrogenio carbonico et oxygenio vel his adjuncto multo azoto, copulata, quibus plenæ sunt regionum calidarum plantæ indigenæ, aut penitus deesse, aut diversimode mutata inhærere eo magis quo profundiores tenebras expertæ sunt.

8°. Cum quidquid absorbeant plantæ fere omne oxydatum sit, in umbrâ autem et tenebris parum aut nihil oxygenii emittant, plantas in tenebris et umbrâ adultas parare principiâ proxima, solitis plerumque magis oxydata, atque eo acidis diversi generis ditiores esse, quo minus luce fruitæ sunt.

9°. Cum gravius corrumpant tenebræ exhalationem aquæ quam ejusdem absorptionem, hinc in tenebris plantas parare principia proxima minus firma, magis humida et mollia.

10°. Cavendum esse ne in quasvis plantas easdem vires lucem aut tenebras exercere statuamus, aut absolute hujus illiusve principii genesi favere; fructus enim, qui luce usi multum sac-

chari continent, in tenebris austeros evadere, parum sacchari capere; contra apium hortense, endiviam, quæ, luce si fruantur amaræ sunt et austeræ, in tenebris autem fieri dulciusculæ, amissis amaritie et austero sapore. Itaque si quis dijudicet quales vires in principia proxima exerceant aut tenebræ aut lux, oportere habeat rationem compositionis et actionum plantæ ejus, in quam sive lucis sive tenebrarum ope experimenta instituat.

TANTUM.

X.

PETRI JOSEPHI VAN DER TON COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

X.

PETRI JOSEPHI VAN DER TON
COMMENTATIO
AD
QUAESTIONEM LITERARIAM.

PETRI JOSEPHI VAN DER TON

ANTWERPIENSIS,

PHILOSOPHIÆ AC LITER. HUMAN. CANDIDATI ET IN ACADEMIA LOVANIENSI JURIS STUDIOSI,

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM PROPOSITAM:

Explicetur et e Graecis potissimum fontibus illustretur Ciceronis *liber, qui* Cato Major *sive* De Senectute *inscribitur, idque ad exemplum egregiarum in hoc genere disputationum, quibus de Cicerone nuper insigniter meruerunt Batavi homines doctissimi, ut* F. G. Van Lynden, Jo. Th. Netscher, C. J. Van Assen, *alii.*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT VII. IDUS OCTOBR. MDCCCXX.

Ὁ κόσμος σκηνὴ, ὁ βίος πάροδος· ἦλθες, ἴδες, ἀπῆλθες.

DEMOCRATES Aur. Sent. extr.

PRAEFATIO.

Auctoritas Ciceronis, qui senex de Senectute tam præclare scripsit, me potissimum adduxit, ut ad explicandam pulcherrimam illam Quæstionem, ab Amplissimo Ordine Philosophiæ et Literarum Humaniorum in Academiâ Lovaniensi pro certamine anni MDCCCXX Belgicarum Academiarum alumnis propositam, animum adjicerem. Magnum quidem et virium mearum exiguitatem longe superans me fateor in me recepisse onus: verum ut non dubito quin in scriptione meâ, sive res ipsas spectes sive earum dispositionem

orationisque elegantiam, haud pauca desiderentur; ita assiduitatem ac diligentiam, quâ in tractando hoc argumento sum versatus, vitia illius quodam modo compensatura existimo. Etenim cum perangustum temporis spatium ad exhibenda Ordinibus responsa esset concessum, et quotidiana Dispensa vix otii quidquam ad peculiarem Dissertationem elaborandam mihi relinquerent; quod ceteris studiis subsecivi temporis subtrahere poteram, id solum, vel posthabitâ valetudinis curâ, ad susceptum hunc laborem perficiendum erat impendendum. Quod tamen eo lubentius feci, cum proposito argumento insigniter delectarer, et quo magis in eo persequendo progrederer, eo majorem ad studia mea utilitatem inde esse redundaturam sentirem.

Monitos autem hoc loco velim Doctissimos Viros, quibus de opusculo meo judicium erit faciendum, noluisse me, quavis datâ opportunitate, Ciceronis laudes celebrare ejusque tam cogitandi subtilitatem quam dicendi vim et elegantiam prædicare,

sed illud me maxime mihi faciendum esse existimasse, ut fontes, unde sua Cicero hauserit, consectarer, eosque Antiquorum Scriptorum locos, quos ille imitando expresserit, diligenter undique collectos rite disponerem. Insuper vero haud abs re esse judicabam, alios quoque locos complures, sive ipsius Ciceronis sive aliorum scriptorum tam antiquorum quam recentiorum, si quidem ad illustrandum hoc argumentum facere videbantur, in medium proferre et cum iis componere quæ Noster in egregio hoc dialogo tractavit.

Quamvis autem laudabilis mihi semper visa sit honestarum rerum æmulatio et mirum in modum placeat Homericum illud,

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,*

dissimulare tamen non possum, me non propterea hanc suscepisse provinciam, ut palmam commilitonibus disputarem, verum eo maxime consilio, ut vobis, Honoratissimi Doctissimique Præceptores, progressuum, quos

* Iliad. VI. 208.

brevissimo tempore sub vestris feci auspiciis, qualecumque ederem specimen eoque gratum erga Vos animum testificarer. Quidquid enim aut in Historiâ Antiquâ aut in Literis Græcis Latinisque profecerim, hoc Vestris me adjutum consiliis, præceptis, monitis esse consecutum ingenue semper profitebor.

Rogo igitur, ut tenues has studiorum primitias benevole accipiatis in iisque dijudicandis non severos vos præstetis existimatores, sed et adolescentiæ meæ et brevissimi temporis, quo his literis in Academiâ mihi incumbere licebat, aliquam habeatis rationem. Quod si vero leve hoc scribendi periculum perlegentibus Vobis non omnino displicuerit, et sic benevolentia illa, qua prosequi me numquam desiistis, magis etiam aucta fuerit et firmata, equidem summa quæque me esse assecutum gloriabor. Valete! Scrib. Prid. Kal. Jun. MDCCCXX.

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

PROOEMIUM.

§ I.

In Romanis hominibus, qui praeclare de suis literis meruere, facile princeps elucet Marcus Tullius Cicero, cujus divina scripta, omnibus temporibus ab omnibus populis cultioribus laudanda, partim, favente divino Numine, nostram tulere aetatem, partim temporum invidiâ nobis deperdita sunt (1). Quae vero adhuc supersunt, eo avidius ab omnibus

(1) Testatur Plutarchus in Vitâ Ciceronis, exstitisse volumina ab ipso scripta CLXIII. Ac datâ hâc opportunitate continere me nequeo, quin cum eruditis simul hominibus gaudium meum significem de praestantissimis libris De Republicâ in Vaticanâ bibliothecâ nuperrime repertis a doctissimo *Angelo Majo*, nunc huic ipsi, antea Ambrosianae bibliothecae, quae Mediolani est, praefecto. Qui libri ut typis exscripti brevi in lucem edantur omnes literarum fautores vehementer exoptant.

literarum amantibus leguntur, cum limpidi sint perennesque fontes, unde hauriantur quæcumque eruditâ Antiquitate præclara continentur, sive altam cogitandi judicandique rationem spectes, sive orationis bonitatem et simplicem illam nec fucatam Veterum dicendi elegantiam. Vix enim exstitit ullus scriptor, nec ante illum, nec ipsâ ejus ætate, nec apud posteros, qui ejus dicendi gloriam adæquarit. Castigavit ille expurgavitque sermonem patrium, plurima ad ejus usum adjunxit, eloquentiæ præcepta aliis tradens ipse hanc artem excoluit, majestatemque populi Romani Literarum ornamento condecoravit. Sic summus ille vir, ad Romanorum utilitatem natus, patriam contra scelestissimorum civium machinationes a se defensam et servatam præstantis insuper ingenii lumine illustravit. Quo factum est, ut non solum Patriæ parens, sed eloquentiæ quoque et Literarum princeps merito vocaretur. Ac si quis perpenderit quam varia ejus essent et quam egregia in omni genere scripta, nullum sibi reliquum facere eum potuisse otium existimabit ad cætera ejus munera, quæ plurima erant et gravissima, tam laudabiliter obeunda. Si quis vero publicam ejus vitam percurrerit; si consideraverit contentiones ac certamina contra eos sustinenda qui, omni scelere patriam lacerantes, ad eam funditus delendam quasi conspirasse videbantur; si domesticas præterea reputaverit calamitates, vix persuadere sibi poterit tam exiguum vitæ tempus tot tantisque laboribus periculisque suscipiendis sufficere potuisse. Neque vero angustioribus se circumscripsit eloquentiæ finibus : ad Philosophiam quoque se applicuit, atque ut animum ipse conformavit cognoscendis summorum Græciæ Philosophorum, *Socratis*, *Platonis*, *Aristotelis* aliorumque placitis, ita in singulas fere totius Philosophiæ partes popularibus suis explicandas contulit quod ei in senectute otii

supererat, eoque illud assecutus est, ut cum forensi illo dicendi genere æquabile hoc temperatumque disputandi genus conjungeret; quod vix quemquam ante se, ne Græcorum quidem, fecisse ipsemet testatur De Offic. I. 1. § 2. « Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret, sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus, nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest. » Et paulo superius: « Magnopere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophiâ libros, qui se jam illis fere æquarunt, studiose legas (1). »

§ II.

Variæ tamen sunt ejus vitæ distinguendæ partes (2). Ut enim in juventute et vigente ætate caussis dicendis maxime operam navavit, provectiori autem patriam adjuvit consiliis

(1) Conf. Plutarchus in Vitâ Cic. Cap. 52. Tom. VIII. pag. 130. Schæf.: *Καίτοι πολλάκις αὐτὸς ἠξίου τοὺς φίλους μὴ ῥήτορα καλεῖν αὐτὸν, ἀλλὰ φιλόσοφον· φιλοσοφίαν γὰρ, ὡς ἔργον, ᾑρῆσθαι, ῥητορικῇ δ᾽ ὀργάνῳ χρῆσθαι πολιτευόμενος ἐπὶ τὰς χρείας.*

(2) Multi præclari exstitere viri, qui in conscribendâ Ciceronis vitâ operam suam collocarent. Ex Antiquioribus unus Plutarchus Vitâ Ciceronis scribendâ optime de summo hoc viro promeruisse mihi videtur, quomodocumque tandem a viris doctis de hâc scriptione existimetur. In Recentioribus hi potissimum auctores sunt memorandi, quorum disquisitiones hinc inde meam in rem me convertisse grato animo profiteor: Francisci Fabricii Historia Ciceronis per consules descripta et in annos LXIV distincta, cum annotationibus *Gronovii, Cellarii* et *J. M. Heusingeri*, Budingæ 1726, 8. Sebastiani Corradi Quæstura, sive De Ciceronis Vitâ et Libris, etc., ed. *Jo. Aug. Ernesti*, Lipsiæ, 1768. 2 voll. 8. (De quo elegantissimo libello conf. Summus Wyttenbachius in Vitâ

2.

et singulari illâ, quam multiplici usu in gerendis rebus sibi conciliaverat, prudentiâ; sic ætate jam ingravescente interfectisque Cæsare, Bruto atque Cassio et re Romanorum publicâ in pejus ruente, cum Antonii partes tueri noluisset, Philosophiæ studio acerrime se dedit composuitque, præter alia plura de Philosophiâ scripta, CATONEM MAJOREM seu Dialogum DE SENECTUTE. Ne autem plura in hanc rem disseramus prohibet nos WYTTENBACHII illa disputatio (1), tam suaviter, tam docte et eleganter conscripta ut, si quis vel doctissimus in eamdem laudis societatem venire autumet, merito temerarius appelletur.

§ III.

Sed priusquam opus ipsum aggrediamur, hoc animadvertendum arbitramur, utrumque Ciceronis dialogum, *Catonem Majorem* et *Lælium*, plurimum differre a reliquis illius operibus philosophis. In his enim locos difficiliores atque e mediâ Philosophiâ petitos tractavit et res abstrusas atque a communi intelligentiâ remotas Literarum Latinarum luce collustravit; in duobus autem illis dialogis, licet optimis itidem quibusque Antiquis Scriptoribus nitatur, magis ad Romanorum ingenia ætatisque suæ mores se accommodavit et sententias suas non iis tantum quæ e scriptis antea a se

Ruhnkenii, p. 164. ed. Batav.) CONIJERS MIDDLETON, The history of the life of M. T. Cicero, London, 1741. 2 voll. 4; et 1801, 3 voll. 8. Addi his potest J. F. LA HARPE, Lycée, ou Cours de Littérature ancienne et moderne, Tom. III, edit. Paris. 17 vol. in-12, 1817, Liv. II, ch. 4, et Liv. III, ch. 2, sect. 3.

(1) In Bibliothecâ Criticâ Amstelodamensi Vol. I. P. III. pag. 1-19.

compositis desumsit (1), sed præcipue exemplis præclarorum virorum, qui veros e senectute fructus percepissent, conformavit (2); ut scilicet non tam iis hominibus qui de industriâ se Philosophiæ dedissent, quam ceteris suis civibus hoc æternum relinqueret monumentum, quod intuentes, maximas senectutis molestias facilius perferrent. Ipse autem senex ac de instante simul Reipublicæ interitu sollicitus, Tito Pomponio Attico, et familiaritate et studiorum societate sibi conjunctissimo, hunc librum inscripsit, ut viri humanissimi auctoritate ei plus ornamenti conciliaretur (3).

§ IV.

Amici animum permulcere studens Cicero ipsiusque augere desiderium, ut majori cum voluptate hunc dialogum perlegat, quantum ex ejus confectione oblectamenti ceperit, ipsemet ita narrat in exordio : « Mihi quidem ita jucunda hujus libri

(1) Constat plura huc esse tralata e libro primo Tusculanarum Disputationum et e Somnio Scipionis ad quartam illam caussam impugnandam, « Ideo senectutem esse miseram, quod haud procul absit a morte ; » a Cap. 19. usque ad finem Dialogi.

(2) De exemplorum vi atque virtute ita loquitur Noster in Consolatione, T. IX. p. 361. Bip. : « Fit nescio quomodo, ut ex aliorum casibus ad mala nostra sananda medicinam colligamus. »

(3) Eum enim sic alloquitur CICERO De Senectute init. : « Te non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intelligo. » De Atheniensium humanitate et de momento quod maximum habebant ad reliquos populos artibus atque disciplinis erudiendos, conf. CREUZERUS V. Cl. in Annot. ad Orationem de Civitate Athenarum Omnis Humanitatis Parente, pag. 54-59.

confectio fuit, ut non modo omnes senectutis absterserit molestias, sed effecerit mollem et jucundam senectutem (1). » Caussam hujus rei in ipsâ Philosophiâ esse quærendam existimat, cujus studio si quis se dederit, numquam injucundam transiget vitam, atque omni ætate omnique conditione delectabitur (2). Atque hoc e pluribus illius locis intelligitur, ubi in Philosophiâ maximis laudibus cumulandâ admodum sibi placet. « Quid est enim, inquit, optabilius sapientiâ? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc igitur qui expetunt, Philosophi nominantur, nec quidquam aliud est Philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiæ (3). » Vult itaque in uno Philosophiæ amore arma

(1) Sic eidem Attico Dialogum de Amicitia dedicans, « Itaque ipse, ait, mea legens sic afficior ut Catonem, non me loqui existimem. » Conf. ad Att. VIII. ep. 38; De Off. I. 42. § 151. SENECA Ep. XII : « Complectamur illam (senectutem); plena est voluptatis, si illâ scias uti. » LA HARPE, de nostro dialogo loquens, ait : On dit qu'il faisait appétit de vieillir. Lycée, III, ch. 3.

(2) PLUTARCHUS De Virtute et Vitio p. 101. D. Tom. I. p. 400, sq. Wyttenb. : *Αὐταρκὴς ἔσῃ, ἐὰν μάθῃς τί τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν ἐςι* : et aliquot verbis interjectis : *Οὐ βιώσῃ φιλοσοφήσας ἀηδῶς, ἀλλὰ πανταχοῦ ζῆν ἡδέως μαθήσῃ καὶ ἀπὸ πάντων*. Conf. IDEM Adversus Colotem pag. 1108. C. Tom. V. p. 528, sq. Wyttenb. et De Liberis Educandis pag. 7. E. F. Tom. I. p. 25, sq. Wyttenb.

(3) CICERO De Offic. II. 2. § 5. De Senectute C. I. § 3 : « Nunquam igitur satis laudari poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis sine molestiâ degit. » Tuscul. Disputt. II. 4. § 11 : « Nam efficit hoc philosophia : medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. » Ibid. I. 26. § 24. « Philosophia vero omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum Deorum. » PLATONICUS locus est in Timæo pag. 47, ab init. Steph. : *Ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος· οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ᾽ ἦλθεν, οὔτ᾽ ἥξει ποτὲ*

esse posita, quæ contra omnes obvenientes casus hominem præmuniant, vult firmissimum eum esse fulcimentum, quo adjutus vir fortis omnia vitæ incommoda molestiasque respuat. Quale vero studium Philosophiæ in senectute esse possit, in hoc ipso Dialogo ostendere conatur, atque ut major auctoritas sit in verbis, inducit *M. Porcium Catonem*, Censorinum illum, quatuor et octoginta annorum senem, cum *Scipione* et *Laelio* de Senectute disserentem. Vix autem ullam Catonis personâ poterat adhibere aptiorem, cui tribueret quæ ipse eâ de re sentiebat. In Catone enim quæcumque ad bene beateque vivendum sunt necessaria feliciter conspirasse videntur; ut ejus ingenio, quod habito sermone ab ipso explicatur, admirabilis imago Senectutis effingeretur. Nam postquam juventutem sobrie et honestis laboribus continuo occupatus transegerat, domi militiæque earum usque virtutum laude inclaruit, quæ cuique ætati maxime essent accommodatæ; et summis deinceps honoribus ornatus non mollitiei se dedit in senectute, quæ longissima ei obtigit, sed cum

τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν : quem locum Latine interpretatus est CICERO De Universo, in fin. fragm. Laudes Philosophiæ præterea celebravit Tuscull. III. 1. De Divin. II 2. de Legg. I. 22 et 23. Academ. I. 2. coll. De Fin. V. 18. Epist. ad famill. XV. 4, fin. et præcipue De Consol. p. 344. Bip. ubi, « Sed nos, inquit, philosophia adversus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ insidias munivit, quæ ita fortis est, ut nullum injuriæ impetum extimescat; ita lenis et suavis, ut omnes acerbitates facile mitiget ac molliat; ita demum utilis ac fructuosa, ut totam se ad humanas utilitates liberalissime porrigat atque explicet. » Præclare item SENECA Epist. XC: « Quis dubitare potest quin Deorum immortalium munus sit quod vivimus, philosophiæ quod bene vivimus; itaque tanto plus nos debere huic quam Diis, quanto majus beneficium est bona vita quam vita. » Conf. ibi celeberrimus popularis noster JUSTUS LIPSIUS : et rursus SENECA Epist. LIX et LXXX. Quibus add. GRÆVIUS ad laudatum Catonis locum, Cap. I, § 3.

constantiâ illâ, gravitate, auctoritate et morum severitate singularem quamdam animi hilaritatem et comitatem mire conjunxit (1).

(1) De Vitâ *Catonis*, vid. præter PLUTARCHUM et CORNELIUM NEPOTEM, qui peculiari illam scriptione complexi sunt, LIVIUS Lib. XXXIX. c. 40 : qui egregie describit ingenium ejus et merita; PLINIUS H. N. VII. 27. XIV. 4. et XXIX. 1; VALER. MAXIM. IV. 3. 11; AULUS GELLIUS XIII. 18; FRONTINUS. I. 1. 1 et IV. 11. 31; ERNESTI in Clave Ciceron. Ind. Hist. s. v. et ex Recentioribus præcipue JO. GLANDORPIUS Onomast. Roman. p. 714, sq. CASP. SAGITTARIUS De Vitâ et Scriptis Catonis, Ennii, cett., Altenburgi 1672, 8 : et SCHOTTUS ad *Aurelium Vict.* de Viris Illustrib. Cap. XLVII. p. 203, sq. Arntzenii.



CAPUT PRIMUM.

DE SENECTUTE IN GENERE.

§ I.

Etsi homini datum non sit tranquillam semper beatamque sine ullâ calamitatum jacturâ in hâc terrâ degere vitam, vix tamen quisquam, nisi aut duriori conflictatus fortunâ omnem salutis spem abjecerit, aut divino quodam inflammatus ardore pro patriâ amicisve libenter sanguinem effundat, inveniatur, qui non rerum humanarum dulcedine plus minusve teneatur. Unusquisque enim arctioribus tum sanguinis, cognationis affinitatisque vinculis constrictus, tum studiorum similitudine, consuetudinum suavitate hominumque societate ita oblectatur, ut non nisi invitus coactusque de hâc vitæ statione decedat (1). Plerique enim hoc angusto ævi termino

(1) Euripides in Oreste vers. 1516. edit. Matth.

Πᾶς ἀνὴρ, κἂν δοῦλος ᾖ τις, ἥδεται τὸ φῶς ὁρῶν.

homini a divinâ Providentiâ concesso peperam utuntur, atque in solâ spe temporis subsequentis viventes, nec ad ea quæ ante oculos sunt posita respicientes, non futura e præteritis augurantur, sed in felicitatem, quam fortasse numquam consecuturi sunt, omnes curas omnesque conatus intendunt. Pulcherrima sane eam in rem est *Pittaci* sententia ΚΑΙΡῸΝ ΓΝῶΘΙ, TEMPUS NOSCE (1), quod pauci quam sit pretiosum intelligunt. Infans, incommodis ætatis defatigatus satiatusque delectationibus teneris annisque puerilibus idoneis, avide properat ad juventutem; juvenis virilem appetit ætatem, quam cum consecutus est, sperat fore ut aliquando perveniat

IDEM in Iphigen. in Aulid. vers. 1237. edit. Matth., alias 1250 vel 1260.

Τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν.

et mox

Κακῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ θανεῖν καλῶς.

Ortum hæ et similes sententiæ duxisse videntur ex Odyssea XI. v. 489, sq.

Βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

De quo loco, a PLATONE De Republ. pag. 368. C. laudato, videatur HEMSTERHUSIUS ad *Lucianum* Tom. II. pag. 489. Bipont.

(1) DIOGENES LAERTIUS Lib. I. segm. 79. ibique MENAGIUS. Idem interrogatus, quid esset optimum; Quod in præsentia, inquit, occurrit bene agere. Ἐρωτηθεὶς δέ ποτε, τί ἄριστον; Τὸ παρὸν, ἔφη, εὖ ποιεῖν. DIOG. LAERT. Lib. I. segm. 77. ibique MENAGIUS. HORATIUS Lib. I. od. 11, versu ultimo:

Carpe diem, quam minimum credula postero.

IDEM Lib. I. od. 4. v. 15,

Vitæ summa brevis, spem nos vetat inchoare longam.

Conf. etiam Lib. III, od. 23 passim.

ad senectutem, eamdemque accusat adeptam. « Tanta inest stultitiæ inconstantia atque perversitas. » Cap. 2. § 21 (1).

Ὀχληρὸν ὁ χρόνος ὁ πολὺς, ὦ γῆρας βαρὺ,
Ὡς οὐδὲν ἀγαθὸν, δυσχερῆ δὲ πόλλ᾽ ἔχεις
Τοῖς ζῶσι καὶ λυπηρά. πάντες εἰς σὲ δὲ
Ἐλθεῖν ὁμῶς εὐχόμεθα, καὶ σπουδάζομεν (2).

Excusare se tamen vulgo conantur dicentes, citius eam obrepsisse quam putassent (3). Inepta sane est ejusmodi excusatio, quoniam primum ipsorum culpâ hoc accidit, deinde quod ne ullo quidem vitæ termino ejusmodi hominibus non gravis esset senilis ætas. « Primum quis coëgit eos falsum putare? qui enim citius adolescentiæ senectus, quam pueritiæ adolescentia obrepit? » Deinde, « Qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum. » Cap. 2. § 4.

(1) Conf. totum Paradoxon IV. Ciceronis, quod inscribitur Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται.

(2) Stobæus Floril. Serm. CCLXVIII. p. 866. Wechel. Serm. CXV. pag. 590. Tigur., in Fragmm. Menandri ab *Hugone Grotio* et *Jo. Clerico* illustratis, pag. 254.

Ὠνείδισάς μοι γῆρας, ὡς κακὸν μέγα·
Οὗ μὴ τυχόντι θάνατός ἐσθ᾽ ἡ ζημία·
Οὗ πάντες ἐπιθυμοῦμεν· ἂν δ᾽ ἔλθῃ ποτέ,
Ἀνιώμεθ᾽. οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.
Τοῦ ζῆν γὰρ οὐδεὶς ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ.

Conf. *Menecrates* apud eumdem Stobæum. Sermon. CXVIII p. 591.

Γῆρας ἐπὰν μὲν ἀπῇ, πᾶς εὔχεται· ἢν δέ ποτ᾽ ἔλθῃ,
Μέμφεται.

La Harpe, Lycée, III, c. 3. p. 3. « Personne n'aime la vieillesse, quoique chacun souhaite de vieillir. »

(3) Sic Plato, aut quicumque hujus Dialogi auctor est, in *Axiocho* pag. 367. B. ait : *Λαθὸν ὑπεισῆλθε τὸ γῆρας.*

§ II.

Ita quidem de istis homunculis, qui tanta inesse mala putant in senectute judicabat *M. Porcius Cato*, quum ipsum, fingente Cicerone, adiissent *C. Lælius* et *Scipio Africanus Minor*, perfectam admirantes sapientiam illius, qui in ipsâ delectabatur senectute, nec umquam de ejus incommodis querebatur, cum reliqui fere omnes deteriores senes ejus calamitatibus succumbere viderentur. « Hæc enim plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Ætnâ gravius dicant sustinere. » Cap. 2. § 4. (1)

§ III.

Quod vero non modo non onerosa sit senectus sed jucunda potius bonis senibus, hoc ita eis contingere ait *Cato*, si ipsâ naturâ duce vivant. « In hoc sumus sapientes quod naturam, optimam ducem, tanquam Deum (2) sequimur

(1) Hæc Cicero imitatus est ex EURIPIDIS Hercule furente vs. 631. ed. Matth. alias 640.

> Ἁ νεότας μοι φίλον· ἄχθος δὲ τὸ γῆρας αἰεὶ
> Βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ κρατὶ κεῖται,
> Βλεφάρων σκοτεινὸν φάρος ἐπικαλύψαν.

Quem locum in suum quoque usum convertit *Teles* apud STOBÆUM Serm. XCV. pag. 522. Conf. FULV. URSINUS et P. MANUTIUS ad nostrum Ciceronis locum; M. A. MURETUS Var. Lect. Lib. VII. cap. 15. vol. II. pag. 158. Ruhnk. Locos poëtarum, ubi χαλεπὸν dicitur τὸ γῆρας, collegit DESID. ERASMUS in Adagiorum Chiliad. II. centur. VI. n. 37. (Opp. Tom. II. col. 595.)

(2) Hoc nititur Stoicorum placito, qui putabant Naturam esse Deum. SENECA De Beneficiis Lib. IV. cap. 7. pag. 311. « Natura, inquit, hæc mihi præstat. Non intelligo te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura quam Deus, et divina ratio toti mundo et

eique paremus.» Cap. 2. § 5. Quâ adjutrice sua quisque facilius præstabit, atque sibimet ipsi non molestus, ab aliis vero dilectus, haud parum profecerit in senectutis onere sublevando. Verum hunc finem nemo assequatur, nisi corpori animoque insitas dotes diligenter conservet, et neque sensus patiatur titillari voluptatibus, neque animum lætitiâ exsultante aut mœrore turbari, sed rationem, quippe quæ numquam naturæ adversetur, omnium participem faciat consiliorum. Sic sane intelligenda sunt Thaletis verba, qui interrogatus, quid esset in vitâ facillimum; Illud, respondit, quod est naturæ consentaneum. Τί ῥᾶςον; τὸ κατὰ φύσιν (1). Addere potuisset, hoc solum hominem posse reddere beatum, quod statuit Chrysippus, τὸ τέλος εἶναι ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν (2). Cum itaque hanc constantem naturæ et simplicem in omnibus rebus convenientiam admiraretur Erasistratus, in quâ nihil mancum aut supervacaneum, neque otiosum quidquam aut frivolum deprehendatur, nullâ satis oratione explicari posse existimavit, quâ curâ, quâ industriâ ea prospexerit quæ ad

partibus ejus inserta?» Conf. cap. seq. Idem Natural. Quæst. Lib. II. cap. 45. pag. 716. «Vis illum naturam vocare? non peccabis!» Inde Lactantius D. J. Lib. II. cap. 9. «Melius igitur Stoicorum omnium acutissimus Seneca, qui vidit nihil aliud naturam esse quam Deum.» Plinius H. N. Lib. I. cap. 7. «Per quæ declaratur Naturæ potentia, idque esse quod Deum vocamus.» Conf. Justus Lipsius Physiolog. Stoicor. Lib. I. diss. 5.

(1) Plutarchus Conviv. Septem Sapientum p. 153. D. Tom. I. pag. 605. Wyttenb.

(2) Justus Lipsius ad *Senec.* De Vitâ Beatâ Cap. 3. pag. 234; item Seneca De Vitâ Beatâ Cap. 8. p. 236; Epist. LXI. in fin.; De Beneficiis Lib. IV. cap. 17. pag. 316. Diogenes Laert. VII. segm. 89. ibique Menagius.

humani generis procreationem requirantur (1). Qualescumque vero sint ejus facultates atque dotes quibus illud consequatur homo, modo simplicem ejus ingrediatur viam, ad veram felicitatem, quæ in hâc vitâ obtineri potest, certo perveniet. Hanc ipsam viam Natura dux omnibus mortalibus pandit, certis tamen circumscripsit limitibus, quos qui transierit, passim vagabitur.

§ IV.

Omnes enim nascimur liberi, eamque libertatem vel in ipsâ servitute illæsam et integram servare possumus, dummodo nostras ipsimet animi virtutes explicare et augere, verisque omnino bonis, quæ naturæ beneficio accepimus, uti recte sciamus, neque extrinsecus suspensas faciamus vivendi rationes. « Quibus enim nihil opis est in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnis gravis est ætas; qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri. » Cap. 2. § 4. Huc etiam spectant, quæ Cicero dixit in Paradoxo II. c. 1. « Nescis, insane, nescis quantas vires virtus habeat. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia (2). » Cujusmodi viri sententiam

(1) Plutarchus De Amore Prolis pag. 495. C. Tom. II. p. 1014. Wyttenb. Alio loco Plutarchus, *Aristotelem* sequens, definit naturam principium motus et quietis in illâ re in quâ inest primo et non per accidens. *Ἔςιν οὖν κατὰ τὸν Ἀριςοτέλην φύσις ἀρχὴ κινήσεως καὶ ἠρεμίας ἐν ᾧ πρώτως ἐςὶ καὶ οὐ κατὰ συμβεβηκός*. De Placitis Philoss. Lib. I. pag. 875. B. Tom. IV. p. 519 Wyttenb.

(2) Non igitur sibi constitit Cicero et nimio animi moerore confectus, perperam sensit de hominis conditione, dicens, « Redeo ad illud, quod initio dixi, neminem esse qui spiritum ducat, non miserum, neminem vero felicem : parumque sapiunt ii qui hominem, luendorum scelerum

cum admiraretur SENECA; « Is, inquit, stat rectus sub quolibet pondere. Nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet; nam quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur (1), fortis enim vir omnibus circumvenientibus malis paratus est, cum semper morem gerit naturæ, quæ ipsi talia largita est bona, ut in quacumque sit ætate, quibuscumque vitæ tempestatibus libere possit illis uti atque frui. » Itaque provectiori licet sit ætate, semper sua secum habet viatica, quibuscum reliquum vitæ curriculum peragat. « Non verisimile enim est, quum cæteræ partes ætatis bene descriptæ sint, extremum actum tanquam ab inerti poëtâ a naturâ esse neglectum. » Cap. 2. § 5. Est vero senectus extrema ætas atque, ut fabulæ finis

caussâ natum, felicem aut beatum audeant nominare. » Consolat. Tom. IX. p. 545. Bip. Nec vero constantem et perpetuam hanc ejus fuisse sentiendi rationem intelligimus ex aliis locis permultis, ut Tuscull. Disputt. V. 12. § 36. et Epistol. ad Famill. V. 13; add. Tuscull. V. 14. § 42.

(1) « Heureux celui qui sait quitter l'état qui le quitte, et rester homme en dépit du sort. » JEAN JACQUES ROUSSEAU, Émile ou de l'Éducation, Liv. I.

Les états sont égaux, mais les hommes diffèrent,
Où l'imprudent périt, les habiles prospèrent;
Le bonheur est le port où tendent les humains;
Les écueils sont fréquents, les vents sont incertains.
Le ciel, pour aborder cette rive étrangère,
Accorde à tout mortel une barque légère.
Ainsi que les secours, les dangers sont égaux:
Qu'importe quand l'orage a soulevé les flots
Que ta poupe soit peinte et que ton mât déploie
Une voile de pourpre et des câbles de soie?
L'art du pilote est tout, et pour dompter les vents,
Il faut la main du sage et non des ornements.

VOLTAIRE.

ultimo actu continetur eoque maxime laus actoris cernitur, ita quod postremum in hâc vitâ a naturâ concessum est, fortiter nobis est sustinendum (1). « Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum, quod ferendum fortiter est sapienti : quid enim est aliud gigantum modo bellare cum Diis, quam naturæ repugnare. » Cap. 2. § 5.

§ V.

Talia *Cato* breviter respondit *Lælio Scipionique*, sed ejus verborum dignitate excitati maximoque cognoscendi studio inflammati, quo modo senectus sapienti viro non tantum non misera sed potius jucunda videatur, rogant Censorinum, ut suam explanet sententiam, quâ adjuti atque nutriti facillime senectutem, quam quidem se assecuturos sperant, sustinere queant. « Atqui, Cato, » inquit Lælius, « gratissimum nobis, ut

(1) Epist. ad Quint. Frat. I. 1. 16. « Illud te ad extremum et oro et hortor, ut tanquam poetæ boni et actores industrii solent, sic tu in extremâ parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui tanquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur. » Et sœpius cum Fabulâ vitam humanam comparavere Veteres. Conf. De Senect. C. 18. § 64. et cap. 23, fin. et Christianæ eloquentiæ decus Jo. CHRYSOSTOMUS in Homil. XV. in I. ad Timoth. pag. 314 : *σκηνή τις ἐςὶν ὁ βίος καὶ ὄναρ*, κ. τ. λ. Add. egregius locus PLOTINI Ennead. III. Lib. II. cap. 15. pag. 266. B. Ficin. Alias vero etiam peregrinationi similem esse dixerunt ; ut in Dialogo qui *Axiochus* inscribitur et vulgo in Platonicis recensetur, pag. 365. B. Steph. *Παρεπιδημία τις ἐςὶν ὁ βίος*. Quocirca mors dicitur esse migratio in alium locum a PLATONE Apolog. Socratis pag. 40. E. *Οἷον ἀποδημῆσαί ἐςιν ὁ θάνατος ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον* : quo in loco imitando mire sibi placuerunt Ecclesiæ Patres ; ut TERTULLIANUS De Patientia Cap. 9. CHRYSOSTOMUS Homil. XXVI. Tom. V. p. 156. alias. Sed ea de re infra tractabimus Cap. VII. § II.

etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus, volumus quidem certe, senes fieri, ante multo a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingravescentem ætatem ferre possimus. » Cap. 2. § 6. (1). Ad quorum se voluntatem conformans *Cato*, cum plus ponderis inesse in verbis desideraret, ea imitatur, quæ, ut fingit *Plato*, olim senex *Cephalus* respondit *Socrati*, eadem ipsum roganti, quæ a *Catone Lælius* et *Scipio* flagitaverant.

§ VI.

Ut *Cephalo* apud Græcos, sic *Catoni* apud Romanos mos erat convenire cum aliis senibus in unum locum. « Pares autem cum paribus facillime congregantur, » C. 3. § 7. (2) ibique

(1) Colorem duxit e PLATONICO loco De Republ. Lib. I. cap. 2. p. 328. F. Steph. p. 5. Astii : *Δοκεῖ γάρ μοι χρῆναι παρ' αὐτῶν* (sc, *πρεσβυτῶν*) *πυνθάνεσθαι, ὥσπερ τινὰ ὁδὸν προεληλυθότων, ἣν καὶ ἡμᾶς ἴσως δεήσει πορεύεσθαι, ποία τίς εςι, τραχεῖα καὶ χαλεπὴ ἢ ῥᾳδία καὶ εὔπορος κ. τ. λ.*

(2) Imitatur Cicero eumdem PLATONEM in eodem De Republ. libro p. 329. A. ubi quod ille vetus proverbium, hic *τὴν παλαιὰν παροιμίαν* dicit; quod eo jam usus est HOMERUS Odyss. XVII. 218.

Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Eo etiam respexit PLATO in Convivio p. 195. B : *Ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει* : in Gorgiâ pag. 510. B. Lys. p. 214. A. et ARISTOTELES in Ethic. ad Nicomach. Lib. VIII. cap. 1. § 6 : *Ὅθεν τὸν ὅμοιόν φασιν ὡς τὸν ὅμοιον, καὶ κολοιὸν ποτὶ κολοιόν, καὶ ὅσα τοιαῦτα.* Simile est PLATONIS in Phædro p. 240. C : *Ἥλικα γὰρ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, τέρπειν τὸν ἥλικα* : unde profecit ARISTÆNETUS Epist. I. 18. p. 46. Vide ABRESCH. Lectt. Aristænett. pag. 112. ARISTOTELES in Rhetor. Lib. I. c. 11 : *Ὅθεν καὶ αἱ παροιμίαι εἴρηνται, ὡς ἧλιξ ἥλικα τέρπει, καὶ ὡς ἀεὶ τῷ ὁμοίῳ φίλον τὸ ὅμοιον.* Add. XENOPHON De Atheniens. Republ. Cap. 3. § 10 : *Ὅμοιοι τοῖς ὁμοίοις εὖνοί εἰσιν* : et HIEROCLES ad Aurea Carmina p. 222. ed. Needham : *Δι' ὁμοιό-*

de variis senilis ætatis incommodis disputare. Illud vero inter alia multa miserrimum esse senectuti complures conquerebantur, quod voluptatibus, quibus in juventute abundassent, prorsus privarentur, et quum in memoriam revocarent gaudia, quæ ex rebus venereis, ex compotationibus, lautisque conviviis perceperint, omnino indignari se maximis orbatos esse bonis; quibus destituti vitam sibi vix vitalem putarent; ut ideo, cum illis fruerentur, vere se vixisse, nunc autem ne vivere quidem affirmarent. Alii vero conviciis domesticis contumeliisque exasperati, ea a senectute nata deplorabant, eamque idcirco continuo damnabant. Sic fere *Cephalus* apud *Platonem* (1), et sic in eamdem sententiam *Cato:* « C. Salinator et Sp. Albinus, homines consulares, nostri fere æquales, deplorare solebant, tum quod voluptatibus carerent, sine qui-

τητος γὰρ πάντα φιλεῖ πρὸς ἄλληλα συνάπτεσθαι, τῇ δὲ ἀνομοιότητι καὶ τὰ ἐγγὺς ὄντα τοῖς τόποις χωρίζεται. Plura videantur apud WOLFIUM ad locum Platonis Conviv. laud. pag. 58. et apud ASTIUM ad Platonis Rempubl. I. 3. p. 329. Explicat etiam hoc proverbium SCHOLIASTES Platonis a *Ruhnkenio* editus, pag. 59.

(1) De Republicâ I. 3. pag. 229. A. et B. pag. 6. Astii : *Πολλάκις γὰρ ξυνερχόμεθα τινὲς εἰς ταὐτὸ παραπλησίαν ἡλικίαν ἔχοντες, διασώζοντες τὴν παλαιὰν παροιμίαν. Οἱ οὖν πλεῖστοι ἡμῶν ὀλοφύρονται ξυνιόντες, τὰς ἐν τῇ νεότητι ἡδονὰς ποθοῦντες καὶ ἀναμιμνησκόμενοι περί τε τἀφροδίσια, καὶ περὶ πότους, καὶ εὐωχίας καὶ ἄλλ' ἄττα, ἃ τῶν τοιούτων ἔχεται, καὶ ἀγανακτοῦσιν, ὡς μεγάλων τινῶν ἀπεστερημένοι, καὶ τότε μὲν εὖ ζῶντες, νῦν δὲ οὐδὲ ζῶντες. ἔνιοι δὲ καὶ τὰς τῶν οἰκείων προπηλακίσεις τοῦ γήρως ὀδύρονται, καὶ ἐπὶ τούτῳ δὴ τὸ γῆρας ὑμνοῦσιν, ὅσων κακῶν σφίσιν αἴτιον.* Simile quid inveneris apud *Juncum* in STOBÆI Sermon. CXV. p. 593. Ad verba illa *νῦν δὲ οὐδὲ ζῶντες* appositi sunt MIMNERMI versus (in Gnomicis Poëtis a *Brunckio* editis, ed. alt. Lips. pag. 99):

Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν, ἄτερ χρυσέης Ἀφροδίτης;
Τεθναίην, ὅτ' ἐμοὶ μηκέτι ταῦτα μέλοι,
Κρυπταδίη φιλότης, καὶ μείλιχα δῶρα, καὶ εὐνή.

bus vitam nullam putarent, tum quod spernerentur ab iis a quibus essent coli soliti.» Cap. 3. § 7. Atque in his duabus rationibus, quibus misera videtur senectus, scilicet quod avocet a voluptatibus et quod despicientiam importet aliorum, impugnandis tota reliqua versatur disputatio, easque hoc ipso loco, duce Platone, summatim acervatimque infringere incipit Noster. Postea vero quæstionem in plures singulares distribuit partes, ut clarius appareat quam debilia, quam futilia sint argumenta obtrectantium dispicientiumque senectutem.

§ VII.

Quod enim leves, inertes ignavique senes propter has duas caussas allatas infelicem esse senectutem arbitrantur, hæc sane culpa ætatis non est, quoniam non eadem boni sapientesque senes conqueruntur. «Nam si id culpâ senectutis accideret, eadem mihi usu evenirent, reliquisque omnibus majoribusque natu, quorum ego multorum cognovi senectutem sine querelâ, qui se et libidinum vinculis laxatos esse ferrent, nec a suis despicerentur.» Cap. 3. § 7 (1). Qui enim sponte respuit voluptates, vere est sapiens; qui vero prorsus eas non desiderat, est beatus. Quam ad rem maxime idoneos reddit homines senectus, quippe quæ prudentiam illis afferat, quâ freti voluptates fugiant, atque efficiat ut eas non tam acriter amplius ut jucundas appetant (2). Quod cum

(1) Eadem PLATO Rep. Lib. I. c. 3. pag. 329. B. Steph. pag. 5. Astii: Εἰ γὰρ ἦν τοῦτο αἴτιον, κἂν ἐγὼ τὰ αὐτὰ ταῦτα ἐπεπόνθην ἕνεκά γε γήρως, καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, ὅσοι ἐνταῦθα ἦλθον ἡλικίας· νῦν δ' ἐγὼ ἤδη ἐντετύχηκα οὐχ οὕτως ἔχουσι, καὶ ἄλλοις καὶ δὴ καὶ Σοφοκλεῖ κ. τ. λ.

(2) Ἡδονῆς ὁ μὲν ἑκὼν εἰργόμενος, σοφός· ὁ δὲ μὴ δεόμενος, μακάριος· τὸ δὲ γῆρας πρὸς ἀμφότερα ἐπιτήδειον. *Phavorinus* apud STOBÆUM Sermon. CXIV. pag. 586. lin. 23. Tigur.

contingere possit moderatis viridibusque senibus, si aliis contrarium eveniat, illud non vitium est ætatis sed potius morum, quibus corrupti haud parum suam ipsi tranquillitatem homines in irritum vertunt. « Sed omnium istiusmodi querelarum in moribus est culpa, non in ætate : moderati enim et nec difficiles, nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem; importunitas autem et inhumanitas omni ætati molesta est. » Cap. 3. § 7. (1)

§ VIII.

Ita *Cephalus* atque *Cato* statuebant. Alteri tamen Socrates, alteri Lælius, utrique sapientum senum sermone oblectantes, objiciunt : multos quidem esse homines qui ejusmodi orationem non comprobent, putentque illis propter opes et copias et dignitatem, non vero propter bonos aptosque ætati mores ita tolerabilem esse senectutem, quoniam varia divitibus data sint præsidia consolandis recreandisque senum

(1) Non eadem subsequuntur apud PLATONEM De Rep. I. c. 3. p. 328. D. Steph. pag. 5. Ast. : qui inseruit pulchrum hoc Sophoclis de Rebus Venereis responsum, quod Cicero interpretatus est De Senect. C. 14. § 47; ubi conf. nostra annotata. His autem interjectis eadem ac Cicero subjicit, p. 229. D : Ἀλλὰ καὶ τούτων πέρι, καὶ τῶν γε πρὸς τοὺς οἰκείους, μία τις αἰτία ἐςὶν, οὐ τὸ γῆρας, ὦ Σώκρατες, ἀλλ' ὁ τρόπος τῶν ἀνθρώπων· ἂν μὲν γὰρ κόσμιοι καὶ εὔκολοι ὦσι, καὶ τὸ γῆρας μετρίως ἐςὶν ἐπίπονον, εἰ δὲ μὴ, καὶ γῆρας, ὦ Σώκρατες, καὶ νεότης χαλεπὴ τῷ τοιούτῳ ξυμβαίνει. Similia habet *Musonius* De Senectute apud STOBÆUM Sermon. CXVI. p. 595, sq. Basil. Conf. JEAN J. ROUSSEAU, Nouv. Héloïse, partie 5me, Lettre 5 : Tous les caractères sont bons et sains en eux-mêmes. Il n'y a point d'erreurs dans la nature. Tous les vices qu'on impute au naturel sont l'effet des mauvaises formes qu'il a reçues. Il n'y a pas de scélérat dont les penchants mieux dirigés n'eussent produit de grandes vertus.

animis prorsus accommodata (1). His enim adjutos senes non tantum illas res quibus egeant, sed etiam eas quæ vel maxime iis queant esse oblectamento, facillime sibi comparare posse. « Sed fortasse dixerit quispiam, tibi, propter opes et copias et dignitatem tuam, tolerabiliorem senectutem videri, id autem non posse multis contingere. » Cap. 3. § 8. Quibus uterque, et Platonis Cephalus et Cato Ciceronis, respondet opes quidem majoris esse ponderis, nec tamen eam esse illarum vim, ut solæ senem reddant felicem: quod ut comprobent, verba adferunt Themistoclis Seriphio cuidam respondentis (2), illaque disputationi suæ bene adaptant, affirmantque gravem quidem quodam modo sapienti esse senectutem, si omnibus subsidiis destituatur, sed insipienti, etiam si fortunæ donis amplissimis cumuletur, eam non esse tolerandam. « Neque enim in summâ inopiâ non levis esse senectus

(1) Sic PLATO l. l. pag. 329. E. p. 6 Astii. : Ὦ Κέφαλε (loquitur Socrates) οἶμαι σοῦ τοὺς πολλούς, ὅταν ταῦτα λέγῃς, οὐκ ἀποδέχεσθαι, ἀλλ' ἡγεῖσθαί σε ῥᾳδίως τὸ γῆρας φέρειν, οὐ διὰ τὸν τρόπον ἀλλὰ διὰ τὸ πολλὴν οὐσίαν κεκτῆσθαι· τοῖς γὰρ πλουσίοις πολλὰ παραμύθια φασὶν εἶναι. Conf. *Musonius* apud STOBÆUM Serm. CXVI. pag. 594. lin. 36. Basil.

(2) Hæc Themistoclis verba sic profert PLATO p. 329. E. et 330 : Ἀλλὰ τὸ τοῦ Θεμιστοκλέους εὖ ἔχει, ὃς τῷ Σεριφίῳ λοιδορουμένῳ καὶ λέγοντι, ὅτι οὐ δι' αὑτὸν, ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν εὐδοκιμοῖ, ἀπεκρίνατο, ὅτι οὔτ' ἂν αὐτὸς, Σερίφιος ὢν, ὀνομαστὸς ἐγένετο, οὔτ' ἐκεῖνος, Ἀθηναῖος. Eadem PLUTARCHUS in Apophthegmm. pag. 185. C. Tom. I. pag. 735. Wyttenb. ita refert : Τοῦ Σεριφίου πρὸς αὐτὸν (τὸν Θεμιστοκλέα) εἰπόντος, ὡς οὐ δι' αὑτὸν, ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν ἔνδοξός ἐστιν, Ἀληθῆ λέγεις, εἶπεν, ἀλλ' οὔτ' ἂν ἐγὼ, Σερίφιος ὢν, ἐγενόμην ἔνδοξος, οὔτε σὺ, Ἀθηναῖος : et rursus iisdem fere verbis in Vitâ Themistoclis pag. 121. A. cap. 18. Tom. II. p. 24. Schæf. Conf. ORIGENES Adv. Celsum Lib. I. c. 29. Tom. I. p. 347. E. Simillimum est quod ut Belbenitæ cuidam a Themistocle responsum prodit HERODOTUS Lib. VIII. cap. 125 : Ἐπεί τε οὐκ ἐπαύετο ταῦτα λέγων ὁ Τιμόδημος, εἶπεν Οὕτω ἔχει τοι· οὔτ' ἂν ἐγὼ, ἐὼν Βελβινίτης, ἐτιμήθην οὕτω πρὸς Σπαρτιη-

potest, ne sapienti quidem, nec insipienti etiam in summâ copiâ non gravis.» Cap. 3. § 8 (1).

§ IX.

Hactenus igitur Cato pedetentim vestigiis Cephali Platonici inhæsit; sed aliam jam ingressus viam optima affert remedia, quibus adjutus sapiens senex jucundissimam sibi parare queat senectutem. Ac primo quidem loco habenda esse docet Artium ac Doctrinarum Studia, quippe quæ «adolescentiam alant, senectutem oblectent, secundas res ornent, adversis perfugium ac solatium præbeant, domi delectent, non impediant foris, pernoctent nobiscum, peregrinentur, rusticentur.» (2) Et probat hoc per totum Dialogum

τέων, οὔτ' ἂν σὺ, ὦ 'νθρωπε, ἐὼν 'Αθηναῖος : ubi conferenda est doctissima VALCKENARII Annotatio Tom. VI. p. 198. Sweighæuseri. Ceterum *Seriphus* insula, una e Cycladibus maris Ægæi, tam parva erat, saxosa et aspera, ut ignobilitas ejus in proverbium etiam abiret. Vid. STRABO Lib. X. p. 746. B. SENECA Consol. ad Helviam Cap. 6. § 4. Nec terræ solum sed incolarum quoque mala existimatio sermonibus et proverbiis frequentabatur a Veteribus. ISOCRATES Æginetic. p. 386. A. Steph. cap. 2. p. 386. 26. CORAY: qui et ipse consulendus in Σημειώς. p. 278. CICERO De Nat. D. I. 31. extr. et quæ ad h. l. congessit docta diligentia CREUZERI V. Cl. p. 144. Add. HARDUINUS ad Plinii H. N. Lib. IV. cap. 23. et JACOBSIUS ad Anthol. Græc. Tom. I. P. II. p. 175.

(1) Ita PLATO l. l. p. 330. A. Steph. pag. 7. Astii: Καὶ τοῖς δὴ μὴ πλουσίοις, χαλεπῶς δὲ τὸ γῆρας φέρουσιν, εὖ ἔχει ὁ αὐτὸς λόγος, ὅτι οὔτ' ἂν ὁ ἐπιεικὴς πάνυ τοι ῥᾳδίως γῆρας μετὰ πενίας ἐνέγκοι, οὔθ' ὁ μὴ ἐπιεικὴς, πλουτήσας, εὔκολός ποτ' ἂν ἑαυτῷ γένοιτο: quæ expressit Auctor incertus apud STOBÆUM Sermon. I. pag. 19. lin. 18.

(2) CICERO pro Archiâ Poëtâ C. 7. § 17. Quæ ducta esse videntur ex PLATONIS Epinome pag. 992. A. Steph. pag. 519. Astii: Δεσμὸς γὰρ πεφυκὼς πάντων τούτων εἷς ἀναφανήσεται διανοουμένοις······οὐ γὰρ ἄνευ γε τούτων μή

tum sua ipsius vivendi ratione (1) tum exemplo aliorum præclarorum virorum, qui provectiori ætate summâ cum industriâ ad artium ac disciplinarum studium incubuissent (2). Cum artibus vult conjungi Exercitationes Virtutum, quæ plurimum conferant ad bona illa hominibus adquirenda, quæ sint certa,

ποτέ τις ἐν πόλεσιν εὐδαίμων γένηται φύσις, ἀλλ' οὗτος ὁ τρόπος, αὕτη ἡ τροφὴ, ταῦτα τὰ μαθήματα, εἴτε χαλεπὰ, εἴτε ῥᾳδία, ταύτῃ πορευτέον, κ. τ. λ. Quod respexit etiam NOSTER De Oratore III. 6, pr.: «Est illa Platonis vera, et tibi, Catule, certe non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri.» Atque hanc sententiam ante oculos habuisse videtur VOLTAIRE, dicens: «Les lettres forment la jeunesse et font les charmes de l'âge avancé; la prospérité en est plus brillante; l'adversité en reçoit des consolations, et dans nos maisons, dans celles des autres, dans les voyages, dans la solitude, en tous temps, en tous lieux elles font la douceur de la vie.» Épître dédicatoire de la tragédie d'Alzire. Nec pœniteat lectores in eam rem contulisse verba D'AGUESSEAVII, forensis eloquentiæ apud Franco-Gallos ornamenti: «Par les sciences, l'homme ose franchir les bornes étroites dans lesquelles il semble que la nature l'ait renfermé: citoyen de toutes les républiques, habitant de tous les empires, le monde entier est sa patrie. La science, comme un guide aussi facile que rapide, le conduit de pays en pays, de royaume en royaume; elle lui en découvre les lois, les mœurs, la religion, le gouvernement; il revient chargé des dépouilles de l'Orient et de l'Occident, et, joignant les richesses étrangères à ses propres trésors, il semble que la science lui ait appris à rendre toutes les nations tributaires de sa doctrine.» Discours sur la nécessité de la science. Eleganter hoc argumentum tractavit commilito noster Gandavensis, juvenis mihi amicissimus, Jo. LANTHEERE in Responsione ad Quæstionem ab Ordine Philosophiæ Theoret. et Literar. Humanior. Propositam (in Annalibus Academ. Gandav. MDCCCXVIII ad MDCCCXIX.) Gandavi. 1820.

(1) Conf. De Senectute § 10. 18. 26. 32. 38.

(2) Conf. § 10. 11. 12. 13. 14. 16. 22. 23. 29. 31. 49. 50.

stabilia et in perpetuum duratura nec tranquillitati illorum umquam officiant. Virtutes enim naturâ nituntur, quæ eadem ad illas exercendas manu quasi nos deducit: ut ait Stoicorum princeps *Zeno*, referente DIOGENE LAERTIO, qui, ὁ Ζήνων, inquit, ἐν τῷ περὶ ἀνθρώπου φύσεως, τέλος εἶπε τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐςὶ κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν· ἄγει γὰρ πρὸς ταύτην ἡμᾶς ἡ φύσις (1).

§ X.

Artes vero propterea potissimum sunt exercendæ virtutesque colendæ, quod omni ætate omnibusque temporibus, et prosperis et adversis, maximi inde fructus ad humanam naturam sunt redundaturi: quin necessarias plane illas haud injuriâ quis dixerit, quandoquidem, iis sublatis, nec civitas, nec societas, nec vita omnino ulla exstare potest. Sed uti tantam illæ vim habent in reliquas hominis ætates, ita multo majorem habent in senectutem, cui quasi dona quædam singularia a naturâ data videantur. Nam conscientia vitæ ante actæ atque recordatio eorum, quæ diversis vitæ temporibus honesta et laudabilia peregerit, efficacissima homini præstant solatia. « Aptissima omnino sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum non solum quia nunquam deserunt, ne in extremo quidem tempore ætatis (quanquam id maximum est) verum etiam conscientiâ bene actæ vitæ, multorumque benefatorum recordatio jucundissima est. » Cap. 1. § 9. Nihil

(1) De Vitis et Dogmm. Claror. Philoss. Lib. VII. segm. 87 et 88. SENECA Epist. LXXVI. p. 542. IDEM De Vitâ Beatâ C. XVI. p. 242. De Tranquillitate Animi C. III. p. 153. De Beneficiis III. c. 36. p. 306. Congruit cum his etiam THALETIS dictum, qui interrogatus quid utilissimum esset, respondit: Virtutem; hanc enim reliqua etiam recte vivendo utilia facere. PLUTARCHUS Conviv. Septem Sapientum pag. 153. D. Tom. I. pag. 605. Wyttenb.

est enim quod majori nos gaudio afficiat quam si ea nobiscum assidue reputemus quæ bene recteque fecerimus et si persuasum habeamus omnia nos ad virtutem retulisse et sic naturæ leges in vivendo numquam esse transgressos : ut rectæ voluntatis conscientiâ freti nostra ipsi facta aliis explanare non erubescamus. « Bona enim conscientia prodire vult et conspici. » (1). Nullus autem testis tam formidabilis est, neque judex tam severus quam conscientia, quæ in pectore uniuscujusque insidet atque defixa est (2).

§ XI.

Sed ut demonstret apud ipsos Romanos senes fuisse erectioris indolis, qui optime usi sint senectutis armis, summatim præclaram *Quinti Fabii* vitam tam publicam quam privatam enarrat, ostenditque quam *Maximi* nomine dignus fuerit vir præstantissimus qui, patriâ contra externum formidabilem hostem Annibalem defensâ, dignitatem suam in

(1) SENECA Epist. LXXVII. pag. 609. ibique JUST. LIPSIUS. Conf. etiam Epist. XLIV. pag. 456.

(2) Sic POLYBIUS in Fragmento e Codice Urbinate descripto Libri XVIII. c. 26. extr. Tom. IV. pag. 95. Sweigh. : Οὐδεὶς οὕτως οὔτε μάρτυς ἐςὶ φοβερὸς, οὔτε κατήγορος δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις ἡ ἐγκατοικοῦσα ταῖς ἑκάςων ψυχαῖς : ubi conf. SCHWEIGHÆUSERI Annotatio, Tom. VII. pag. 382. Add. egregium locum in Fragmm. Lib. XVII. cap. 15. et LIBANII in Orat. XXXI. pag. 653. A. Morel., ubi de vi conscientiæ eximiæ quædam sententiæ proferuntur. CICERO ad Att. XII. 28. « Mea mihi conscientia pluris est quam omnium sermo. » Tuscul. II. 26. De Legibus II. 4. Pulcherrime auctor Gallicus : « Conscience ! Conscience ! instinct divin, immortelle et céleste voix, guide assuré d'un être ignorant et borné, mais intelligent et libre, juge infaillible du bien et du mal, qui rends l'homme semblable

quiete etiam auxerit summis virtutibus, quas usque ad mortem optimus ille senex coluerit et egregium ita Romanis exstiterit fortitudinis, prudentiæ doctrinæque exemplum. Cap. 4 integrum.

Ne quis vero hæc ita accipiat, ac si hæc senectutis præmia iis tantummodo contingere possint, qui civitatibus tuendis laudem sibi paraverint aut procuratione rei publicæ omnino excelluerint; iisdem etiam palmis condecorari docet placidos illos senes, qui philosophiæ, literis artibusque operam navantes in quiete ac tranquillitate vitam transegerint; quales fuere *Plato* (1), *Isocrates* (2), *Gorgias* Leontinus (3), *Ennius* (4). Recte itaque sic rationem concludit : minime vitia in ipsâ inesse senili ætate, sed potius malis esse tri-

à Dieu, c'est toi qui fais l'excellence de sa nature et la moralité de ses actions; sans toi je ne sens rien en moi qui m'élève au-dessus des bêtes, que le triste privilége de m'égarer d'erreurs en erreurs à l'aide d'un entendement sans règle et d'une raison sans principe.» J. J. ROUSSEAU, Émile, Liv. IV. Profession de foi du Vicaire Savoyard. Conf. præterea DUMBECKII Clio, sive de Historiâ Dial. I. c. 5. § 38. p. 54. Dial. II. c. 1. § 13.

(1) Vid. Jo. ALB. FABRICII Biblioth. Græc. Tom. III. p. 57, sq. ed. Harles., ac de ætate hujus philosophi in primis CORSINI Dissertatio De Natali Die Platonis, Ejus Ætate et in Italiam Profectione (in *Gori* Symbolis Literariis Tom. VI).

(2) FABRICII Bibl. Gr. Tom. II. pag. 777, sqq.

(3) FABR. l. l. Tom. II. pag. 805, sqq.

(4) THEOPH. CHR. HARLESII Brevior Notitia Litteraturæ Romanæ pag. 83, sqq. Supplem. Tom. I. pag. 85, sq. et Ennii Vita auctore HIERON. COLUMNA (editioni Fragmentorum Hesselianæ præfixa).

buenda moribus, qui omnibus omnino ætatibus sint communia.

His autem in universum disputatis et senectute tum ex *Quinti Fabii* aliorumque virorum laudibus tum ex ipsius naturâ quæstionis commendatâ, eorum quæ tractaturus est divisionem proponit; in qua quatuor adfert caussas, cur plerumque leviusculis hominibus misera videatur senilis ætas: « unam quod avocet a rebus gerendis, alteram quod corpus faciat infirmius; tertiam quod privet omnibus fere voluptatibus, quartam quod haud procul absit a morte. » Cap. 5. extr. Sed facile admodum patebit, hæc omnino fere cum illis congruere quæ modo disputata sunt contra eos qui deplorare solebant senectutem, quia careret voluptatibus et efficeret ut ab aliis despiceremus. Quæcumque igitur sequuntur tamquam uberior explanatio, sicuti jam ante diximus, eorum quæ præcedunt, sunt consideranda. Nam in quatuor illis memoratis caussis sigillatim confutandis atque infringendis reliqua tota consumitur disputatio.



CAPUT SECUNDUM.

QUO DOCETUR SENECTUTEM NON AVOCARE A REBUS GERENDIS.

§ XII.

Ac primum quidem a Capite VI. ad IX. validis peracutisque argumentis diluitur illud quod primo loco objiciebatur, « senectutem avocare a rebus gerendis. » Complectitur autem hæc dissertatio locum de officiis atque muneribus huic ætati maxime accommodatis, in eaque et argumentis et exemplis probatur, senes præsertim maxime esse idoneos ut ad administrandam rempublicam, sic ad alias res permultas tam publice quam privatim curandas.

Quoniam enim ratio naturalis postulat, ut pro suis quisque viribus agat, et ipsa natura sua cuique ætati ac propria im-

pertivit beneficia et præsidia, quibus homo adjutus officia sua præstet et irruentibus casibus resistat; non est dubitandum quin Senectus quoque sua sortita sit munèra et fortasse etiam majora quam reliquæ tres vitæ partes. Nam ut in Juventute vires corporis maxime vigent et agendi quædam alacritas suppetit, sic Senectus animi ingeniique robore valet et consiliorum prudentiâ excellit (1): unde consequitur nec juveni senilia, nec seni juvenilia esse tractanda. « A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? An iis quæ in juventute geruntur et viribus? nullæne igitur res sunt seniles, quæ, vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur?» Cap. 6. § 15. Et sunt sane pluris ejusmodi opera æstimanda, in quibus ingenii vires animique facultates, consilium, prudentia, auctoritas, sententia spectantur, quam quæ impetu quodam, a corporis viribus profecto, ac temeritate quadam naturali circumscribuntur. «Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio et auctoritate et sententiâ.» Cap. 6. § 17.

(1) Optime hoc sensit HOMERUS, apud quem Ulysses ita adloquitur Achillem, Iliad. XIX. v. 217.

Κρείσσων εἷς ἐμέθεν καὶ φέρτερος οὐκ ὀλίγον περ
Ἔγχει, ἐγὼ δέ κε σεῖο νοήματί γε προβαλοίμην
Πολλόν· ἐπεὶ πρότερος γενόμην καὶ πλείονα οἶδα.

ad quem locum EURIPIDIS hos versiculos laudat *Eustathius* pag. 1247. Basil.

Ὦ παῖ, νέων μέν τοι δρᾷν ἔντονοι χέρες,
Γνῶμαι δ᾽ ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων.

Conf. ARISTOTELES De Republ. Lib. IV. cap. 5: Ἡ *μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις*: et consimile illud *Democriti* apud STOBÆUM Sermon. CXII. pag. 586. Tigur.: Ἰσχὺς *καὶ εὐμορφία νεότητος ἀγαθά· γῆρας δὲ σωφροσύνης ἄνθος.*

§ XIII.

In eo itaque maxime Senectus a Juventute differt, quod hæc adgrediendo plus valet, illa providendo. Senex numquam sibi ipsi deest neque in suscipiendis rebus præcipitat, sed semper quid egerit et quid agendum sit diligenter perpendit; futura cum præsentibus, præsentia cum præteritis contendit, ut sua ipse consilia regat, atque ita, præterita semper memorià recolens, ad instantia tempora sensum, ad futura prudentiam componit. Quocirca bene docuit Plutarchus, ad parendum juvenilem, ad imperandum senilem ætatem esse dispositam et salvam integramque maxime esse civitatem, quæ senum consiliis, juvenum autem armis sustentetur. Πειθαρχικὸν γὰρ ἡ νεότης, ἡγεμονικὸν δὲ τὸ γῆρας, καὶ μάλιςα σώζεται πόλις, ἔνθα βουλαὶ γερόντων καὶ νέων ἀνδρῶν ἀριςεύουσιν αἰχμαί (1) : cujus rei rationem hanc addit, quod consilium prudentiaque præstent vigori corporum. Corporis enim vires ad propulsandos tantum externos hostes plerumque valent, illæ vero animi dotes ad maxima reipublicæ negotia peragenda omnino sunt accommodatæ.

Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας
Νικᾷ.

καὶ μία γνώμη λόγον ἔχουσα καὶ πειθῶ, τὰ κάλλιςα καὶ μέγιςα διαπράττεται

(1) In opere quod inscribitur An Seni Gerenda Sit Respublica pag. 789. E. Tom. IV. pag. 170. Wyttenb. Conf. Plato De Republica Lib. V. cap. 13. pag. 465. A. Steph. pag. 149. Astii. Plutarcho autem ad imitationem valuisse videtur egregius hic Homericus locus, Iliad. IV. v. 322. ubi ita respondet Agamemnoni Nestor :

Κελεύσω
Βουλῇ καὶ μύθοισι· τὸ γὰρ γέρας ἐςὶ γερόντων·

τῶν κοινῶν (1). « Mens enim et ratio et consilium in senibus est; qui si nulli fuissent, nullæ omnino civitates essent. » Cap. 19. § 67.

§ XIV.

Hæc igitur qui perpenderit, libenter concedet senibus cummaxime convenire habenas moderari imperii, nec morandos ulterius esse eos qui in procurandâ republicâ nullas esse Senectutis partes contendant, quippe cujus præcipuæ esse debeant in hoc munere quod omnina alia tum excellentiâ tum labore atque difficultate longe superat. « Nihil igitur afferunt, qui in re gerendâ versari senectutem negant, similesque sunt, ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, quum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant, ille autem clavum tenens sedeat in puppi quietus. » Cap. 6. § 17. Nam, ut testatur Plutarchus, διὰ πολλῶν τρόπων τῆς πολιτείας οὐδὲν ἀποκωλύει τοὺς γέροντας ὠφελεῖν τὸ κοινὸν ἀπὸ τῶν βελτίςων, λόγου καὶ γνώμης, καὶ παῤῥησίας, καὶ φροντίδος πινυτῆς, ὡς δὴ ποιηταὶ λέγουσιν. Οὐ γὰρ αἱ χεῖρες ἡμῶν, οὐδὲ οἱ πόδες, οὐδὲ ἡ τοῦ σώματος ῥώμη, κτῆμα καὶ μέρος ἐςὶ τῆς πόλεως μόνον,

Αἰχμὰς δ' αἰχμάσσουσι νεώτεροι, οἵπερ ἐμεῖο
Ὁπλότεροι γεγάασι, πεποίθασίν τε βίηφιν.

Adposita huc etiam est Nestoris illa oratio ad Achillem et Agamemnonem, Iliad. I. v. 259.

Ἀλλὰ πίθεσθ'· ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐςὸν ἐμεῖο.

Conf. præterea Iliad. IX. v. 60.

(1) Plutarch. An Seni Gerenda Sit Respublica pag. 790. A. Tom. IV. pag. 171. Wyttenb. Versiculum autem ex *Euripidis* Antiopa sumsit Plutarchus. Vid. Stobæi Sermon. LII. pag. 357. Conf. etiam Dumbeckii Clio, sive De Historia, De Laudibus Historiæ, De Arte Historica Dialogi tres. Brux. 1819. in Dial. II. cap. 2. § 27.

ἀλλὰ πρῶτον ἡ ψυχὴ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς κάλλη, δικαιοσύνη, καὶ σωφροσύνη, καὶ φρόνησις (1). Quæ virtutes cum firmissima sint senum præsidia, Plato etiam honestum judicem non juvenem voluit esse sed virum ætate provectum. Οὐ νέον ἀλλὰ γέροντα δεῖ τὸν ἀγαθὸν δικαστὴν εἶναι, ὀψιμαθῆ γεγονότα τῆς ἀδικίας (2). Quapropter Spartani quoque summam rerum atque administrationem reipublicæ senibus commiserunt. « Apud Lacedæmonienses quidem illi qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. » Cap. 6. § 20 (3). Et Romulus itidem centum e Senioribus electorum, qui in nova civitate condendâ consiliis ipsum adjuvarent, sanctum sacrumque collegium

(1) PLUTARCH. loco laud. pag. 797. E. Tom. IV. pag. 200. Wyttenb. Conf. quæ ibidem disseruntur pag. 789. C. et 790. pag. 69–72. Wyttenb. Tandem in fine operis Plutarchus addit propter eam rationem Mercurios seniores fingi sine manibus et pedibus, rigente fascino; hoc enim ænigmate indicari minime hoc requiri a senibus, ut munera corpore obeant, modo, ut convenit, efficaci et fœcundâ ratione præditi sint. Διὸ καὶ τῶν Ἑρμῶν τοὺς πρεσβυτέρους, ἄχειρας καὶ ἄποδας, ἐντεταμένους δὲ τοῖς μορίοις δημιουργοῦσιν, αἰνιττόμενοι τῶν γερόντων ἐλάχιστα δεῖσθαι διὰ τοῦ σώματος ἐνεργούντων, ἐὰν τὸν λόγον ἐνεργὸν, ὡς προσήκει, καὶ γόνιμον ἔχωσιν.

(2) PLATO De Republ. Lib. III. cap. 16. pag. 409. B. pag. 90. ASTII: qui ipse ad h. l. est conferendus pag. 468.

(3) PLUTARCHUS An Seni Ger. Sit Respubl. pag. 789. E. pag. 170. Wyttenb.: Τὴν μὲν ἐν Λακεδαίμονι παραζευχθεῖσαν ἀριστοκρατίαν τοῖς βασιλεῦσιν ὁ Πύθιος πρεσβυγενέας, ὁ δὲ Λυκοῦργος ἄντικρυς γερουσίαν ὠνόμασεν. Appellabatur hic senatus etiam γερονία sive γεροντία. Vid. HESYCHIUS in voce γερωνία, ibique Interpretes, Tom. I. col. 822, sq. Alberti. De constituto autem hoc senatu ejusque summâ et dignitate et auctoritate conf. HERODOTUS Lib. VI. cap. 57. ibique duumviri doctissimi VALCKENARIUS et WESSELINGIUS, Tom. VI. pag. 180, sq. Schweighæus. et quæ plurima collegerunt recentiores auctores: Jo. MEURSIUS Miscellanea Laconn. II. 4. NICOL. CRAGIUS De Republ. Lacedæmoniorum II. 5. pag. 109, sqq. et J. C. F. MANSO in

vocavit *Senatum* (1): quod divinum nomen, etiam numero eorum aucto, quamdiu stetit respublica, huic illustri ordini perpetuum mansit; idque semper propter easdem caussas, prudentiam, rationem atque consilium: «quæ nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent Senatum.» Cap. 6. § 19. (2).

§ XV.

Atque ut suam sententiam exemplis illustrium virorum qui, suis rebus posthabitis, patriæ tantum commodis inservierunt, omnesque conatus in eam tuendam conservandamque paraverant, rursus confirmaret, plures enumerat Senatores Romanos, virosque consulares de civitate suâ optime meritos. «Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paullus (3), pater

opere primario quod inscribitur *Sparta*, Tom. I. P. I. pag. 95, sqq. P. II. pag. 380, sqq.

(1) Plutarchus loco laud.: Ἡ δὲ Ῥωμαίων σύγκλητος ἄχρι νῦν γερουσία καλεῖται. Conf. etiam Dionysius Halicarnass. Antiquitt. Rom. Lib. I. pag. 86. lin. 8. Sylb.: Τοῦτο τὸ συνέδριον Ἑλληνιςὶ ἑρμηνευόμενον Γερουσίαν βούλεται δηλοῦν, καὶ μέχρι τοῦ παρόντος οὕτως ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται. Add. Livius Lib. I. cap. 8. et Florus Lib. I. cap. 1. § 15.

(2) Inde quod eadem fere verba ter repetuntur, Cap. 6. § 17 et 19. et cap. 19. § 67. intelligitur quam mirifice delectatus sit senex senectutis laudibus celebrandis.

(3) *L. Æmilius Paullus*, cognomine *Macedonicus*: cujus vitam scripsit Plutarchus. (Tom. II. pag. 48, sqq. Lips.). Consul iterum factus est A. U. DLXXXV et Censor A. U. DLXXXIX. De celeberrimâ ejus victoriâ quam de Perseo, Macedonum rege, reportavit, vid. Livius XLIV. 17, sqq. Polybius Lib. XVIII. c. 18. § 4. Fragm. Libri XXIX. cap. 6, sqq. Justin. Lib. XXXIII. cap. 1 et 2. Conf. Cicero De Offic. II. 22. in Verrem Act. I. cap. 21. pro Mur. cap. 14.

tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei (1)? ceteri senes, Fabricii (2), Curii (3), Coruncanii (4), cum rempublicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? » Cap. 6. § 15. Præterea addit celeberrimum testimonium Appii Claudii (5), senis atque cæci, qui oratione suâ in senatu optimum quemque civem induxit ad respuenda Pyrrhi, Epiri regis, præmia neque ullum cum illo fœdus esse faciendum acriter contendit. Insuper sua ipsius præclara facta memorat Cato, quæ sæpius more senum cum quadam sui ipsius ad-

(1) Ejus rursus meminit infra Cap. 19. § 68. et cap. 23. § 85. Mortuus est Prætor designatus A. U. DCI. PLUTARCH. in Vitâ Caton. Min. Cap. 48. Tom. VII. pag. 184, sqq. Schæf.

(2) Est hic *C. Fabricius Luscinus*, Consul Romanus, severitate morum et vivendi frugalitate conspicuus : qui a rege Pyrrho, quem devicerat, ingenti auri pondere et splendidis pollicitationibus frustra est sollicitatus, ut manens apud ipsum honorificum locum obtineret. Idem postea legatum, qui adlatâ ei epistolâ significarat, veneno sublatum iri Pyrrhum, si Romanis ita placuisset, vinctum reduci jussit ad Pyrrhum, illique clandestina, quæ contra eum capta erant consilia, aperiri. PLUTARCHUS in Vitâ Pyrrhi Cap. 20 et 21. Tom. IV. pag. 96, sqq. Schæf. CICERO De Officiis III. 14. § 16. cap. 22. § 26. VALERIUS MAXIMUS Lib. IV. cap. 4. EUTROPIUS Lib. II. cap. 12. Sæpius autem memoratur a Cicerone. Vid. Jo. AUG. ERNESTI in Clave Ciceronianâ, Ind. Hist. s. v.

(3) *M. Curius Dentatus*, ter Consul, fortitudine non minus quam frugalitate insignis. VALERIUS MAXIMUS Lib. VI. cap. 3. Epitome Livii, Lib. XIV. PLINII H. N. XVI. 38. XVIII. 3. CICERO in Bruto c. 14. Mentio ejus recurrit infra Cap. 16. § 55.

(4) *Ti. Coruncanius*, primus e plebe Pontifex Maximus. Consulatum gessit A. U. CCCCLXXIII. CICERO De Oratore III. 33. § 134. Conf. infra cap. 9. § 27. et ERNESTI Clav. Cic. in voce.

(5) *Appius Claudius Crassus*, postea Cœcus cognominatus, bis Consul, et Censor ante priorem Consulatum. Auctor ille erat, ut Romani pacem a

miratione refert (1). Cum enim et variis sub ducibus et ipse consulari dignitate ornatus sæpius militasset, senex tandem quæ Senatui essent gerenda præscribebat atque inter alia multa Carthaginem, Romæ æmulam, fortasse etiam privatâ injuriâ lacessitus quum in Africam cum Scipione Nasicâ navigasset, delendam semper judicabat. « Carthagini, male jam diu cogitanti, bellum multo ante denuntio; de qua vereri non ante desinam quam illam exscisam esse cognovero (2). » Cap. 6. § 18.

§ XVI.

Postremo tandem de civitatum administratione loquens hoc potissimum inculcare studet Lælio ac Scipioni, omnium temporum omniumque populorum experientiâ esse compro-

Pyrrho oblatam recusarent. Narrat hanc rem ejusque in Senatu habitam orationem, prudentiæ et fortitudinis plenam, refert PLUTARCHUS in Vita Pyrrhi Cap. 18 et 19. Tom. IV. pag. 94, sqq. Schæf. Add. LIVIUS Lib. IX. cap. 29. Epit. Lib. XIII. VALERIUS MAXIMUS II. 2. 5. EUTROPIUS II. 1. A. GELLIUS N. A. Lib. XVII. cap. ult. AUGUSTINUS De Civ. Dei III. 17. præterea CICERO Tuscul. V. 38. et infra Cap. 11. § 37.

(1) Idem ab eo factum videmus Cap. 9. extr. cap. 10. pr. et cap. 23. § 82.

(2) Conf. APPIANUS in Lybico cap. 38. PLINIUS in Hist. Nat. Lib. XV. cap. 18. PLUTARCHUS in Vita Catonis Major. Cap. 26. Tom. III. pag. 283, sqq. Schaef. qui notissimum illud « Ceterum Carthaginem delendam esse censeo » eleganter reddit, Δοκεῖ δέ μοι καὶ Καρχηδόνα μὴ εἶναι. DIODORUS SICULUS in Excerptis Libri XXXIV. de Virtutibus et Vitiis Tom. II. pag. 605. Wesselingii. VELLEJUS PATERCULUS Lib. I. cap. 13. et LUCANUS in Pharsalicis VI. v. 788.

Major Carthaginis hostis
Non servituri mœret Cato fata nepotis.

batum, maximas sæpe civitates juvenum imprudentiâ ac temeritate labefactatas esse et debilitatas, senum vero auxiliis sustentatas atque restauratas. « Quod si legere aut audire voletis externa, maximas respublicas, ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas reperietis. » Cap. 6. § 20. Est enim, ut continuo addit, « temeritas florentis ætatis, prudentia senescentis (1). » Cum his optime congruunt verba ARISTOTELIS, temeritatis vitium juvenibus exprobrantis. Ἅπαντα ἐπὶ τὸ μᾶλλον καὶ σφοδρότερον ἁμαρτάνουσι (sc. οἱ νέοι) παρὰ τὸ Χιλώνειον· πάντα γὰρ ἄγαν πράττουσι· φιλοῦσί τε γὰρ ἄγαν, καὶ μισοῦσιν ἄγαν, καὶ τἄλλα πάντα

(1) De juvenem temeritate et inconstantiâ præclare HOMERUS Iliad. XXIII. v. 589, sqq.

Οἶσθ' οἷαι νέου ἀνδρὸς ὑπερβασίαι τελέθουσιν·
Κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις.

IDEM Odyss. VII. v. 294 :

Αἰεὶ γάρ τε νεώτεροι ἀφραδέουσιν.

ARISTOTELES autem, quod animi affectibus serviant et obtemperent juvenes, non ab administrandâ solum republicâ, sed etiam ab ipsâ scientiâ civili et cognitione earum artium, quibus prudentia politica continetur, eos arcendos existimat. Ethicc. ad Nicomach. Lib. I. cap. 3. Add. *Menander* apud STOBÆUM Forileg. Sermon. III. pag. 35. fin. Tigur.

Ἅπαντα δοῦλα τῷ φρονεῖν καθίσταται·

ARISTÆNETUS in Epistt. Lib. I. ep. 15. *Νέοι μὲν καὶ ὀξεῖς καὶ ἰταμοί, περί τε τὰς ὀρέξεις διάπυροι καὶ οἰστρώδεις αἵματος πλήθει καὶ θερμότητι.* Bene item juvenem describit auctor Gallicus : Impétueux, remué aussi souvent que l'enfance, mais toujours agité violemment, transporté à la présence de chaque objet nouveau, changeant à chaque instant de place, de projets et de désirs, franchissant tous les obstacles, impatient de tout retardement qui pourrait s'opposer à sa course rapide et vagabonde. LACÉPÈDE, Poétique de la musique.

ὁμοίως· οἳ καὶ εἰδέναι πάντα οἴονται, καὶ διϊσχυρίζονται· τοῦτο γὰρ αἴτιόν ἐϛι καὶ τοῦ πάντα ἄγαν (1).

§ XVII.

Superest ut, Catonis oratione tamquam vestigiis insistentes, refutemus quæ sibimetipse in hac primâ caussâ infringendâ objicit; quod nimirum « senectus avocet a rebus gerendis; » scilicet primo seniores etiam idcirco esse deplorandos, quia memoriâ vacillent (2). Cap. 7. § 21., deinde quia multa videant quæ videre nolint, § 25, tum denique quia sentiant se aliis esse odiosos (3). Cap. 8. § 25 et 26. Ac primum quidem ita sibi occurrit: « At memoria minuitur: credo, nisi eam exerceas aut si sis naturâ tardior. » § 21. Quibus verbis hoc significat Cato senes quoque memoriâ valere, modo ipsam exerceant. Nam sine exercitatione omni quidem ætate memoriam debilitari. Quam in rem recte QUINCTILIANUS ita disserit: « Omnis disciplina memoriâ maxime constat, frustraque docemur, si quidquid audimus præterfluit. Quidam eam naturæ modo munus existimaverunt; sed ipsa excolendo, sicut omnia alia, augetur; immo nihil æque vel augetur curâ vel negligentiâ intercidit quam memoria (4). » Illud enim

(1) Rhetoricc. Lib. II. cap. 12. Tom. II. pag. 564. C. Duval. PLATO in Epist. V. pag. 713. D: Αἱ ἐπιθυμίαι τῶν τοιούτων (sc. τῶν νέων) ταχεῖαι, καὶ πολλάκις ἑαυταῖς ἐναντίαι φερόμεναι: quem locum expressit ARISTÆNETUS in Epist. Lib. I. ep. 21. Vid. BERGLERUS ad Alciphronis Epistolas Lib. II. Ep. 1. pag. 203. Conf. quæ monebimus ad § 33. et 48.

(2) Conf. CICERO ad Atticum XII. Epist. 1.

(3) Conf. PLUTARCHUS in Consolatione ad Uxorem pag. 611. E et F. Tom. III. pag. 465, sqq. Wyttenb.

(4) Institut. Orator. Lib. II. cap. 2. Nec tamen ego plane cum hoc rhe-

constat ex singulari firmissimâque *Mithridatis*, *Crassi*, *Cyri*, *Theodectis* et præcipue *Themistoclis* memoriâ, qui etiam in senectute eam integram retinuit. Nam « omnium civium nomina perceperat: num igitur censetis eum, quum ætate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum. » Cap. 7. § 21. Nec minus ipsius Catonis senis memoria valebat, qui, etsi hoc vulgo putaretur officere memoriæ, si quis inscriptiones sepulcrorum perlegeret (1), eas tamen ad Origines illas (2), conficiendas assidue annotabat. « Nec sepulcra legens vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam; his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. » § 21. et 38.

tore consenserim, omnem disciplinam memoriâ maxime constare, nisi duplicem memoriam distinguat, alteram rerum et cogitationum, hoc est, idearum, alteram signorum, quibus cogitationes cum aliis communicamus, hoc est, verborum. Hoc duplex memoriæ genus distinguit etiam CICERO in Acad. Lib. IV. cap. 1. § 2. De Mithridate enim disserens addit: « Habuit enim divinam quamdam memoriam rerum, verborum majorem Hortensius. » Ceterum conf. QUINCTILIANUS eodem capite paullo inferius, ubi: « Maxima, inquit, et una memoriæ augendæ ars, exercitatio est et labor. » Conf. etiam DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 22. HELVETIUS de l'Esprit, OEuvres complètes, Tome III, chap. 3. J. J. ROUSSEAU, Émile, Tome I, p. 256. édit. de Neaulme. De exercendâ memoriâ egregie etiam præcepit MAHNIUS V. Cl. in Dialogo illo bonæ frugis plenissimo qui inscribitur Crito sive De Literarum in primis Latinarum Studio Recte Colendo pag. 32. et venerandus senex WYTTENBACHIUS in Memoriâ Wassenarii, insertâ Philomathiæ Tomo III. pag. 10, sqq.

(1) Conf. CICERO De Finib. Lib. V. cap. 1. § 3. ibique a Davisio laudd. PETRONIUS in Satir. Cap. XLIII. pag. 194. cap. LXXV. pag. 376. et ERASMUS in Adagior. Chil. I. centur. II. prov. 52. (in Opp. Tom. II. col. 90. sq.)

(2) Vid. Jo. ALBERTI FABRICII Bibliotheca Latina Tom. I. pag. 56. ed. Ernesti.

« Pythagoreorum more exercendæ memoriæ gratiâ quidquid dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi (1). »

§ XVIII.

Subjungit insuper illud omnibus notum quod Sophocli accidisse tradebatur, qui cum rem familiarem propter elegantiorum literarum studium negligere visus, a suis ipse filiis in judicium esset vocatus, recitatâ OEdipi Colonei fabulâ communi judicum suffragio est liberatus. Cap. 7. § 22. Quam eamdem rem ita narrat PLUTARCHUS (2) : Σοφοκλῆς δὲ λέγεται μὲν ὑπὸ τῶν υἱῶν παρανοίας δίκην φεύγων, ἀναγνῶναι τὴν ἐν Οἰδίποδι τῷ ἐπὶ Κολωνοῦ πάροδον, ἧ ἐςὶν ἀρχή,

(1) Regardez ce vieillard sous les ans accablé,
Si l'on oubliait tout, sa voix faible et tremblante,
Ses yeux appesantis, sa marche défaillante
De la mort à son âme offrirait le tableau ;
Mais, grâce aux souvenirs, du bord de son tombeau,
Rejetant à son gré ses regards en arrière,
Il revient sur ses jours, et rouvre sa carrière ;
Il s'entoure des biens qu'il goûta si long-temps.
La vieillesse sourit aux yeux de son printemps,
Et dans l'illusion dont son âme est ravie,
Il repousse sa tombe et s'attache à la vie.

Les Souvenirs ou Les Avantages de la mémoire par GABRIEL LE GOUVÉ, v. 16-26.

(2) In op. An Seni Gerenda Sit Respubl. pag. 785. A et B. Tom. IV. p. 152, sqq. Wyttenb. Exiguâ differentiâ LUCIANUS in Macrobiis § 24. Tom. VIII. pag. 129. Bip.: *Σοφοκλῆς ὁ τραγῳδοποιὸς...... ὑπὸ Ἰοφῶντος τοῦ υἱέως ἐπὶ τέλει τοῦ βίου παρανοίας κρινόμενος, ἀνέγνω τοῖς δικαςαῖς Οἰδίπουν τὸν ἐπὶ Κολωνῷ, ἐπιδεικνύμενος διὰ τοῦ δράματος, ὅπως τὸν νοῦν ὑγιαίνει ὡς τοὺς δικαςὰς, τὸν μὲν ὑπερθαυμάσαι, καταψηφίσασθαι δὲ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ μανίαν.* Jophontem, Sophoclis filium,

Εὐίππου ξένε τᾶσδε χώρας
Ἵκου τὰ κράτιστα γᾶς ἔπαυλα
Τὸν ἀργῆτα Κολωνὸν,
Ἔνθα λιγεῖα μινύρεται
Θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν
Χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις.

θαυμαστοῦ δὲ τοῦ μέλους φανέντος, ὥσπερ ἐκ θεάτρου, τοῦ δικαστηρίου προπεμφθῆναι μετὰ κρότου καὶ βοῆς τῶν παρόντων. Tantum itaque animi roboris summâ ætate testimonium dedit, ut iniquæ accusationis dedecus in ipsos delatores redundaret. Quod si vero audiamus accusatores Socratis apud Xenophontem, quod filii Sophoclis fecerunt, patrem dementiæ accusantes, id primo intuitu cum Socraticâ doctrinâ omnino congruere videtur. Contendebant enim, illum docuisse discipulos, lege permissum esse unicuique vel patrem amentiæ convictum devincire; hoc argumento usum: jus esse imperitiorem a sapientiore vinciri. Ἀλλὰ Σωκράτης τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκεν···· φάσκων δὲ κατὰ νόμον ἐξεῖναι παρανοίας ἑλόντι καὶ τὸν πατέρα δῆσαι, τεκμηρίῳ τούτῳ χρώμενος, ὡς τὸν ἀμαθέστερον ὑπὸ τοῦ σοφωτέρου νόμιμον εἴη δεδέσθαι. Cui falsæ accusationi Xenophon respondit, illum contra ea docuisse, si quis alterum imperitiæ caussâ ligasset, merito vel ipsum esse vinciendum. Σωκράτης δὲ τὸν μὲν ἀμαθίας ἕνεκα δεσμεύοντα δικαίως ἂν καὶ αὐτὸν ᾤετο δεδέσθαι: qui autem amentiæ laborarent, illos sane etiam cum suo ipsorum et amicorum emolumento vinciri posse judicabat. Καὶ τοὺς μαινομένους ᾤετο συμφερόντως ἂν δεδέσθαι καὶ αὐτοῖς καὶ τοῖς φίλοις (1). Sed hæc mi-

acriter suo more perstringit ARISTOPHANES in Ranis v. 73. ubi vid. SCHOLIASTES pag. 123. Kusteri. Add. VALERIUS MAXIMUS Lib. IX. cap. 12. § 5. et JOACH. CAMERARII Comm. in Sophoclis OEdipum Coloneum pag. 352.

(1) XENOPHON in Memorabil. Socratis Lib. I. cap. 2. §§ 49 et 50. pag. 22. Ernesti.

nime cadunt in hanc Sophoclis caussam a Catone narratam; quoniam Sophoclem patrem injuste amentiæ accusarunt iniqui filii, idcirco eum ab administratione bonorum arcere studentes, ut patrimonium eo facilius possent dilapidare. Reliqua autem omnia si quis contulerit a Catone proposita exempla, inde efficiet, verum esse et ipsâ experientiâ confirmatum illud ejus effatum: «Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria, nec ea solum in claris et honoratis viris, sed in vitâ etiam privatâ et quietâ.»

§ XIX.

Nec vero ea solummodo quæ ante cognoverant senes memoriâ complectuntur ex iisque vigenti animo recolendis insignem capiunt voluptatem, sed tanta eorum potest esse alacritas, ut quotidie novi aliquid addiscant, «ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem senem fieri dicit.» Cap. 8. § 26. Quæ ejus verba carmine hoc Græco exstant.

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος,

servato illo a Platone in Amatoribus (1); ubi loquens de Philosophiæ studio hoc vere esse philosophari dicit, si sem-

(1) Pag. 133. C. Steph. Tom. II. pag. 32. Bipont. Refert etiam Plutarchus in Vitâ Solonis Cap. 2. pag. 96. E. Tom. I. pag. 196. Schæf. *Σοφίας μὲν γὰρ ἦν ὁμολογουμένως ἐραςὴς, ὅς γε καὶ πρεσβύτερος ὢν ἔλεγε,*

Γηράσκειν αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος·

Conf. Scholiastes ad Sophoclis Antigonam v. 711. et Erasmi Adagior. Chiliad. I. Centur. VIII. prov. 60. (Opp. Tom. II. columin. 321. E.) Et hoc præclarum de se effatum ipsemet supremo die vitæ confirmavit. Cum

per, sive juvenis sis sive senex, aliquid addiscas. Τί οὖν ἐςὶ φιλοσοφεῖν; τί δ' ἄλλο γε ἢ κατὰ τὸν Σόλωνα; Σόλων γάρ που εἶπε, Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. καὶ ἐμοὶ δοκεῖ αἰεὶ οὕτω χρῆναι ἕν γέ τι μανθάνειν τὸν μέλλοντα φιλοσοφήσειν, καὶ νεώτερον ὄντα καὶ πρεσβύτερον. Quamquam vero tam laudabiliter Plato hæc Solonis verba interpretatus sit, alibi tamen, parum sibi constans, prorsus ea improbare videtur. Legimus enim in libris de Republicâ (1), nullam his verbis fidem esse habendam, et minus etiam quam si dixisset, hominem senescentem demum cursui se posse exercitare: Σόλωνι γὰρ οὐ πειςέον, ὡς γηράσκων τις πολλὰ δυνατὸς μανθάνειν, ἀλλ' ἧττον ἢ τρέχειν, νέων δὲ πάντες οἱ μεγάλοι καὶ οἱ πολλοὶ πόνοι. Sed ne inconstantiæ Platonem accusemus, probe est notandum, posteriori hoc loco id maxime inculcare eum voluisse, flexibilem ætatem, in qua corporis simul et animi vires in primis vigerent, in rebus difficilioribus addiscendis esse consumendam, neque exercitationes illas, quæ multum temporis et ingenii quamdam velocitatem requirerent, in senectutem esse differendas. Neque igitur tam vituperare voluit Solonis dictum quam cavere ne leves homines ad juventutis perniciem eo abuterentur. Atque hanc fuisse veram Platonis sen-

enim assidentes ei amici quadam de re inter se sermonem conferrent, caput jam morte instante gravatum erexit, interrogatusque cur id fecisset, respondit: Ut cum istud quidquid est, de quo disputatis, percepero, æquiore animo moriar. Ad Platonicum illum locum appositus est alius in Lib. De Legibus II. cap. 1. pag. 653. Steph. pag. 49. Astii: Φρόνησιν δὲ καὶ ἀληθεῖς δόξας βεβαίους, εὐτυχὴς, ὅ, τῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο: quem expressit Cicero De Finibus Lib. V. cap. 21. «Præclare Plato: Beatus, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam verasque opiniones assequi possit.» Conf. Seneca Epist. LXXVII. ibique Justus Lipsius; et Idem in Manuduct. ad Philosoph. Stoic. Lib. I. diss. 1.

(1) Lib. VII. cap. 15. pag. 536. D. Steph. pag. 222. Astii.

tentiam nemo infitiabitur qui alium ejus locum (1) contulerit, ubi ita loquentem facit Socratem, unumquemque hominem, qualicumque tandem sit ætâte, optimum sibi præceptorem eligere debere, et si quis ipsum illuserit quod ætate jam provectus præceptoris ludum ingredi instituisset, Homericum illud ei esse objiciendum, *Viro indigenti nihil prodesse verecundiam:* Εἰ δέ τις ἡμῶν καταγελάσεται, ὅτι τηλικοίδε ὄντες εἰς διδασκάλων ἀξιοῦμεν φοιτᾶν, τὸν Ὅμηρον δοκεῖ μοι χρῆναι προβάλλεσθαί· ὃς ἔφη, οὐκ ἀγαθὴν εἶναι αἰδῶ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι. Prorsus itaque hæc Senecæ senis, philosophi Metronactis discipuli, probanda sunt: « Tamdiu discendum est quamdiu nescias et, si proverbio credimus, quamdiu vivas (2). » Nec minus bene de se ipso judicavit Cato, qui gloriatur se senem Græcas literas didicisse (3):

(1) In Lachete Tom. II. pag. 201. A et B. Steph. Tom. V. pag. 207. Bipont. HOMERI autem versus, quem tetigit Plato, legitur Odyss. XVII. v. 347.

Αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.

Conf. ibid. vers. 352.

(2) SENECA Epist. LXXVI. Pariter HORATIUS in Arte Poët. v. 88.

Cur nescire, pudens prave, quem discere malo?

Conf. JUSTUS LIPSIUS in Manuduct. ad Philosoph. Stoic. Lib. I. dissert. 1. pag. 427. Add. PHILOSTRATUS De Vitis Sophistarum Lib. II. cap. 9. pag. 557. Olearii: quem egregium locum continere nos non possumus quin huc transcribamus. *Ἐσπούδαζε μὲν οὖν ὁ αὐτοκράτωρ Μάρκος* (Marcus Aurelius Antoninus Imperator) *περὶ Σέξτον, τὸν ἐκ Βοιωτίας φιλόσοφον, θαμίζων αὐτῷ καὶ φοιτῶν ἐπὶ θύραις. Ἄρτι δὲ ἥκων ἐς τὴν Ῥώμην ὁ Λούκιος, ἤρετο τὸν αὐτοκράτορα προϊόντα, ποῖ βαδίζοι, καὶ ἐφ' ὅ, τι; καὶ ὁ Μάρκος, Καλὸν, ἔφη, καὶ τῷ γηράσκοντι μανθάνειν· εἶμι δὲ πρὸς Σέξτον, τὸν φιλόσοφον, μαθησόμενος ἃ οὔπω οἶδα.*

(3) Conf. etiam supra Cap. 1. § 3. et infra Cap. 11. § 38. Catonem *Ἑλληνικῆς παιδείας ὀψιμαθῆ* dictum fuisse prodit etiam PLUTARCHUS in Ejus Vitâ Cap. 2. Tom. III. pag. 248. Schæf.

« Quas quidem, inquit, sic avide arripui quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. » Cap. 8. § 26.

§ XX.

Memorato autem celebri Solonis dicto enumeratisque quibusdam senibus philosophis aliisque, qui nihil antiquius habuere quam ut ne in pigritiâ atque lasciviâ transigerent extremos vitæ suæ annos, addit singularem, quæ in Socrate fuit, discendi cupiditatem, utpote qui in senili ætate fidibus etiam didicerit. « Quod quum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem et illud (discebant enim fidibus antiqui), sed in literis certe elaboravi. » Cap. 8. § 26. Arbitrabatur enim etiam Socrates, minime pudendum esse, quod quisque nesciat, discere. Ἀλλὰ καὶ λυρίζειν ἐμάνθανεν ἤδη γεραιός· μηδὲν λέγων ἄτοπον εἶναι ἅ τις μὴ οἶδεν ἐκμανθάνειν (1). Cur vero in eam artem senex demum incumbere cœperit, ejus rei hanc fuisse caussam nonnulli existimant, quod in convivio quodam ut caneret invitatus, se fidibus nescire sit confessus: quod responsum cum risu a quibusdam esset exceptum, ita eum esse

(1) DIOGENES LAERT. Lib. I. segm. 32. ibiq. MENAGIUS, Tom. II. pag. 87. PLUTARCHUS De Sanitate Tuendâ pag. 124. E. Tom. I. pag. 499. Wyttenb. SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. VI. segm. 13. pag. 259. Fabricii: Καίπερ βαθυγήρως ἤδη γεγονὼς (sc. Σωκράτης) οὐκ ᾐδεῖτο πρὸς Λάμπωνα τὸν κιθαριστὴν φοιτῶν, καὶ πρὸς τὸν ἐπὶ τούτῳ ὀνειδίσαντα λέγειν, ὅτι κρεῖττόν ἐστιν ὀψιμαθῆ μᾶλλον ἢ ἀμαθῆ διαβάλλεσθαι. Eamdem rem perhibet VALERIUS MAXIMUS Lib. VIII. cap. 7. § 8. «Socratem etiam constat ætate proveotum fidibus tractandis operam dare coepisse : satius judicantem ejus artis usum sero quam numquam percipere : » ubi conferantur Interpretes.

commotum, ut continuo se ad Musicam perdiscendam accommodaverit, satius existimans sero quam numquam huic arti operam dedisse.

Ex iis igitur quæ adhuc disputata sunt, illud efficitur, numquam homini, quacumque tandem sit ætate, in inerti otio vitam esse traducendam, sed posse etiam, modo voluntas, patientia ac diligentia adsint, bona illa quæ vigente ætate sibi comparaverit, in ipsâ senectute mirifice augeri et amplificari. Nam, ut ait EPICHARMUS (1).

Τῶν πόνων,
Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί.

Porro sibi objecit Cato vel ideo infelicem esse senectutem, « quod multa videat quæ videre nolit, » utiturque his *Cæcilii* versibus, a NONIO Grammatico etiam servatis:

Ædepol Senectus, si nihil quidquam aliud vitii
Apportes tecum, cum advenis; unum id sat est,
Quod diu vivendo multa, quæ non vult, videt.

Cap. 8. § 25. Cujus rei ratio continetur verbis his Aristotelicis: Τὰ γὰρ πλεῖςα τῶν πραγμάτων φαῦλά ἐςιν. ἀποβαίνει γοῦν τὰ πολλὰ

(1) Apud XENOPHONTEM in Memorabb. Socratis Lib. II. cap. 1. § 20. pag. 61. Ernesti. Expressisse hunc versum videtur HORATIUS Sermon. I. 9. v. 60.

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Conf. etiam VIRGILIUS Georg. I. v. 146.

Labor omnia vincit
Improbus.

et quæ ad Xenophontis locum laud. de exquisita suâ doctrinâ expromsit RUHNKENIUS pag. 226, sq. ed. Ernesti.

ἐπὶ τὸ χεῖρον (1). At primo non ea tantum videt senectus, unde doloris aliquid percipere possit, sed sæpius etiam ea quæ ingentem ei et inexspectatam adferant lætitiam, « et multa fortasse quæ vult. » Cap. 8. § 25. Deinde si interdum aliquid præter spem et voluntatem sibi accidere sentit, hoc senectuti cum ceteris ætatibus commune est. « Atque in ea quidem, quæ non vult, sæpe etiam adolescentia incurrit. » Ibid. § 25. Postremo eam ob caussam deteriorem reliquis ætatibus videri senectutem ait Cato, quoniam iis ipsis odiosa videatur, utens ejusdem *Cæcilii* dicto :

Jam equidem in Senectâ hoc deputo miserrimum
Sentire eâ ætate esse se odiosum alteri.

Et illud idem vehementer lugere solebant, ut vidimus, C. Salinator et Sp. Albinus, viri consulares. Sed injuria : nam ipsi Romani antiqui

Credebant hoc grande nefas et morte piandum,
Si juvenis vetulo non adsurrexerat, et si
Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
Plura domi fraga et majores glandis acervos (2).

Nec Romani solum, sed omnes omnino cultiores populi de-

(1) Aristoteles in Rhetoric. Lib. II. cap. 13. Tom. II. pag. 565. Duval.

(2) Juvenalis Satir. XIII. v. 54, sqq. Add. Ovidius Fast. Lib. V. v. 57, sq.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

et Aul. Gellius N.A. Lib. II. cap. 15. p. 190. Conr. « Apud antiquissimos Romanorum neque generi neque pecuniæ præstantior honos tribui quam ætati solitus : majoresque natu a minoribus colebantur ad Deûm prope et parentum vicem; atque omni in loco inque omni specie honoris priores potioresque habiti. »

bitam semper senili ætati reverentiam præstiterunt, ut apud Deos ipsos in majori eam honore esse existimarent. Jam enim apud HOMERUM (1) ita loquitur Antilochus :

> Εἰδόσιν ὔμμ' ἐρέω πᾶσιν, φίλοι, ὡς ἔτι καὶ νῦν
> Ἀθάνατοι τιμῶσι παλαιοτέρους ἀνθρώπους.

Et *Pythagoras* inter alia multa hoc etiam discipulis injunxit, ut seniores honorarent, quod tempore præcederet honorabilius existimantes (2). Nec immerito CICERO ait, « Est adolescentis majores natu vereri, exque his deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur (3). »

§ XXII.

Sic enim sapienter profectò naturâ comparatum est, ut singulæ vitæ humanæ ætates sibi invicem opem et auxilium præ-

(1) Iliad. XXIII. v. 787. Conf. Odyss. XIII. v. 142. Sic PLATO De Legibus Lib. IX. pag. 789. B. existimat, *τὸ πρεσβύτερον οὐ σμικρῷ τοῦ νεωτέρου εἶναι πρεσβευόμενον, ἔν τε θεοῖσι καὶ ἐν ἀνθρώποις τοῖς μέλλουσι σώζεσθαι καὶ εὐδαιμονεῖν*, et propterea hanc legem censet esse scribendam : Πᾶς *ἡμῶν αἰδείσθω τὸν ἑαυτοῦ πρεσβύτερον ἔργῳ τε καὶ ἔπει*. Conf. *Juncus* apud STOBÆUM Sermon. CXVI. pag. 596. Basil. Reperitur autem præclara hæc sententia etiam in Veteri Testamento v. c. LEVITIC. Cap. XIX. v. 32. Ἀπὸ *προσώπου πολιοῦ ἐξαναστήσῃ, καὶ τιμήσεις πρόσωπον πρεσβυτέρου, καὶ φοβήσῃ τὸν Θεόν σου*. JESALÆ Cap. IX. v. 15. Singularem ejus rationem indicat CLEMENS ALEXANDRINUS in Pædagog. Lib. III. cap. 3. pag. 489. C. Sylburg. Οὐ *γὰρ δεινὸν, οὐ δεινὸν, γέροντ' ἂν δοκεῖν, τὸ εἶναι λαθεῖν μὴ δυνάμενον*. Ὅσῳ *γοῦν ὁ ἄνθρωπος σπεύδει πρὸς τὸ τέλος, τοσούτῳ τιμιώτερος πρὸς ἀλήθειαν, μόνον ἔχων αὐτοῦ πρεσβύτερον τὸν Θεόν*.

(2) Τοὺς *πρεσβυτέρους τιμᾷν δεῖν, τὸ προηγούμενον τῷ χρόνῳ τιμιώτερον ἡγουμένους*. DIOGENES LAERTIUS Lib. VIII. segm. 22.

(3) De Officiis Lib. I. cap. 34. § 122. Lib. II. cap. 13. § 46. Conf. Orat. pro Cœlio cap. 4. § 9.

stent nec altera sine alterius præsidio rite fungi officiis possit. Nam ut navi gubernator, qui in puppi quietus sedeat, maxime necessarius est, neque tamen illius in gubernando usus et intelligentia quidquam prosunt, nisi alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant; sic, ut senum prudentia in tenendis imperii habenis salutaris exsistat reipublicæ, oportet ut juvenes illam vi et armis contra externos internosque hostes defendant. Quæ cum ita sese habeant, fieri non potest quin omnes ætates arctissimo inter se vinculo contineantur et alia ad alius salutem et prosperitatem plurimum conferat. « Ut enim adolescentibus bonâ indole præditis sapientes senes delectantur leviorque fit eorum senectus, qui a juventute coluntur et diliguntur, sic adolescentes senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur (1). » Cap. 8. § 26. Mutua enim sunt officia, mutua munera, quorum, si rite explentur, dulcissima præmia, ad nostrum hunc locum accommodate, enarrantur a Virtute, quam *Prodicus* induxit loquentem in eleganti Herculis apud Xenophontem historiâ : Juvenes nempe senum laudibus delectari, senes vero non minus juvenum honores ipsis præstitos amare, illosque, rerum olim gestarum placide memores, haud minori cum voluptate præsentia peragere : qui enim illam (Virtutem)

(1) Pereleganter docuit *Callimachus*, multo levius senem illum consenescere, quem diligant pueri et suum tamquam parentem domum deducant.

> Γηράσκει δ' ὁ γέρων κεῖνος ἐλαφρότερον,
> Κοῦροι τὸν φιλέουσιν, ἐὸν δέ μιν οἷα τοκῆα
> Χειρὸς ἐπ' οἰκείην ἄχρις ἄγουσι θύρην.

fragmento Libri I. Caussarum, a Stobæo Sermon. CXIV. servato, Collectionis Bentlejanæ Fragm. XI. pag. 420. Ernesti. Conf. ipsa Catonis verba Cap. 18. § 63. ubi eadem fere, de senum auctoritate disputans, repetit: ad quem locum nos plura dabimus.

colerent, eos Diis esse acceptos, ab amicis dilectos, patriæ caros; denique quum statuta fato dies advenisset, non inhonoratos sine ullâ sui memoriâ jacere, sed apud posteros perpetuo celebratos florere (1). Hæc itaque si vera sunt, ut sunt verissima, quid est quod objiciatur illud esse senibus miserum, quod ab aliis despiciantur, cum contra ea omnibus bene cordatis amore et veneratione videantur dignissimi. « Quid enim est jucundius senectute, stipatâ studiis juventutis (2). » Cap. 9. § 28.

Atque his omnibus mirâ cum animi alacritate demonstratis infractisque illorum opinionibus qui senectutem a rebus gerendis avocare contenderent, hanc suæ disputationis partem ita concludit Cato : « Videtis ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam operosa et semper agens aliquid et moliens, tale scilicet quale cujusque studium in superiore vita fuit (3). » Cap. 8. § 26.

(1) XENOPHONTIS Memorab. Socratis Lib. II. cap. 1. § 33: Οἱ μὲν νέοι τοῖς τῶν πρεσβυτέρων ἐπαίνοις χαίρουσιν, οἱ δὲ γεραίτεροι ταῖς τῶν νέων τιμαῖς ἀγάλλονται· καὶ ἡδέως μὲν τῶν παλαιῶν πράξεων μέμνηνται, εὖ δὲ τὰς παρούσας ἥδονται πράττοντες, δι' ἐμὲ φίλοι μὲν θεοῖς ὄντες, ἀγαπητοὶ δὲ φίλοις, τίμιοι δὲ πατρίσιν. ὅταν δ' ἔλθῃ τὸ πεπρωμένον τέλος, οὐ μετὰ λήθης ἄτιμοι κεῖνται, ἀλλὰ μετὰ μνήμης τὸν ἀεὶ χρόνον ὑμνούμενοι θάλλουσι.

(2) Conf. De Amicitia Cap. 1. § 1. ubi exponit Cicero, quantum societate Scævolæ senis ipse juvenis oblectetur.

(3) Nam αἰσχρόν ἐστι, ἐν ᾧ βίῳ τὸ σῶμά σοι μὴ ἀπαυδᾷ, ἐν τούτω τὴν ψυχὴν προαπαυδᾷν, ut ait MARCUS ANTONINUS De Rebus Suis Lib. VI. § 29. coll. PLUTARCHO An Seni Gerenda Sit Respubl. pag. 783. E. Tom. IV. pag. 147. Wyttenb. Ὧν προαποθνήσκει τὸ φιλάνθρωπον καὶ φιλόκαλον, καὶ προαπαυδᾷ τῆς τῶν ἀναγκαίων ἐπιθυμίας ὁ τῶν καλῶν ζῆλος, τούτων ἡ ψυχὴ τὰ πρακτικὰ μέρη καὶ θεῖα ἐξιτηλότερα τῶν παθητικῶν καὶ σωματικῶν ἔχει. Vid. quæ ad laudata Antonini verba, nec Ciceronis hoc loco omisso, plura ex antiquis auctoribus collegit THOM. GATAKERUS (in Operibus Criticis pag. 186).

CAPUT TERTIUM.

QUO SOLVITUR ALTERA DUBITATIO, SENECTUTEM REDDERE CORPUS INFIRMIUS.

§ XXIII.

Impugnanda nunc est secunda illa caussa quæ in primis angere atque sollicitam habere senilem ætatem videtur, *Eam scilicet corpus reddere infirmius.* Sed si quis rationes, quæ in hâc disputatione tam artificiose a Nostro tractantur, cum illis quibus primam illam caussam modo expositam (senectutem avocare a rebus gerendis) Cato diluerat, sedulo comparare voluerit, facile apparebit alteras cum alteris cohærere nec nisi ob tractandi commoditatem a se invicem esse sejunctas. Nam si corpus est infirmum, caret viribus; si viribus caret, abstrahit a rebus gerendis ideoque, cum effectus cogitari sine caussâ nequeat, sive tacitâ illâ sive expressâ, si senectus hoc non efficit, ut avocet a rebus gerendis, illud consequitur, in senectute corpus necdum prorsus debilitari et pristini etiam roboris aliquid retinere. Sed dicat fortasse aliquis, cum utrumque quod objicitur eodem fere redeat, abs re fuisse duplici modo illud pertractare, magisque convenisse, quæ inter se nexa essent ea simul oculis subjicere. Sed cavendum est, ne de ejus-

modi rebus inconsiderate judicemus et rationem quam secutus est Cicero temere reprehendamus, cum probabile sit illum non inconsulto hanc potissimum viam iniisse, verum ut omnia melius inter se apta essent et connexa. Nam si acrius hanc disputationem persequemur et singula ejus momenta diligentius ponderabimus, sane haud difficile erit occulta perspicere incitamenta quæ auctorem induxerint ad nova accumulanda argumenta varieque ea tractanda, ut animo scilicet certo et confirmato in caussâ consisteret. Nullum enim dubium est quin ante omnia hoc merito possit objici senectuti, *eam corpus reddere infirmius*. Quod quidem ex ipsis naturæ legibus in hanc ætatem convenit. Atque hoc Cicero quoque, qui tam acute semper in disceptando adversariorum scrutatur consilia novitque omnia in controversiis diverticula, bene providit persuasumque habuit, perdifficile futurum diversis argumentis adlatæ dubitationis vim infringere. Devium itaque ingressus iter iisque omnibus quæ obstare et impedire videbantur remotis, eo quo intenderat deductus est. Nam hoc argumento, *Senectutem avocare a rebus gerendis*, quod, si viâ et ratione procedere voluisset, subsequi debebat, impugnato, facilius alterum, quod prioris caussam continet et quod jam pertractaturus erat, debilitari posse arbitratus est. Præterea hoc loco est animadvertendum, quo ingenii acumine, qua arte hac in re usus sit auctor. Non enim nude atque aperte quæ objiciebantur se nunc esse infirmaturum profitetur neque, sicut in ipsâ universi Dialogi distributione (Cap. 3. § 15.) enuntiavit, diluendum argumentum disertis verbis proponit, sed quasi illud quod præcedenti Capite exposuimus persequatur, progreditur ad alteram disputationem, illamque obiter tantum prænuntiat. « Nec nunc quidem vires desidero adolescentis (is enim erat locus alter de vitiis senectutis). » Cap. 9. § 27.

8.

§ XXIV.

Quoniam autem fieri vix poterat ut, quod initio affirmaverat, *Senilem ætatem corpus non reddere infirmius*, validis argumentis demonstraret, in eo se continuit ut doceret: etiamsi jam paululum infractum sit corpus nec eadem amplius efficere possint senes quæ juvenes, qui florente ætate viris maximis fruantur; facile tamen eos viribus istis juvenilibus carere; quum alia sint majoris momenti, quæ ipsos curare maxime conveniret. Unde jam apparet, idem illum egisse in posteriori illâ caussâ indirecte concutiendâ quod directe quidem in priori peregerit. Nam in utraque disputationis parte exponit exercitationes quæ, cum sine magnis corporis viribus peragantur, prorsus idoneæ sint et accommodatæ bonis honestisque senibus. Ipsum vero utriusque partis argumentum diversum est. Uti enim altera in eo præsertim versatur, ut demonstretur non impares esse senes administrandæ reipublicæ nec, modo se exerceant, memoriâ eos vacillare et inepte iis exprobari alias quasdam ætatis imbecillitates; sic in alterâ hoc præsertim agitur, ut probetur suos quamque ætatem habere mores et suas item propriasque vires, quibus etiamsi senes indigeant, alia ipsis esse agenda quæ magnos corporis vires non admodum desiderent, penitusque ipsos esse aptos ad instituendam docendamque juventutem: deinde orationem quoque senum, siquidem diserti sint, comtam esse posse et lenitatis aliquid ac suavitatis habere; ac postremo, licet multi manci atque ætate confecti sint senes, remedia tamen optima exstare quibus hæc ætatis vitia aliquantum imminui, quin immo interdum tolli penitus possint; quæ singula pro instituto nostro accurate deinceps persequi conabimur.

§ XXV.

Atque ut ipsa natura, ex Aristotelis sententiâ, liberorum et servorum dissimilia fecisse corpora videtur, cum his valentia atque robusta ad sustentandos maximos labores idonea, illis vero debiliora ad ejusmodi opera suscipienda sed apta ad vitam civilem largita sit (1); sic etiam unicuique hominis ætati varias impertivit vires, easque quæ cuique maxime conveniunt. Nec itaque senex desiderat robur adolescentis, non magis quam adolescens tauri aut elephanti sibi arrogat. «Cursus est certus ætatis, et una via naturæ eaque simplex, suaque cuique parti ætatis tempestivitas est data, ut et infirmitas puerorum et ferocitas juvenum et gravitas jam constantis ætatis et senectutis maturitas quoddam naturale habeat, quod suo tempore percipi debeat.» Cap. 10. § 33. Quatuor enim vitæ ætates distinguendas esse existimat Cato, quarum, moderante ipsâ naturâ, suas quæque dotes habeat atque virtutes. Et similiter multi Philosophi tum antiqui tum recentiores vitam distribuerunt; alii tamen alio modo. Nam *Hippocrates*

(1) Docet hoc ARISTOTELES Lib. I. De Republ. cap. 2. *Βούλεται μὲν οὖν ἡ φύσις καὶ τὰ σώματα διαφέροντα ποιεῖν τὰ τῶν ἐλευθέρων καὶ τῶν δούλων, τὰ μὲν ἰσχυρὰ πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρῆσιν· τὰ δ' ὀρθὰ καὶ ἄχρηστα πρὸς τὰς τοιαύτας ἐργασίας, ἀλλὰ χρήσιμα πρὸς πολιτικὸν βίον.* Minus tamen firma nobis videtur in se ipsâ hæc sententia, nec naturam inter se distinxisse liberos et servos arbitramur; quandoquidem omnes nascimur liberi. Quod si corpora liberorum debiliora sunt, hujus rei ratio inde est petenda quod non illis se exercent laboribus, ad quos coacti servi robustiores evadunt, et quod præterea liberi, otio sæpe et voluptatibus diffluentes omnibusque animi perturbationibus magis obnoxii, suâ ipsorum culpâ valetudinem et corporis vires frangunt ac debilitant. Qua de re infra pluribus disseremus.

septem accepit gradus, *Solon* decem, *Staseas* Peripateticus duodecim (1), *Aristoteles* tres (2). Simpliciorem tamen Noster secutus viam, vitam hominis secundum quatuor anni tempestates distribuit (3), nec tamen in iis computandis eum tenuit ordinem quem naturalis ratio poscere videbatur.

§ XXVI.

Ac primum quidem infirmitatem esse infantium dicit; quæ res vel ex nomine infantiæ satis intelligitur. Nam infantes imbecilli suâ ipsorum naturâ adhuc titubant atque vacillant. Et est hic sane hujus ætatis, ut ita dicam, character; quamquam, si volumus ab omni partium studio esse alieni, haud immerito etiam senibus tribuere illud possumus, eâ tamen differentiâ, ut virium defectio quam in infantibus animadvertimus non eadem continuo permaneat sed, ætate paullatim progrediente, corporis firmitate et robore excipiatur; in senibus contra imbecillitas virium, quæ ex parte jam debilitatæ sint atque infractæ, augeantur potius quam imminuantur. Atque huc per-

(1) Conf. omnino CENSORINUS De Die Natali Cap. XIV. ad eumque LINDENBROGIUS pag. 67, sqq. MENAGIUS ad Diogenem Laërtium Lib. I, segm. 54. pag. 30.

(2) ARISTOTELES Rhetoricorum Lib. II. cap. 12, 13 et 14. Tom. II. pag. 565, sqq. Duval., qui primum de juvenibus, tum de senibus et postremo de virili ætate tamquam perfectâ, loquitur.

(3) Sic etiam *Pythagoras* vitæ ætates distribuit, viginti cuique annos tribuens. Qui in primâ est ætate, hoc est, in infantiâ, ab ipso vocatur παῖς; qui in alterâ, νεηνίσκος, h. e. adolescens; qui in tertiâ, νεηνίας, h. e. juvenis (quæ ætas virilem quoque complectitur); qui tandem in postremâ est, ei dicitur γέρων, senex. Conf. DIOGENES LAERTIUS Lib. VIII. segm. 10. ibique ALDOBRANDINUS.

tinet etiam proverbium illud: Δὶς παῖδες οἱ γέροντες, *Bis pueri senes* (1). Verum ejusmodi vitium, quod objicitur interdum senectuti, rationibus quibus laudare eam vult Noster, omnino contrarium est. Tribuit deinde ille ferocitatem *juvenibus*, qui,

(1) Usus est hoc proverbio PLATO in Axiocho pag. 367. B. Steph. Tom. XI. pag. 187. Bipont. Καὶ τῶν δὶς παῖδες οἱ γέροντες γίγνονται. IDEM De Legibus Lib. I. cap. 14. pag. 946. A. pag. 38. Astii: Οὐ μόνον ἄρ', ὡς ἔοικεν, ὁ γέρων δὶς παῖς γίγνοιτ' ἄν, ἀλλὰ καὶ ὁ μεθυσθείς: quem locum adhibuerunt CLEMENS ALEXANDRINUS Stromatt. Lib. VI. pag. 626. A. Sylb. et STOBÆUS Sermon. XVIII. pag. 165. lin. 27. Tigur. Versui intexuit illud ARISTOPHANES in Nubibus, v. 1418, sq.

Φήσεις νομίζεσθαι σὺ παιδὸς τοῦτο τοὔργον εἶναι;
Ἐγὼ δέ γ' ἀντείποιμ' ἄν, ὡς δὶς παῖδες οἱ γέροντες.

ubi vide SCHOLIASTAM pag. 111. Kusteri. Facete etiam in hoc proverbio lusit idem ARISTOPHANES in Equitibus v. 1095. similem *Sophoclis* versum tangens,

Καὶ μὴν ἐμαυτὸν ἐπιτρέπω σοι τουτονὶ
Γεροντάγωγεῖν, κἀναπαιδεύειν πάλιν.

ubi itidem conferendus est SCHOLIASTES. In suum quoque usum illud convertit LUCIANUS in Saturnalibus prope finem, Tom. IX. pag. 11. Bipont., ubi Saturnus ita respondet Sacerdoti: εὐωχώμεθα δὲ ἤδη, καὶ κροτῶμεν, καὶ ἐπὶ τῇ ἐλευθερίᾳ ἤδη ζῶμεν· εἶτα πεττεύωμεν ἐς τὸ ἀρχαῖον ἐπὶ καρύων..... οὕτω γὰρ ἂν τὴν παροιμίαν ἐπαληθεύσαιμι, ἥ φησι, παλίμπαιδας τοὺς γέροντας γίγνεσθαι: item PLAUTUS in Mercatore Act. I. Sc. 2. v. 24, sq.

Senex cum extemplo est, jam nec sentit, nec sapit,
Ajunt solere eum rursum repuerascere.

Legitur etiam apud *Juncum* in STOBÆI Sermon. CXV. pag. 593. lin. 34. Tigur. Explicuit ad laudatum *Axiochi* locum SCHOLIASTES Ruhnkenii pag. 252. Δὶς παῖδες οἱ γέροντες· ἐπὶ τῶν πρὸς τῷ γήρᾳ εὐηθεστέρων εἶναι δοκούντων: quæ glossa exstat etiam apud DIOGENIANUM in Proverbiorum Centuria VI. pr. 18. pag. 209. Schotti. Conf. omnino ERASMUS noster in Adagior. Chiliad. I. Centur. V. pr. 36 (Opp. Tom. II, col. 195).

vi atque impetu ætatis lapsi, sæpius cupiditatibus lactati, sui ipsorum sint impotentes (1), *virili ætati* gravitatem (2), hoc est, firmitatem atque animi constantiam, in victu, moribus, in rebus gerendis non asperam quamdam severitatem, ut quæcumque nactæ sint juventus et senectus commoda, ea ipsi, qui hac sint ætate constituti, conjuncta habeant. Ὡς δὲ καθόλου εἰπεῖν, ὅσα μὲν διῄρηται ἡ νεότης καὶ τὸ γῆρας τῶν ὠφελίμων, ταῦτα ἄμφω ἔχουσιν (3). Quod si autem alio in loco aliter de eâdem re statuisse videtur Cicero, hoc nimio animi dolori, quo tum erat fractus, est tribuendum. Cum enim post mortem Tulliæ filiæ Consolationem scribens demonstrare esset conatus, quantis continuo obruta sit hæc ætas laboribus et molestiis, sic loquitur : « Hæc privata amicorum negotia procurat, hæc publica sustinet munera, hæc gloriam et commodum rebus feliciter evenientibus, hæc ærumnas et molestias ex adversis experitur ; huic

(1) Vid. quæ plura dedimus supra Cap. II. § XVI. pag. 44. not.

(2) Venustus est ea de re locus Scriptoris Francici : « Le rayon qui l'anime (l'homme dans l'âge viril), brille de tout son éclat ; son intelligence, échauffée par les feux que le trouble de la jeunesse a laissés dans son imagination, jouit de tous ses droits et soumet toute sa puissance. Son âme, animant alors un corps parfait, dont tous les organes ont reçu un juste degré de développement, où la force et la souplesse se trouvent réunies, et où tout seconde les divers mouvemens qui l'agitent, s'élance vers les spéculations les plus sublimes, découvre les grandes vérités, entreprend, exécute, achève les plus grands travaux. Alors l'homme véritable, emblème de la majesté et de la puissance, élevant sa tête droite et auguste sur un corps robuste et endurci, marche, parle, agit en maître de la nature, lui commande et la fait servir à ses nobles desseins. LACÉPÈDE, Poétique.

(3) ARISTOTELES Rhetoricor. Lib. II. cap. 14. Tom. II. pag. 565. E. Duval.

bonorum civium propugnatio, huic malorum accusatio præposita est, huic invidia et æmulatio a bonis imminent, a malis pericula et insidia intenduntur : ætas nunquam sibi ipsi est pacata: semper laboriosa, semper anxia et sollicita, quæ si non aliquos interdum vel utilitatis vel voluptatis fructus ex assiduo labore perciperet, se ipsam profecto regere ac tueri non posset (1). Sed ut revertamur unde sumus digressi, *senectuti* maturitas quædam naturalis a Catone tribuitur: qua in re non est vituperandus; quippe qui ipse senex senectutis laudes prædicet. Sed maturitas non tralatâ, at propriâ significatione dicitur de terræ fructibus, qui neque crudi neque caduci neque nimium cocti sunt : quæ quidem maturitas autumni præsertim tempore habetur, minime vero hieme, cui naturale est frigus; quod ipsum senibus maxime convenire existimat ARISTOTELES (2). Si itaque quatuor anni tempestates cum quatuor vitæ ætatibus comparamus, prout eas enumerat Cato, autumnus senectuti concedetur; cui vero tempestati hiems sit accommodanda plane ignorabitur (3). Sed si æqui volumus esse rerum existimatores, quæcumque hic Cato disserit ea optime inter se congruere intelligemus. Loquitur enim ille de siccâ atque viridi illa senectute quæ nondum pristinum corporis et animi robur omnino amiserit, verum etiam naturalem quamdam maturitatem, quæ fructus

(1) CICERO Consolat. Tom. IX. pag. 332. edit. Bipont.

(2) Rhetoric. Lib. II. cap. 13. pag. 565. A.

(3) *Pythagoras* quidem senectuti hiemem accommodavit. Αἱ δὲ ἡλικίαι πρὸς τὰς ὥρας ὧδε σύμμετροι· παῖς, ἔαρ· νεηνίσκος, φθινόπωρον· γέρων, χειμών. Sunt autem ætates anni temporibus accommodatæ, veri puer, æstati adolescens, autumno juvenis (in virili ætate) et hiemi senex. DIOGENES LAERTIUS Lib. VIII. segm. 10. ibique ALDOBRANDINUS.

pristinæ temperantiæ contineat, sit consecuta. Quocirca non immerito inferius mortem senum atque juvenum inter se comparans, ait: «Et quasi poma ex arboribus si cruda sunt, vi avelluntur, si matura et cocta, decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.» Cap. 20. § 72.

§ XXVII.

Atque hæc sunt quæ singulis ætatibus tribuit. Non tamen eadem est *Aristotelis* ratio, qui ita informavit *juvenes*, ut semper sint parati ad affectibus animi indulgendum, in horas mutabiles, studiosi quidem honorum sed magis victoriarum, in rebus futuris spem omnem ponentes atque ex ætatis moribus viventes magis quam duce ipsâ ratione (1). *Senes* contra existimat esse suspiciosos, credulos, pusillanimos atque timidos, ut tamen magis rationi quam moribus satisfaciant (2). Inter utramque autem illam ætatem quasi interjectos arbitratur *homines ætate virili præditos*, qui ex veritate omnia judicent, neque tantum ad honestatem quæcumque faciant sed etiam ad utilitatem referant, fortes simul ac temperantes, nec timidos nec nimis audaces, omniaque bona quæ accumulasse et senectus et juventus videantur eam ætatem sibi vindicare (3). Eodem fere modo HORATIUS,

(1) ARISTOTELES Rhetoricor. Lib. II. cap. 12. pag. 563, sqq. Duval. Monendum vero est, verborum Aristotelicorum nos summam tantum hic collegisse, cum Græca verba integra exscribere longum sit.

(2) ARISTOTELES Rhet. Lib. II. cap. 13. pag. 564, sqq.

(3) IDEM ibidem Lib. II. cap. 14. pag. 565, sqq.

qui tamen quatuor vitæ humanæ ætates admittit, earum singulas ut brevissime ita pulcherrime sic adumbravit: (1)

Reddere voces qui jam scit puer et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit, ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque, et aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper;
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis ætas animusque virilis
Quærit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, et inventis miser abstinet ac timet uti,
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat
Dilator, spe lentus, iners, pavidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero (2), censor castigatorque minorum. (3)

(1) In Arte Poëticâ v. 158, sqq.

(2) De omnibus istis vitiis fortasse hoc unum in senes cadere non diffitetur Cato, illos scilicet laudatores esse temporis acti. Sic Cap. 23. § 82. ait: « Ut de me ipso aliquid more senum glorier. » Et cap. 9. § 30. « Nihil necesse est mihi de me ipso dicere, quamquam est id quidem senile ætatique nostræ conceditur. »

(3) Hæc erudite suo more et pereleganter imitatus est Boileavius, sed de tribus tantum posterioribus ætatibus loquens, in Arte Poëticâ, Ch. III.

Un jeune homme toujours bouillant dans ses caprices
Est prompt à recevoir l'impression des vices;
Est vain dans ses discours, volage en ses désirs,
Rétif à la censure, et fou dans les plaisirs.
L'âge viril, plus mûr, inspire un air plus sage,
Se pousse auprès des grands, s'intrigue, se ménage;

§ XXVIII.

Verum tamen ut redeat unde declinaverat oratio, cum ipso Catone nos ita rationem concludamus, suam cuique ætati et propriam tempestivitatem esse datam. Cap. 10. § 33. Non enim senes requirere debent vires juvenum, cum in ipsâ hâc ætate non omnes eodem corporis vigore sint præditi. « Nec vos quidem T. Pontii Centurionis vires habetis: num idcirco est ille præstantior?» Cap. 10. § 33. Ideoque singulis ætatibus suæ mandantur partes quas quæque earum facile implere valeat (1).

Contre les coups du sort songe à se maintenir,
Et loin dans le présent regarde l'avenir.
La vieillesse, chagrine, incessamment amasse,
Garde non pas pour soi les trésors qu'elle entasse;
Marche en tous ses desseins d'un pas lent et glacé,
Toujours plaint le présent et vante le passé:
Inhabile aux plaisirs dont la jeunesse abuse,
Blâme en eux les douceurs que l'âge lui refuse.

Conf. præterea Delille, Poëme de l'Imagination, Ch. VI. Du Paty, Lettres sur l'Italie, lettre 92.

(1) Horatius in Arte Poëticâ v. 177.

Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles:
Semper in adjunctis ævoque morabimur aptis.

Quæ ita expressit Poëta Francicus, Art Poétique, Ch. III, vers la fin.

Ne faites point parler vos acteurs au hasard,
Un vieillard en jeune homme, un jeune homme en vieillard.

Sapienter item Minerva Telemachum adloquitur apud Homerum Odyss. I. v. 296.

Οὐδέ τί σε χρὴ
Νηπιάας ὀχέειν, ἐπεὶ οὐκέτι τηλίκος ἐσσί.

et in eamdem sententiam Divus Apostolus dixit in Epist. I. ad Corinthios Cap. XIII. v. 11. "Οτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν, ὡς νήπιος ἐφρόνουν, ὡς νήπιος ἐλογιζόμην· ὅτε δὲ γέγονα ἀνὴρ, κατήργηκα τὰ τοῦ νηπίου.

Senibus, modo illud sapienti pristinæ vitæ moderamine sint consequuti, etiam temperatæ erunt vires et licet non omnes tam firmi validique sint, ut vires ne minimâ quidem ex parte senectute frangantur aut imminuantur, quod obtigit v. c. Cyro Minori qui, morti proximus, circumstantibus filiis atque amicis negabat « se unquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam, quam in adolescentiâ fuisset » (1) Cap. 9. § 30. : licet non omnes eodem corporis robore sint quo Masinissa, qui « quum ingressus iter pedibus esset, in equum omnino non ascendebat; quum equo, ex equo non descendebat, nullo imbre, nullo frigore adducebatur, ut capite operto esset » (2) Cap. 10. § 34 : licet igitur non tantæ sint omnium vires, similis tamen unusquisque exsistere potest Appii Claudii, qui et senex et cœcus (3) totius adhuc familiæ invigilabat commodis, atque sub suâ potestate quatuor robustos filios, quinque filias habebat, tantamque domum totque regebat clien-

(1) Hæc Noster sumsit e XENOPHONTIS Cyri Disciplinâ Lib. VIII. cap. 7. pag. 640. Schneideri. Verba hæc sunt : *Σὺν τῷ χρόνῳ προϊόντι ἀεὶ συναυξανομένην ἐπιγιγνώσκειν ἐδόκουν καὶ τὴν ἐμὴν δύναμιν, ὥςτε καὶ τοὐμὸν γῆρας οὐδεπώποτε ᾐσθόμην τῆς ἐμῆς νεότητος ἀσθενέςερον γιγνόμενον, καὶ οὔτ' ἐπιχειρήσας οὔτ' ἐπιθυμήσας οἶδα ὅ,του ἠτύχησα.* Integrum autem Cyri sermonem Latine conversum Cato exhibet infra Cap. 22.

(2) Eadem fere de Masinissa habet VALERIUS MAXIMUS Lib. VIII. cap. 13. § 3., ubi addit : « Eundem ferunt aliquot horis in eodem vestigio perstare solitum, non ante moto pede, quam consimili labore juvenes fatigasset. » De eodem præterea conferatur PLINIUS in Hist. Nat. Lib. VII. cap. 14 et 48. item SALLUSTIUS De Bello Jugurthino Cap. V. ibique CORTIUS.

(3) De Appio Claudio loquens eadem ratione *senectutem ejus ac cæcitatem* conjunxit PLUTARCHUS in Vitâ Pyrrhi Cap. 18. Tom. IV. pag. 94. Schæferi. Κλαύδιος Ἄππιος *ἀνὴρ ἐπιφανὴς, ὑπὸ δὲ γήρως ἅμα καὶ πηρώσεως ὀμμάτων ἀπειρηκὼς πρὸς τὴν πολιτείαν καὶ πεπαυμένος.*

telas. «Intentum enim animum tanquam arcum habebat, nec languescens succumbebat senectuti.» Cap. 11. § 37. Similes esse itidem possunt senes ipsius Catonis, qui quamquam ipsemet fateatur se non iisdem amplius esse viribus quibus juvenis fuerit, merito tamen gloriatur se neque enervatum neque afflictum esse senectute, ut sedulo possit et publica et privata munera adhuc obire. «Non enim curia, inquit, vires meas desiderat, non rostra, non amici, non clientes, non hospites.» Cap. 10. § 32.

§ XXIX.

Quid igitur laudabilius, quid præstantius excogitari potest senectute, quæ varia officia ætati propria exsequatur resque tam publicas quam privatas seu domesticas æquo animo administret. «Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus retinet, si nemini mancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos.» Cap. 11. § 38. Haud itaque injuriâ Cato exprobrat Miloni ignaviam animique remissionem, qui, pugnantibus in arenâ athletis, infractos suos adspiciens lacertos, victoriarum recordatione et pristinæ gloriæ desiderio illachrimans exclamavit: «At hi quidem jam mortui sunt (1). Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator: neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis.» Cap. 9. § 27. Quanto fortius egit senex ille Entellus apud Virgilium qui, viribus propter ætatem jam deficientibus, ita loquitur:

(1) De Milone Crotoniate vid. quæ ad Ovidii Ibin v. 611. collegit SALVAGNIUS Tom. IV. pag. 156. Burm., item OLEARIUS ad Philostrati Vitam Apollonii Lib. I. cap. 28. pag. 167, sqq. et præterea PLINIUS H. N. Lib. VII. cap. 20. VALERIUS MAXIMUS IX. 12. 9. GELLIUS N. A. Lib. XV. cap. 16. et STRABO Lib. VI. § 12. pag. 403. Almelov. Tom. II. pag. 243. Siebenk.

Non laudis amor nec gloria cessat
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senectâ
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires (1).

Verbis igitur Acestis ad pugnandum stimulatus, descendit in arenam, nimisque superbientem devicit Daretem. Interdum itaque fit ut gloriâ pristinarum virium inflammatus aliquis senex in ipsâ frigidâ ætate tam fortem se exhibeat, ut juvenilia etiam facinora perpetret; quo autem bono utendum est, dum aderit; quum absit, non requirendum. « Tantum, quantum potest, quisque nitatur. » Cap. 10. § 33. et Cap. 9. § 27. « Quod est, eo decet uti, et quidquid agas, agere pro viribus. » Non enim juvenis in florenti ætate omnino se senem præbere debet, neque concupiscere ea quæ senili solummodo ætati conveniunt. Quocirca recte ait Cato: « Nec unquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet mature fieri senem, si diu velis esse senex: ego vero me minus diu senem esse mallem, quam esse senem ante, quam essem. » Cap. 10. § 32. (2) Quam sententiam si comparaveris cum eâ quæ paulo inferius reperitur, altera alteri videtur adversari. Ait enim Cap. 11. § 38. « Ut adolescentem, in quo senile aliquid; sic senem, in quo adolescentis aliquid, probo. » Unde luce clarius videtur apparere Catonis orationem sibi ipsam non constare eumque pugnantia loqui, siquidem huc usque docuit naturalem rationem sibi postulare, ut illud quisque agat quod

(1) Virgilius Æneid. Lib. V. v. 394.

(2) Sic etiam infra Cato, Cap. 22. § 72: « Ita fit ut illud breve vitæ reliquum nec avide appetendum senibus, nec sine caussâ deserendum sit. » Seneca Ep. LVIII. « Potest frugalitas producere senectutem, quam ut non puto concupiscendam, ita ne recusandam quidem. »

consentaneum sit huic ætati quâ sit constitutus, « nisi forte adolescentes pueritiam, paulum ætate progressi adolescentiam debeant requirere. » Cap. 10. § 33: quæ sane per ironiam sunt dicta. Verum tamen si diversas ponderaverimus caussas, quibus permotus Cato utrumque enuntiarit, non erit dubitandum quin alterum egregie cum altero possit conciliari. Cum enim Cato rejiciendum censet tritum illud sermone proverbium, *mature fieri senem oportere,* illud significat, non in juventute juvenilia esse intermittenda, in senectute illa esse præstanda quæ huic alteri ætati solum conveniant. Ubi vero *juvenem, in quo aliquid senile est, probat,* hæc est illius sententia, ut juvenes, quoad fieri ejus possit, cum suæ ætatis commodis ornamenta senectutis, consilium et prudentiam, studeant consociare et pravas cupiditates coërcere reliquasque animi perturbationes, ratione moderante, comprimere: ut unius ætatis condimentum in alterius utilitatem commodumque transferatur (1).

§ XXX.

Sed ad hunc usque locum alteram tantum hujus quæstionis partem attigerat Cato, non deesse senectuti vires, quamquam modicas illas et huic ætati accommodatas; nunc ad alteram progreditur, licet vel ipsæ illæ desint, non admodum tamen eas desiderari. « Ne postulantur quidem vires

(1) Senectutis ornamenta egregie descripsit auctor Gallicus : « Que l'on conserve à la vieillesse toute la raison et toute la lumière de l'expérience; qu'elle présente même encore quelquefois un corps vigoureux, et que, sous ses cheveux blancs, elle offre toujours un front auguste ; que le vieillard soit représenté comme un chêne antique qui soutient encore avec force ses rameaux puissants. LACÉPÈDE, Poétique de la Musique.

a senectute. Cap. 11. § 35. Et multa profecto sunt eaque præstantiora, quæ geruntur sine viribus. « Ergo et legibus et institutis vacat ætas nostra muneribus iis, quæ non possunt sine viribus sustineri. » § 35. Quæ præsertim spectant ad administrationem reipublicæ, de quâ antea est actum. Sed illud potissimum senectuti relinquamus, « ut adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat. Quo quidem opere quid potest præclarius esse? » Cap. 9. § 29. Elegantiores enim senes, quanto magis corporeæ marcescunt facultates tanto acrius artium desiderio flagrant, tantoque firmius alios ea docere possunt quæ factu sint utilia (1): ob eamque caussam præcipue imperii habenas moderandas esse senibus docet Plutarchus, quia instituant formentque juventutem ad omnia boni civis honestique viri munera fideliter implenda: Εἰ διὰ μηδὲν ἄλλο τῷ γέροντι, παιδείας ἕνεκα τῶν νέων καὶ διδασκαλίας πολιτευτέον ἐςίν. Ὡς γὰρ οἱ γράμματα καὶ μουσικὴν διδάσκοντες, αὐτοὶ προανακρούονται καὶ προαναγινώσκουσιν, ὑφηγούμενοι τοῖς μανθάνουσιν, οὕτως ὁ πολιτικὸς, οὐ λέγων μόνον οὐδὲ ὑπαγορεύων ἔξωθεν, ἀλλὰ πράττων τὰ κοινὰ καὶ διοικῶν ἐπευθύνει τὸν νέον ἔργοις ἅμα καὶ λόγοις πλαττόμενον ἐμψύχως καὶ κατασχηματιζόμενον (2). Recte itaque præcepisse videtur Plato in Republicâ, seniores debere junioribus præesse (3). Et fortunati

(1) *Anaximenes* apud Stobæum Sermon. CXVI. pag. 594. Tigur. pag. 592. Basil.: *τοῖς ἀςείοις πρεςβύταις ὅσον αἱ κατὰ τὸ σῶμα ἡδοναὶ ἀπομαραίνονται, τοσοῦτον αἱ περὶ τοὺς λόγους ἐπιθυμίαι πάλιν αὔξονται· καὶ τοσούτῳ βεβαιότερον αὐτοῖς παρέχει τὸ λέγειν τι χρήσιμον τοῖς ἄλλοις.*

(2) In opere quod inscribitur An Seni Gerenda Sit Resp. pag. 790. E. Tom. IV. pag. 174. Wyttenb.

(3) Plato De Republ. Lib. V. cap. 12. pag. 465. A. Steph. p. 149. Astii: *πρεσβυτέρῳ νεωτέρων πάντων ἄρχειν τε καὶ κολάζειν προστετάξεται*: et Lib. III. cap. 19. pag. 412. C. Steph. pag. 94. Astii: *πρεσβυτέρους μὲν τοὺς ἄρχοντας δεῖ εἶναι, νεωτέρους δὲ τοὺς ἀρχομένους.*

omnino prædicandi sunt senes qui, licet pristinis viribus destituti, catervâ adolescentum circumdati, in iis erudiendis atque instituendis reliquam vitæ partem tranquille transigunt. « Mihi vero Cn. et Publ. Scipiones et avi tui duo L. AEmilius et P. Africanus, comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur: nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenuerint vires atque defecerint.» Cap. 9. § 29. Idcirco apud Persas etiam præerant pueris delecti quidam ex senioribus, qui eos effecturi quam optimos videbantur. Καὶ ἐπὶ τοῖς παισὶν ἐκ τῶν γεραιτέρων ᾑρημένοι εἰσὶν, οἳ ἂν δοκῶσι τοὺς παῖδας βελτίστους ἂν ἀποδεικνύναι (1). Sed ne quis opinetur solâ juventutis institutione senectutis officia terminari, intelligendum est complures easdemque ingenuas occupationes ei superesse, quæ non magis quam docendi munus præcipuas corporis vires desiderent. Atque hæc eædem sunt, quibus in summâ quidem senectute maximi viri oblectabantur, veluti S. AElius Ti. Coruncanius, P. Crassus; « a quibus jura præscribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia.» Cap. 9. § 27. Eadem hæc munera sunt, quæ ipsummet se obiisse Cato profitetur. Quamquam enim modestius egerat antea dicens « Nihil enim necesse est mihi, de me ipso dicere, quanquam est id quidem senile (2) ætatique nostræ conceditur, » Cap. 9. § 30; tamen

(1) Xenophon Cyropæd. Lib. I. cap. 2. § 5. pag. 11. Schneid. Sic Plinius Lib. III. ep. 14: « Erat antiquitus institutum, ut a majoribus natu non auribus modo verum etiam oculis disceremus quæ facienda essent. » Conf. Guil. Budæus ad Pandectas pag. 244.

(2) Simile est illud Cap. 14. § 46. « Habeo senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. » Quæ expressa videntur ex Platone De Republ. Lib. I. cap. 2. pag. 238. C. Steph. Εὖ ἴσθι, ὅτι ἔμοιγε ὅσον αἱ ἄλλαι αἱ κατὰ τὸ σῶμα ἡδοναὶ ἀπομαραίνονται, τοσοῦτον

occupatione, quam dicunt, utens postea continuo summus vir sua ipsius facta studet exponere. « Septimus mihi Originum liber est in manibus (1); omnia antiquitatis monumenta colligo; causarum illustrium, quascumque defendi, nunc cum maxime conficio orationes (2); jus augurum, pontificum, civile tracto; multum etiam Græcis literis utor (3). Adsum amicis; venio in senatum frequens, ultroque affero res multum et diu cogitatas; easque tueor animi, non corporis viribus.» Cap 11. § 38. (4). Hæc itaque secum reputans, quibus

αὔξονται αἱ περὶ τοὺς λόγους ἐπιθυμίαι τε καὶ ἡδοναί: quem locum in suum quoque usum converterunt Ecclesiæ Patres: CLEMENS ALEXANDRINUS Stromat. III. pag. 433. D. THEODORETUS Therapeut. XII. pag. 668, sqq. et insuper STOBÆUS Sermon. CXII. pag. 589. lin. 26. ab Astio pag. 325. laudd. Conf. etiam Dio CHRYSOSTOMUS Orat. VII. pag. 98. C. *Πρεσβυτικὸν πολυλογία*: (quo in loco aliam quoque Platonis imitationem notavit Celeb. WYTTENBACHIUS in Philomathiâ s. Miscellan. Doctrin. Tom. II. pag. 58). Cujus rei rationem indicat ARISTOTELES Rhetor. Lib. II. cap. 13. Tom. II. pag. 565. Duval. *Καὶ ζῶσιν οἱ πρεσβύτεροι τῇ μνήμῃ μᾶλλον, ἢ τῇ ἐλπίδι· τοῦ γὰρ βίου τὸ μὲν λοιπὸν ὀλίγον· τὸ δὲ παρεληλυθὸς, πολύ· ἔστι δὲ ἡ μὲν ἐλπὶς τοῦ μέλλοντος· ἡ δὲ μνήμη τῶν παροιχομένων. ὅπερ αἴτιον καὶ τῆς ἀδολεσχίας αὐτοῖς· διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες· ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται.*

(1) CICERO De Orat. I. 55. Brut. Cap. 17. et CORNEL. NEP. Vit. Cat. 3. 4.

(2) CICERO De Orat. I. 37. Brut. Cap. 15. 16 et 17.

(3) Conf. De Senect. Cap. 1. § 3. et cap. 8. § 26. Acad. IV. 2. et QUINCTIL. XII. cap. 11. AUREL. VICTOR XLVII. 1. VALER. MAXIM. VIII. 7. 1. HIERONYM. Ep. 2 et 8. TERTULLIAN. De Pallio Cap. 3. et quæ dedimus supra Cap. I. § VIII.

(4) Eadem fere narravit Cap. 10. § 32. et facere huc videtur SENECÆ cum maxime locus in Ep. LXXXVII. pag. 560, sq. « M. Catonem Censorinum tam reipublicæ Romanæ profuit nasci, quam Scipionem; alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit. Canterio

10.

in summâ senectute peragendis idoneum se profitebatur, merito sic rationem concludit: « Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis: in his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. » § 38.

§ XXXI.

Sed ut senectuti nec aptius ullum nec jucundius esse queat officium quam patriæ commodis consulere, sententiam ferre in senatu, erudire juventutem, defendere amicos, agere caussas atque orationes conficere, prout faciebat Cato senex, admodum tamen verendum est ne vox ætate infracta penitus deficiat. « Orator, metuo, ne languescat senectute: est enim munus ejus non ingenii solum sed laterum etiam et virium. » Cap. 9. § 28. Nam utrumque est conjungendum, quia nec absque ingenio nec sine canorâ voce persuadere, delectare præsertim et permovere potest. At illud caput rei est, hoc non tam arcte cum ejus naturâ est copulatum; illud ab oratoris vi et naturâ separari omnino nequit, hoc si accesserit laudabile est, sin minus, non vehementer est requirendum. Quamquam vocem claram atque virilem interdum etiam in sene inesse,

vehebatur, et hippopenis quidem impositis, ut secum utilia portaret. O quantum erat sæculi decus, imperatorem triumphalem, censorium, et quod super hæc omnia est, Catonem, uno caballo esse contentum et ne toto quidem! Partem enim occupabant sarcinæ ab utroque latere dependentes. » LUCANUS de eo vere cecinit in Pharsalicis,

Secta fuit, servare modum, fidemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

Conf. DUMBECKII Clio, sive De Historiâ Dialog. II. cap. 6. § 62.

suo ipsius exemplo affirmat Cato. «Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute; quod equidem adhuc non amisi; et videtis annos.» Cap. 9. § 28. Sed licet senex in dicendo hanc amiserit vocis mollitudinem et flexibilitatem, «tamen est decorus ejus sermo, quietus et remissus, facitque persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis comta et mitis oratio.» § 28. Et hinc rursus nova est petenda ratio, cur summa potestas in civitate senibus sit mandanda. Illi enim quieto illo atque placido sermonis genere in maximis tumultibus atque dissensionibus civilibus facile seditiosos homines comprimunt animosque effervescentes penitus sedant; quod quidem melius assequuntur quam perversi isti oratores, qui grandiori sæpe et pleniori voce magis magisque stimulant iram improborum eosque apertis verbis non minus quam clandestinis consiliis in exitium patriæ advocant. Αἱ πόλεις ὅταν πταίσωσιν ἢ φοβηθῶσι, πρεσβυτέρων ποθοῦσιν ἀρχὴν ἀνθρώπων. καὶ πολλάκις ἐξ ἀγροῦ κατάγουσαι γέροντα μὴ δεόμενον, μηδὲ βουλόμενον ἠνάγκασαν, ὥσπερ οἰάκων ἐφαψάμενον, εἰς ἀσφαλὲς καταστῆσαι τὰ πράγματα, παρωσάμεναί τε ςρατηγοὺς καὶ δημαγωγοὺς βοᾷν μέγα καὶ λέγειν ἄπνευςί (1).

§ XXXII.

Hanc singularem laudem Homerum Nestori tribuisse narrat Cato. «Etenim ex ejus linguâ melle dulcior fluebat oratio. Quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus.»

Τοῖσι δὲ Νέςωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητής,

(1) Plutarch. An Seni Gerenda Sit Respublica pag. 788. D. Tom. IV. pag. 165. Wyttenb.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.
Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
Ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν (1).

Atque hæc ipsa res in causså fuit cur Agamemnon, licet in exercitu haberet longe præstantissimos Græciæ principes et bellicâ virtute maxime insignes, hoc unum optaret, ut decem sibi essent *Nestoris* similes, qui et auctoritate memoriâque egregiorum facinorum et præsertim nitidâ atque

(1) HOMERI Iliad. I. v. 247–252. Quem locum tetigit PLATO De Legibus Lib. IV. cap. 4. pag. 711. D. Steph. pag. 239. Astii, et PLINIUS Lib. IV. ep. 3. § 3. item LUCIANUS in Imaginibus Cap. 13. Tom. VI. pag. 15., sq. Bip. Τὸ *γλυκίων μέλιτος ἀπὸ τῆς γλώττης, περὶ αὐτῆς (τῆς γυναικός) μᾶλλον ἢ περὶ τοῦ Πυλίου γέροντος ἐκείνου*, ὁ Ὅμηρος *ἂν εἴρηκε*: et rursus in Parasito Cap. 44. Tom. VII. pag. 136. Bip. Νέϛωρ *ἐκεῖνος, οὗ ἀπὸ τῆς γλώττης ὥσπερ μέλι ὁ λόγος ἀπέῤῥει*. Imitando autem Homericos versus expressit proxime HESIODUS in Deor. Generat. v. 96:

ὁ δ' ὄλβιος ὅντινα Μοῦσαι
Φιλεῦνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ ϛόματος ῥέει αὐδή.

ac deinde optimi quique et Græci et Latini auctores, ut PINDARUS Isthm. II. v. 12: *ἀοιδαὶ μελίφθογγοι*. Olymp. XI. 4. Pyth. III. 113. Isthm. II. 5. *μελιγάρυες ὕμνοι*. ARISTOPHANES Avib. v. 909. *μελίγλωσσα ἔπεα*. IDEM in Thesmophoriaz. v. 1204. ubi Scytha barbarizans ait: Ὡς *γλυκερὸ τὸ γλῶσσ' ὥσπερ Ἀττικὸς μέλις*. THEOCRITUS Idyll. I. vers. 146:

Πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν ϛόμα.

Idem Idyll. VIII. vers. 83:

Κρέσσον μελπομένου τευ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν.

et Idyll. XX. v. 27. Conf. CLEMENS ALEXANDRINUS in Pædagog. Lib. I. cap. 6. pag. 107. Sylb. pag. 128. Potter; et quæ præterea dedit HEYNIUS ad laudatum Homericum locum in Observatt. Tom. IV. pag. 79.

simplici oratione militum animos ad laudabilia quæque suscipienda inflammarent. «Dux ille Græciæ nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris; quod si acciderit, non dubitat quin brevi Troja sit peritura.» Cap. X. § 31.

Αἶ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον!
Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν·
Τῷ κε τάχ' ἠμύσειε πόλις Πριάμοιο ἄνακτος,
Χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσιν ἁλοῦσά τε, περθομένη τε (1).

Si vero senex ita annis erit debilitatus, ut ne vocis quidem suavitate allicere ac delectare audientes ipse possit, optimi aderunt juvenes, qui ejus præceptis ad eloquentiam conformati libentes sustineant vices venerandi senis, cujus præsertim ætas atque auctoritas maximum orationi pondus addent. « Facit persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis comta et mitis oratio. Quod si exsequi nequeas, possis tamen Scipioni præcipere et Lælio.» Cap. 9. § 28. Si quis vero ad eam pervenerit senectutem, ut decrepitus plane sit et caducus nec amplius ne minimi quidem explendi muneris capax, tum

(1) Iliad. II. 371–374. Ad grammaticam hujus loci rationem quod attinet, eum bene explicuerunt *Zeunius* ad VIGERUM De Græcæ Linguæ Idiotismis pag. 503. a. 304. a. et HOOGEVEEN in Doctrin. Particul. Græcar. Tom. I. pag. 336. et Tom. II. pag. 1257. Alterum versum,

Τοιοῦτοι δέκα μοι κ. τ. λ.

laudavit etiam eâdem de re disputans PLUTARCHUS in op. An Seni Ger. Sit Respubl. pag. 789. F. Tom. IV. pag. 171. Wyttenb. item ARISTOTELES De Republ. Lib. III. cap. 12. Tom. II. pag. 352. Duval. Tetigit locum DIO CHRYSOSTOMUS De Regno Orat. II. pag. 22. D. Morell. Tom. I. pag. 80. Reisk. LIBANIUS in Declamat. XXXI. pag. 710. C. D. Morell. Tom. IV. pag. 522. Reisk. et DIONYSIUS HALICARN. in Τέχνῃ pag. 48. lin. 33. et rursus pag. 54. lin. 11. Sylburg.

secum reputans præclara facta, quibus et amicis et reipublicæ maxime utilem se præstiterit, eaque cum facinoribus a præstantibus viris superiorum ætatum gestis comparans (1), in illorum memoriâ poterit adquiescere: quod oblectamentum sibi in futurum tempus etiam Cato præparat. « Quæ munera (de quibus locutus est) si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus (2), ipsa cogitantem, quæ jam agere non possum, » Nam bene, ut probavimus supra § IX, dixit: « Conscientia bene actæ vitæ, multorumque bene factorum recordatio jucundissima est. »

§ XXXIII.

Et hactenus quidem enumeravimus singula officia senum, qui non modo quod non possunt, sed ne quantum quidem possunt, agere non coguntur. Quo autem hoc caput penitus absolvetur, dicendum nunc erit de languidis illis abjectisque senibus, qui ab omni eoque vel minimo munere implendo prorsus sunt alieni. Qui senes si interdum exstiterint, hoc sane non imputandum erit senectuti, sed ipsorum, sicut jam ex præcedentibus constat, depravatis moribus: quibus cum nimium semper indulserint, adeo sunt debilitati, ut non modo non aliis sed ne sibi quidem ipsis consulere possint. « Quos, ait Cæcilius *comicos, stultos senes*, hos significat credulos, obliviosos dissolutos : quæ vitia sunt non

(1) Cicero in Oratore Cap. 34. dicit : « Quid enim est ætas hominis, nisi memoria rerum nostrarum cum superiorum ætate contexta? » Conf. Dumbeck. Clio, sive De Historiâ Dialog. I. cap. 2. pagg. 11 et 20.

(2) Seneca, Ciceronem imitatus, ita alloquitur amicum suum Lucilium : « Est, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus. » Epist. LXXVIII.

senectutis, sed inertis, ignavæ, somniculosæ senectutis. » Cap. 11. § 36. Et horum vitiorum, quæ maxime defectu virium nituntur, origo in adolescentiâ est quærenda; nam ista ipsa corporis defectio fere semper adolescentiæ efficitur vitiis. « Libidinosa etenim et intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.» Cap. 9. § 29.(1). Turpe itaque putabat Socrates, aliquem negligentiâ suâ senescere, priusquam vidisset quam præstanti corpore esse possit, cum sane nemo illud videat qui sui ipsius curam non gerat; neque enim hæc sponte venire. Αἰσχρὸν δὲ καὶ τὸ διὰ τὴν ἀμέλειαν γηράσαι, πρὶν ἰδεῖν ἑαυτὸν, ποῖος ἂν κάλλιστος καὶ κράτιστος τῷ σώματι γένοιτο. ταῦτα δὲ οὐκ ἔστιν ἰδεῖν ἀμελοῦντα· οὐ γὰρ ἐθέλει αὐτόματα γίγνεσθαι.(2). Qui igitur in juvenili et virili ætate vi avulserint veros senectutis fructus,

(1) Eadem hæc veritas obversabatur HOMERO, cum Ulyssem heece facit coram Eumæo de pristino vigore et pulchritudine gloriantem, Odyss. XIV. 214:

οὐκ ἀποφώλιος ἦα,
Οὐδὲ φυγοπτόλεμος· νῦν δ' ἤδη πάντα λέλοιπεν.
Ἀλλ' ἔμπης καλάμην γε σ' ὀΐομαι εἰσορόωντα
Γιγνώσκειν.

Unde profecit LUCIANUS in Alexandro s. Pseudomanti Cap. 5. Tom. V. pag. 68. Bip. *Μειράκιον μὲν οὖν ἔτι ὢν, πάνυ ὡραῖον, ὡς ἐνῆν ἀπὸ τῆς καλάμης τεκμαίρεσθαι*: ubi vid. JENSIUS pag. 392.

(2) XENOPHON Memor. Socr. Lib. III. cap. 12. § 8. pag. 160. Ernesti. Nec minus pulchra sunt quæ referuntur ab eodem XENOPHONTE in nitidâ illâ historiâ Herculis in Bivio, Memor. II. 1. § 31. pag. 67. Ern., ubi Virtus exponit quantis obruantur calamitatibus in omni ætate qui pravis animi cupiditatibus inserviant. Οἳ (sc. *τοῦ σοῦ θιάσου ὄντες*) *νέοι μὲν ὄντες, τοῖς σώμασιν ἀδύνατοί εἰσι, πρεσβύτεροι δὲ γενόμενοι, ταῖς ψυχαῖς ἀνόητοι. ἀπόνως μὲν λιπαροὶ διὰ νεότητος φερόμενοι, ἐπιπόνως δὲ αὐχμηροὶ διὰ γήρως περῶντες· τοῖς μὲν πεπραγμένοις αἰσχυνόμενοι, τοῖς δὲ πραττομένοις βαρυνόμενοι· τὰ μὲν ἡδέα ἐν τῇ νεότητι διαδραμόντες, τὰ δὲ χαλεπὰ εἰς τὸ γῆρας ἀποθέμενοι.*

senes facti, nullâ omnino alacritate, nullâ virtute præditi, sed quasi semper somniantes misere reliquam vitam traducent.

§ XXXIV.

Etsi autem homines per totum vitæ tempus temperanter et ex naturæ legibus vixerint, interdum tamen accidit ut nonnulli, vitio quodam naturali laborantes, in senili ætate penitus imbecilli atque debiles fiant. « At ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii, aut omnino vitæ munus exsequi possint. » Cap. 11. § 35. Et hic tandem directe sibi objicit illud quod summam continebat hujus disputationis et quod in universâ distributione se impugnaturum promiserat. « Senectutem scilicet corpus reddere infirmius. » Eo enim Lælium et Scipionem, auditores suos, Cato perduxerat, ut ne sentire quidem valerent, quæcumque antea dixisset, ita fuisse disposita, ut facilius hoc verum quod objicitur senectuti vitium non tam diluere quam minuere posset. Hoc autem efficit uno et solo illo argumento, quo probat, quod si istud eveniat senibus honestis, ut sine ullo morum detrimento prorsus debiles evadant, illud nonnisi adversæ valetudini esse imputandum. « At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis. » Cap. 11. § 35. Atque semper sibi ipse constare desiderans, adfert hoc vitium unum omni ætati esse commune, fretus exemplo ipsius fratris adoptivi, Scipionis Africani Minoris, qui in florentissimâ ætate tenuissimâ aut potius nullâ fuerat valetudine. « Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, quum ne id quidem adolescentes effugere possint. » Attamen in animo persuasum habens (quamquam illud præ se ferre veretur, ne scilicet eorum quæ ante disputaverat auctoritatem infringat) hanc imbecillitatem magis senibus esse communem, neque fieri posse ut hocce

verum senectutis vitium penitus a se depellant; deflectit paullum a viâ et, quo se vertat nescius, ipsi huic morbo naturali reluctandum esse suadet. « Resistendum, Læli et Scipio, senectuti est, ejusque vitia diligentiâ compensanda sunt. Pugnandum, tanquam contra morbum, sic contra senectutem. » Cap. 11. § 35. (1). Hæc autem diligentia præsertim posita est in curandâ tum corporis tum animi sanitate. « Utendum exercitationibus modicis : tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. » Cap. 11. § 37. Ideoque præcipue temperantiæ est studendum, quæ juncta justitiæ et prudentiæ, quæ in Deorum animatis potentiis habitant (ut ait hospes Atheniensis apud Platonem) nobis adfert salutem. Σώζει δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη μετὰ φρονήσεως, ἐν ταῖς τῶν θεῶν ἐμψύχοις οἰκοῦσαι δυνάμεσι (2). Et ad Platonis imitationem

(1) Non tam constanti est animo, quamquam alias tam præclare de senectute disseruit, SENECA, Philosophus Stoicus, qui in Ep. LVIII. p. 484, sq. Lucilio scribit, « Non relinquam senectutem, si me totum mihi reservabit. At si cœperit concutere mentem, si partes ejus convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed animam, prosiliam ex ædificio putrido ac ruenti. Morbum morte non fugiam, dumtaxat sanabilem, nec officientem animo : non afferam mihi manus propter dolorem. Sic mori, vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi esse patiendum: exibo non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne, propter quod vivitur. Imbecillis est et ignavus, qui propter dolorem moritur: stultus, qui doloris caussâ vivit.» Conf. Cap. VII. ubi Pythagoræ sententiam explanabimus.

(2) PLATO De Legibus Lib. X. cap. 13. pag. 906. Steph. pag. 407. Astii. Bene PLUTARCHUS temperantiam definivit, Contractionem quamdam cupiditatum et ordinem, qui exstinguat supervacaneas et adscititias, tempestive autem et mediocriter cum decori ratione obsequatur necessariis: ἡ μὲν οὖν σωφροσύνη βραχύτης τις ἐστὶν ἐπιθυμιῶν καὶ τάξις, ἀναιροῦσα μὲν τὰς ἐπεισάκτους καὶ περιττὰς, καιρῷ δὲ καὶ μετριότητι κοσμοῦσα τὰς ἀναγκαίας. In Gryllo pag. 989. B. Tom. V. pag. 17, sq. Wyttenb.

poëta quidam, sive *Menander* ille sive alius, solam temperantiam virtutis penum esse dixit.

Ταμεῖον ἀρετῆς ἐςὶ σωφροσύνη μόνη (1).

Atque Socrates, ut familiares suos ad temperantiæ studium adhortaretur, docuit ea bona unde maximi ad vitam humanam fructus redundarent, solos possidere illos, qui temperantiam exercerent, intemperantes autem eorum prorsus esse expertes. Ἀλλὰ μὴν τοῦ μαθεῖν τι καλὸν καὶ ἀγαθὸν, καὶ τοῦ ἐπιμεληθῆναι τῶν τοιούτων τινὸς, δι' ὧν ἄν τις καὶ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα καλῶς διοικήσειε, καὶ τὸν ἑαυτοῦ οἶκον καλῶς οἰκονομήσειε, καὶ φίλοις καὶ πόλει ὠφέλιμος γένοιτο, καὶ ἐχθρῶν κρατήσειεν, ἀφ' ὧν οὐ μόνον ὠφέλειαι, ἀλλὰ καὶ ἡδοναὶ μέγιςαι γίγνονται, οἱ μὲν ἐγκρατεῖς ἀπολαύουσι πράττοντες αὐτὰ, οἱ δ' ἀκρατεῖς οὐδενὸς μετέχουσι (2). « Potest igitur exercitatio et temperantia etiam senectuti conservare aliquid pristini roboris. » Cap. 10. § 34. Nam qui a naturâ corpore sunt maxime imbecilli, si sese exercuerint, haud raro vel robustissimos eosque inexercitatos viribus superant. Οἱ φύσει ἀσθενέςατοι τῷ σώματι, μελετήσαντες, τῶν ἰσχυροτάτων ἀμελησάντων κρείττους τε γίγνονται πρὸς ἃ μελετῶσι καὶ ῥᾷον αὐτὰ φέρουσιν (3). Quod quomodo obtineatur, Cicero ipse docet in libris De Officiis (4). « Valetudo sustentatur notitiâ sui corporis et observatione earum rerum, quæ prodesse

(1) Apud Stobæum Sermon I. pag. 1. lin. 38. Tigur. et rursus Sermon. V. pag. 63.

(2) Xenophon Memorabil. Socrat. Lib. IV. cap. 5. § 10. pag. 203. Ern.

(3) Idem. ibid. Lib. I. cap. 6. § 7. pag. 46. Ern.

(4) Lib. II. cap. 24. § 86. quo in loco profecisse videtur Cicero e Xenophont. Memorab. Lib. IV. cap. 7. § 9. pag. 207. Ern. Conf. Diogenes Laertius Lib. VI. segm. 6. Lib. II. segm. 8. coll. Lib. I. segm. 6. et *Tiberius* in Taciti Annal. Lib. VI. cap. 46. extr.

solent aut obesse, et continentiâ in victu omni atque cultu, corporis tuendi caussâ, et prætermittendis voluptatibus (1), postremo arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent.»

Nec tantum id est agendum ut corpus ab omni maculâ vindicemus, sed maxime etiam est curandum ut animum integrum sanumque servemus. «Nec vero corpori soli subveniendum, sed menti atque animo multo magis; nam hæc quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguitur senectute.» Cap. 11. § 37. Diligens autem corporis cura animo quoque prodest, et quæ pro tuendâ corporis sanitate proposita sunt remedia, eadem multum contribuunt ad animum salvum et incolumen præstandum. Nam qui temperantiam frugalitatemque in vivendo servarit, qui animi affectus cohibuerit, qui a rebus venereis abstinuerit atque omnino pravas libidines compresserit, is utrumque obtinebit et corporis robur firmamque ejus affectionem et animi sanitatem ac naturalem quamdam ad bona quæque peraganda alacritatem (2). Hoc tamen utriusque generis est discrimen quod, ut corporis exercitationes in senectute sunt minuendæ, sic studia illa, in quibus colendis ingenium versatur, magis etiam sunt augenda. «Nam corpora quidem defatigatione et exercitatione ingravescunt, animi autem exercitando levantur.»

Et sic quidem vir prudens quisque ac solers ipsi senectutis morbo resistens, eum certe virium retinebit modum qui suf-

(1) Sic SENECA Epist. LVIII. «Potest aliquatenus nostrâ providentiâ prorogari huic corpusculo mora, si voluptates quibus pars major hominum perit, poterimus regere et coërcere.»

(2) BERNARDIN DE St PIERRE, l'Arcadie, pag. 304 et 305. Item, note pag. 539. Œuvres complètes, Tom. IV, Vol. 3me des Études de la Nature, éd. de Bruxelles, Wahlen. 8 vol. in-8. 1820 et 1821.

ficiat ad officia, quæ huic ætati maxime conveniunt, præstanda, et valetudinis vitia diligentiâ atque ingenii vigore compensans, non intelliget quando ipsum extrema obreptura sit senectus. « Ita sensim sine sensu ætas senescit, nec subito frangitur, sed diuturnitate exstinguitur. » Cap. 11. § 38.



CAPUT QUARTUM.

QUO OCCURRITUR TERTIAE ILLI VITUPERATIONI: SENECTUTEM PRIVARE OMNIBUS FERE VOLUPTATIBUS.

§ XXXV.

Quicumque corporis inclusi compagibus in hâc terrâ degunt, id sibi omnes proponunt ut, quoad fieri ejus possit, feliciter beateque vivant. Atque hujus rei desiderium, quod omnibus temporibus apud omnes populos viguit, in ipsâ hominis naturâ insitum esse probatur. Ut vero ad exitum eum quem sibi proposuerunt perveniant, alii aliam agendi viam ingrediuntur (1). Tantum tamen abest ut plerique ad summam quam consequuntur felicitatem perveniant, ut potius huc illuc flu-

(1) Virgilius Georg. II. v. 503.

Sollicitant alii remis freta cæca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas et limina regum.
Hic petit excidiis urbem, miserosque Penates;
Ut gemmâ bibat, et Sarrano indormiat ostro.
Condit opes alius, defossoque incubat auro.

ctuantes et animi cupiditatibus inservientes magis magisque ab illâ deflectant et in altam subinde ruant perniciem. Nec tamen hoc ita accipi velimus ac si affectibus animi certi quidam termini constitui nequeant (1); qui si temperantur, non solum non nocent sed plerumque stimulant inflammantque animos (2), erectiora reddunt ingenia, atque illud omnino efficiunt ut homo, spretis omnibus irruentibus vitæ incommodis, quantum ceteris præstet animantibus haud invitus ostendat. Vehementer itaque errant qui contendunt affectuum alios esse utiles alios perniciosos (3); nam sicuti, cum mitigantur, omnes plurimum prosunt, ita nisi coërcentur, animum ejus cui imperant, initio titillant paullatimque deinde debilitant et in exitium demum præcipitant. Neque enim in nostrâ est potestate affectibus vacare, moderari vero illis quis nostrum non potest (4)?

Ut vero affectus animi, ita nec voluptates, quibus illi plerumque excitantur, suâ ipsarum vi et naturâ malæ sunt. Ubi enim illum invenietis qui quasdam certe earum non sectetur, quandoquidem illud in viris temperantibus, integris atque prudentibus usu evenire videmus. Sin quasdam earum fugiunt, non arbitrandum est propterea hoc fieri quod appel-

(1) Unde Cato Cap. 14. § 46. ait in parenthesi : «Ne omnino bellum indixisse videar voluptatibus, quarum est etiam fortasse quidam naturalis modus.»

(2) Helvetius, De l'Esprit, Liv. I, chap. 6.

(3) J. J. Rousseau, Émile, Liv. V, pag. 528, édit. de Neaulme.

(4) «Si l'on ôtait les passions à l'âme, ce serait lui ôter tous ses mouvements, et la plonger dans une léthargie impuissante.» Le Gendre, Traité de l'Opinion, Tom. III, pag. 195.

lentur voluptates putenturque in se mala continere, sed quoniam factis hominum connexæ jugatæque eos in exitium præcipitant. Sic nautæ Circem ejusque illecebras vitant, non propter pulchritudinem, quæ minime eos lædit, sed propter perniciem, quæ sub fallaci istâ formâ latitat (1). Sed quorsus hæc? ut intelligamus non ipsâ naturâ duce cupiditatibus istis nos fieri obnoxios, quippe qui liberi omnes innocentesque nascamur; verum stimulantibus malis moribus et depravatis institutionibus colloquiisque perversis humanam mentem semper vacillantem in suam se ruinam prorumpere. Hæ autem cupiditates, quibus imbecilli franguntur homines, præsertim tribus nituntur principiis seu motibus. Ac primus quidem ille motus excitatur propensione quadam, quæ tamen non est voluntaria; alter est cui animus non invitus sed sponte jam obtemperat; tertius autem continetur insanâ quadam proclivitate, quæ omnino præstringit ingenii aciem, rationi adversatur mentemque debilitat. Quem vero fugit, eos motus cieri in illis præsertim hominibus, quorum vires augescunt, sed animi adhuc sunt impotentes, quorum sanguis effervescit et qui omnem itaque ansam arripiunt quâ suis satisfieri cupiditatibus arbitrentur. Juvenes igitur maxime istis urgentur et cruciantur, senes contra, viribus jam debilitati, vix illis amplius vincuntur, atque etiam si interdum voluptatibus ad mala impellerentur, ætas decrepita infractaque membra, præsertim vero consilium, temperantia, prudentia, quæ in illâ ætate elucescunt, ab ejusmodi vitiis eos abstraherent. Quibus præmonitis, quæ, ut opinamur, aliquantum contribuent ad melius intelligenda ea quæ de voluptatibus disputat Cato, singula ejus

(1) Gassendi Philosophia Moralis Epicuri pag. 468.

præcepta exponere, ejusque varias illustrare sententias conabimur.

§ XXXVI.

Cum igitur duas priores caussas, cur senectus misera videatur, jam confutarit Noster, transit ad tertiam illam, jam supra Cap. 2. § 7. leviter indicatam: *Senectutem privare omnibus fere voluptatibus*; eaque disputatio a Capite 12. § 39 ad Cap. 19. § 66. producitur. Summa autem disputationis in eo versatur, ut demonstretur magnas habendas esse gratias senectuti, quod pessimis illis voluptatibus vacet, vinolentiâ præsertim ac venereis voluptatibus. Sequitur expositio voluptatum honestarum a quibus ne ipse quidem Cato sit alienus, et remedia quædam adjiciuntur quibus homines a pravis affectibus omnino avocentur, temperantia scilicet atque exercitatio; in primis vero commendatur cultura agrorum, quæ maximis laudibus cumulatur.

§ XXXVII.

Ac primum quidem omnium, quo plus auctoritatis habeat oratio, memorantur quæ cum Platone olim disseruisset Archytas Tarentinus, vir magnus in primis et præclarus (1), qui « nullam capitaliorem pestem quam corporis voluptatem (2)

(1) Conf. de eo JAC. BRUCKERUS in Hist. Crit. Philos. Tom. I. Part. II. Lib. II. cap. 10. sect. II. § 12. pag. 1128–1131. JO. ALB. FABRICII Biblioth. Gr. Lib. II. cap. 13. pag. 851. sq. ed. Harles.

(2) CICERO De Off. Lib. I. cap. 30. «Quin etiam, si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, sed nomine) sed si quis est paulo erectior, quamvis voluptate

hominibus dicebat a naturâ datam.» Cap. 9. § 29. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones (1), hinc cum hostibus clandestina consilia nasci (2): nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; stupra vero et adulteria et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Cap. 12. § 40. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. § 41. « Impedit enim libido consilium;

capiatur, occultat et dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantiâ, eamque contemni et rejici oportere.» Conf. Idem in Orat. pro Coel. Cap. 18. § 42. Parad. II, quod inscribitur Ὅτι αὐταρκὴς ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν, et in Somnio Scipionis Cap. ultimo. Sed vid. Tuscull. Disputt. Lib. IV. cap. 18. Præclare item Seneca De Benefic. Lib. VII. cap. 2. pag 568. B. Lipsii. « Dicat ipse sibi: Voluptas fragilis est et brevis: fastidit objecta: quo avidius hausta est, citius in contrarium recidens, cujus subinde necesse est aut pœniteat aut pudeat. In qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis, Diis proximi, deceat. Res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda.» Materiam de voluptatibus passim tetigit Xenophon Memorab. Socrat. et præsertim Lib. IV. cap. 5.

(1) Pertinent huc, quæ eleganter apud Xenophontem disserit Socrates: Ὦ ἄνδρες, εἰ πολέμου ἡμῖν γενομένου βουλοίμεθα ἑλέσθαι ἄνδρα, ὑφ' οὗ μάλιςα ἂν αὐτοὶ μὲν σωζοίμεθα τοὺς δὲ πολεμίους χειροίμεθα, ἆρ' ὅντιν' ἂν αἰσθανοίμεθα ἥττω γαςρὸς, ἢ οἴνου, ἢ ἀφροδισίων, ἢ πόνου, ἢ ὕπνου, τοῦτον αἱροίμεθα; καὶ πῶς ἂν οἰηθείημεν τὸν τοιοῦτον ἢ ἡμᾶς σῶσαι, ἢ τοὺς πολεμίους κρατῆσαι. Memor. Socrat. Lib. I. c. 5. § 1. pag. 42. Ern.

(2) Hoc quidem videtur esse referendum ad illud quod factum est in Tarenti obsidione, ubi Fabius suis commodis consulens etiam hujusmodi consilio usus erat. Conf. supra cap. IV. § IX. Polyæni Strategemat. Lib. VIII. cap. 14. Livius XXVII. 16. L'Abbé d'Olivet, Pensées de Cicéron, Chap. IX.

12.

voluptas rationi inimica est (1), ac mentis, ut ita dicam, præstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium (2).» Sed longum est quæ a Catone eam in rem disputantur singula referre. Archytas autem, inquit, fingere animo jubebat aliquem maximis voluptatibus corporis incitatum, nec quemquam dubitare existimabat, quin tamdiu, dum iis esset obstrictus, omni animi sensu et agitatione penitus privaretur. Unde luculenter apparet, quantam homini pestem adferat libido. Nam nihil profecto infelicius, nihil miserius potest excogitari, quam si ingenii lumen, quo humana natura reliquis animantibus maxime præstat, deficit paullatim ac tandem exstinguitur. Cum igitur suo ipse exemplo ostendisset Cato, quanta esset in voluptarios homines severitate utendum, obiter quoque Epicurum perstringit, qui, cum sapientiam profiteretur, dicere solebat, omnia quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda. Quæ verba cum C. Fabricius a Thessalo Cineâ audivisset, optare solebat, « ut id Samnitibus,

(1) Sic MAXIMUS TYRIUS Dissert. XXXV. *Ἐφίεται μὲν γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ ἡ ψυχή· τί δὲ οὐ μέλλει; καὶ πολεμεῖ τῷ κακῷ· τί δὲ οὐ μέλλει; ἀλλ' οὐκ ἔστιν αὐτῇ οὔτε ὧν ἐφίεται, καθαρῶς τυχεῖν, οὔτε οἷς πολεμεῖ, μὴ περιπεσεῖν ἐξ ἀνάγκης.*

(2) Appositi huc sunt versus illi HESIODEI Opp. et DD. vs. 287. et in Gnomm. Brunckii, vs. 263, sqq.

Τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι
Ῥηϊδίως. Λείη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Quibus usus est etiam XENOPHON Mem. Socrat. Lib. II. cap. 1. § 20. Conf. CICERO Epp. Famill. VI. 18. et STOBÆUS Sermon. XXIX. pag. 200. Tigur. pag. 198. Basil.

ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, quum se voluptatibus dedissent. » Cap 31. § 43. Tanto in honore virtus erat apud Romanos; unde quæcumque vel pace vel bello feliciter gerebantur proficisci existimabant.

§ XXXVIII.

Archytæ orationi præclara illa subjicitur sententia Platonis, quem ubique Cicero suum profitetur magistrum philosophorumque principem (1), qui voluptatem dixit esse *Escam malorum*, Δέλεαρ τῶν κακῶν (2); quod eâ videlicet homines capiantur

(1) Illud ubique Cicero confirmat. Tuscul. Disput. Lib. I. cap. 10, ait, «Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans.» Tuscul. Lib. I. cap. 17. «Ego ipse cum eodem ipso (sc. Platone) non invitus erraverim.» De Legibus Lib. I. cap. 5. «uti jubet Plato, quem ego vehementer auctorem sequor.» De Leg. Lib. II. cap. 6. «Sed ut vir doctissimus fuit Plato, atque idem gravissimus, omnium philosophorum princeps.» Ad Quintum Fratrem Lib. I. ep. 1. «Atque ille princeps ingenii et doctrinæ Plato.» Ad Attic. IV. epist. 16. De Naturâ Deor. Lib. II. cap. 12. De Oratore Lib. III. cap. 34. De Finibus Lib. V. cap. 3. Pro Rabirio Cap. 9. Brut. Cap. 31. ubi ita: « Quis enim uberior in dicendo Platone: Jovem aiunt philosophi, si Græce loquatur, sic loqui.» Illud idem memorat DIONYSIUS HALICARN. in Judicio de Demosth. Cap. 21. pag. 166. pr. Sylburg. Ibid. pag. 177. lin. 23: præterea PLUTARCHUS De Puerorum Educatione Cap. V. § 14. pag. 341. Heusingeri, qui in Indice, voce δαιμόνιος, rationem exposuit, cur ita dictus sit Plato. Conf. Divus HIERONYMUS Adversus Jovinianum Lib. I. et qui plura de Platone cognoscere discupiat, adeat DIOG. LAERT. Lib. III. MAXIM. TYRIUM, Diss. XVII. 17 - 25 et 30. De dictione Platonis scripsit egregie Summus WYTTENBACHIUS in Præf. ad Ejusdem Phædonem pag. X. IDEM in Disput. Legat. Stolp. pag. 179, et in Epistola ad Heusdii V. Cl. Specimen Crit. in Platon. pag. 30 et HEUSDIUS ipse in Specimine Critico pagg. 11. 12 et 20.

(2) Voluptatem omnium malorum escam esse obiter dixit PLATO, de hominis creatione loquens, in Timæo pag. 69. D. Steph., ubi ὁ δημιουργὸς

ut hamo pisces. Cap. 13. § 44. (1). Eo enim facilius capiuntur quo latior ad eam ipsis patet via, et cum inanem illam suavitatem, mox perituram, tantum considerent, nec, quæ inde secutura sint mala prævideant. Lactantur itaque dulci isto veneno, sicuti pisces pro escâ hamo; et velut hi piscatorum præda fiunt, sic illi a libidine in positos sibi laqueos mox incidunt.

Plato autem alias quoque, non minori utens quam Noster ingenii acumine, quantum exsecrandæ sint voluptates innu-

animam corpori humano indidisse dicitur vitiis plenam. In iis autem vitiis primum esse τὴν ἡδονὴν, μέγιστον κακῶν δέλεαρ. PLUTARCH. Vit. Cat. Major. Cap. 2. Tom. III. pag. 248. Schæf. : Πλάτων, τὴν ἡδονὴν ἀποκαλῶν μέγιστον κακοῦ δέλεαρ. Platonis locum tetigisse videtur PLUTARCHUS in libro De Serâ Num. Vindictâ pag. 37, sq. Wyttenb., ubi de improborum suppliciis disserens ait, Ἔχεται γὰρ ἕκαστος ἀδικήσας τῇ δίκῃ, καὶ τὸ γλυκὺ τῆς ἀδικίας ὥσπερ δέλεαρ εὐθὺς ἐξεδήδοκε· τὸ δὲ συνειδὸς ἐγκείμενον ἔχων καὶ ἀποτίνων,

Θύννος βολαῖος πέλαγος ὡς διαστροβεῖ.

Ad quem locum videantur quæ, nec nostro loco neglecto, plura attulit docta WYTTENBACHII diligentia in Animadverss. pag. 52. Add. PLUTARCH. De Liberor. Educat. Cap. XVII. § 16. pag. 154. Heusing. ad eumque rursus WYTTENBACH. Animadverss. ad Moralia pag. 141.

(1) In suum usum hæc convertit auctor suppositiorum versuum ad PLAUT. Mercat. Act. V. sc. 3. v. 2.

Voluptas est malorum esca, quod eâ non minus homines
Quam hamo capiuntur pisces.

Conf. SEXTUS EMPIRICUS Pyrrhon. Hypotypos. Lib. III. cap. 24. § 195. Πάσῃ γὰρ ἡδονῇ παραπέπηγεν ἀλγηδών : ubi vid. FABRICIUS pag. 175. BASILIUS MAGN. Homil. XXIII. pag. 479. C. Uberrime autem de hâc comparatione egit TIB. HEMSTERHUSIUS ad Luciani Dialog. Mort. VIII. Tom. II. pag. 440. Bipont. illâque egregie etiam usus est PLUTARCHUS De S. N. V. loco in præcedenti nota laudato pag. 37. ὥσπερ ἰχθὺν καταπεπωκότα τὸ ἄγκιστρον οὐ φάσκοντες ἑαλωκέναι, πρὶν ὑπὸ τῶν μαγείρων ὀπτώμενον ἴδωμεν ἢ κατατεμνόμενον.

meris stabilit testimoniis. Existimat enim depravatos homines, qui sese libidinibus ingurgitent in terram esse demersos, errabundos totam vitam transire, numquam ut divinam illam veritatem videant aperientes mentis oculos atque omnibus circumvolutos calamitatibus sicuti feras sine ratione, sine consilio atque conscientiâ singula agere. Οἱ ἄρα φρονήσεως καὶ ἀρετῆς ἄπειροι, εὐωχίαις δὲ καὶ τοῖς τοιούτοις ἀεὶ ξυνόντες, κάτω, ὡς ἔοικε, καὶ μέχρι πάλιν πρὸς τὸ μεταξὺ φέρονταί τε καὶ ταύτῃ πλανῶνται διὰ βίου, ὑπερβάντες δὲ τοῦτο πρὸς τὸ ἀληθὲς ἄνω οὔτ' ἀνέβλεψαν πώποτε, οὔτ' ἠνέχθησαν, οὐδὲ τοῦ ὄντος τῷ ὄντι ἐπληρώθησαν, οὐδὲ βεβαίου τε καὶ καθαρᾶς ἡδονῆς ἐγεύσαντο, ἀλλὰ βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες καὶ κεκυφότες εἰς γῆν καὶ εἰς τραπέζας, βόσκονται χορταζόμενοι καὶ ὀχεύοντες, καὶ ἕνεκα τῆς τούτων πλεονεξίας λακτίζοντες καὶ κυρίττοντες ἀλλήλοις σιδηροῖς κέρασι τε καὶ ὅπλοις ἀποκτιννύασι δι' ἀπλησίαν (1). Cum his comparari meretur nitida illa historia Herculis in Bivio seu pugna Virtutem inter et Vitium; cujus jam supra mentionem fecimus et quam ut a Prodico Sophistâ traditam Socrates apud Xenophontem (Mem. Socrat. Lib. II. cap. 2) eo consilio prodit, ut Alcibiadem discipulum a pravis voluptatibus abstrahat.

§ XXXIX.

Cum vero Cato ea quæ explicavimus in genere de Voluptate proponeret, inseruit quædam de ebrietate atque de voluptatibus venereis: de priori quidem vitio primum tractans, leviter vituperans Græcos. «Bene enim, inquit, majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt; melius quam Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant, ut quod in ge-

(1) Plato De Republ. Lib. IX. cap. 10. pag. 586. Steph. pag. 274. Astii.

nere minimum est, id maxime probare videantur.» Lepida sane hæc sunt et grata, sed nimis fortasse Græcis probrosa. Quapropter his subjiciendus locus XENOPHONTIS (1), ubi Socrates de Græcorum edendi modo disserens laudat quoque Majorum continentiam ex ipso verbi ἐτύμῳ quæsitam. Ait enim verbum εὐωχεῖσθαι Atticâ linguâ significare edere, additumque esse εὖ, *bene*, ut ea comedantur tantum, quæ nec animum nec corpus lædant et quæ facile inveniri possint. Ἔλεγε δὲ καὶ ὡς τὸ εὐωχεῖσθαι ἐν τῇ Ἀθηναίων γλώττῃ ἐσθίειν καλοῖτο· τὸ δὲ εὖ προσκεῖσθαι, ἔφη, ἐπὶ τῷ ταῦτα ἐσθίειν, ἅτινα μήτε τὴν ψυχὴν μήτε τὸ σῶμα λυποίη, μήτε δυσεύρετα εἴη. ὥςε καὶ τὸ εὐωχεῖσθαι τοῖς κοσμίως διαιτωμένοις ἀνετίθει. Accedit quod Græci antiquiores numquam merum bibere soliti sunt vinum, sed aquâ temperatum (2): quod sane ad pristina potissimum tempora pertinet, ubi Græci Asiaticis operibus atque divitiis nondum corrupti probis utebantur moribus. Sed hoc idem magis etiam de Romanis valet. Postquam enim universum fere terrarum orbem perdomuerant,

(1) Memorab. Socratis Lib. III. cap. 14. § 7. pag. 167. Ern.

(2) Conf. HOMER. Odyssea IX. v. 9, sq. item Odyss. I. 110. FEITHIUS in Antiquit. Homer. pag. 280, sqq. Cæterum etsi convivium apud solutæ orationis scriptores εὐωχία dicitur sive συμπόσιον, a poëtis sæpius usurpatur δαίς, cujus Veteres tres distinguebant formas, γάμον scilicet, quod erat convivium institutum ad nuptias celebrandas, tum εἰλαπίνην, quod erat convivium lautum et opiparum, in quo plures solemni modo congregabantur, sæpiusque hoc fiebat in Deorum honorem. (JO. DAN. LENNEPII Etymologic. Linguæ Græcæ pag. 194.) postremo ἔρανον, quod erat tenue convivium et frugale, certis temporibus a symbolorum collatoribus institui solitum. CLAUD. SALMASIUS in Observatt. ad Jus Attic. et Rom. pag. 4, sq. et 57, sq. IDEM De Usuris Cap. 3. THOM. GATAKERI Adversar. Miscellan. Posth. pag. 855, sq. Js. CASAUBONUS ad Theophrasti Character. XV. ad eumdemque doctissimus CORAJUS in Animadverss. pag. 166. ASTIUS ad Pla-

majori etiam cum diligentiâ atque curâ quam ipsi Græci ad luxuriam quæque conquirebant; delicata affectabant convivia immanibusque utebantur poculis. Quot non exstitere Luculli, homines privati, qui subactis hostibus abdicatoque magistratu immensam sibi opum vim paraverunt et mensam præcipue auro oneratam exquisitissimis instruxerunt cibis? Quot non conabantur imitari Antonium istum qui, interfecto Cæsare, patriâ iniquis laceratâ consiliis, ante pugnam ad Actium cum Cleopatrâ quotidie se vino ingurgitavit. Perierant Curii, perierant Fabricii atque Coruncanii, qui non victoriis tantum atque innumeris in patriam meritis, verum etiam frugalitate et victûs temperantiâ gloriam obtinuerunt ad posteritatem omnem perduraturam.

Nihilominus tamen etsi non magis ex nomine quam ex

tonis Leges Lib. XI. cap. 2. pag. 511, sq. Tria illa genera cumulavit HOMERUS Odyss. I. v. 225, sqq.

> Τίς δαίς, τίς δὲ ὅμιλος ὅδ' ἔπλετο, τίπτε δέ σε χρεώ;
> Εἰλαπίνη ἠὲ γάμος; ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐςίν.

Item XI. 415.

> Ἢ γάμῳ, ἢ ἐράνῳ, ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ.

Conf. ad priorem locum DIDYMUS et EUSTATHIUS. LAMBERTI BOSII Antiqq. Gr. Part. IV. cap. 13. FEITHII Antiquit. Homer. Lib. III. cap. 4. § 1. pag. 290. et Annot. pag. 48. QUINCTIL. I. 6. et præcipue CICERO Epist. ad Famil. IX. 24. ubi ita adloquitur Paetum: « Moneo te, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil aptius vitæ; nihil ad beate vivendum adcommodatius. Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ atque victus remissionemque animorum; quæ maxime sermone efficitur familiari qui est in conviviis dulcissimus: ut sapientius nostri quam Græci; illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id est, *compotationes aut concoenationes*: nos *convivia*; quod tum maxime simul vivitur.»

ipsâ re Græcis vitio vertenda sit eorum intemperantia, quoniam eadem illa Romanis merito exprobrari potest, Cato et gulam et ebrietatem ab omnibus populis vitanda esse firmis argumentis probat, illisque ex ipsâ hominis naturâ ac dignitate repetitis. Infringunt enim animi vires et corpus penitus debilitant; neque quæ e vinolentiâ oriuntur vitia cum eâ ipsâ evanescunt sed in dies latius serpunt (1), et si quem antea peccatorum pudebat, huic vitio indulgens impudentiæ genus contrahit, quod ad pessima quæque allicit perpetranda. Hinc maximi morbi tum corporis tum animi, hinc rerum familiarium negligentia, hinc cum omnibus diuturnæ rixæ atque altercationes quotidianæ. Atque diversa hæc incommoda, quæ ex intemperantiâ nascuntur, exprimere desiderans Seneca ebrietatem vocat insaniam voluntariam (2). Socrates autem, quæ inde redundarent mala secum perpendens, maxime ebrietatem vitandam esse dicebat, et illis qui in lautis conviviis sibi temperare non poterant, auctor erat ut ab his sibi præcaverent : in quo argumento tota fere versatur disputatio illa cum Antiphontis filio Epigene (3).

§ XL.

Nec minus quam ebrietatem vitandas esse voluptates venereas existimat Cato, afferens egregium testimonium Sophoclis,

(1) SENECA Ep. LXXXIII. pag. 547. coll. Epist. LIX. pag. 487. B. Lipsii.

(2) SENECA Epist. LXXXIII. pag. 547. et 548. « Quanto satius est aperte accusare ebrietatem, et vitia ejus exponere, quæ etiam tolerabilis homo vitaverit, nedum perfectus ac sapiens: cui satis est sitim exstinguere..... Quam turpe est plus sibi ingerere quam capiat, et stomachi sui non esse mensuram! quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescant! Nihil aliud est ebrietas quam voluntaria insania. »

(3) XENOPH. Memorab. Socrat. Lib. III. cap. 12.

qui cuidam ex ipso jam sene quærenti uteretur ne rebus venereis, *Dii meliora* respondit. *Libenter vero istinc, tanquam a domino agresti ac furioso profugi.* « Cupidis enim rerum talium odiosum et molestum est fortasse carere; satiatis vero et expletis jucundius est carere, quam frui. Quamquam non caret is, qui non desiderat.» Cap. 14. § 47. Hanc autem narrationem sumsisse Noster videtur e Platonis Republicâ, ubi hæc leguntur: Καὶ δὴ καὶ Σοφοκλεῖ ποτε τῷ ποιητῇ παρεγενόμην ἐρωτωμένῳ ὑπό τινος. Πῶς, ἔφη, ὦ Σοφόκλεις, ἔχεις πρὸς τἀφροδίσια; ἔτι οἷός τ' εἶ γυναικὶ ξυγγίγνεσθαι; Καὶ ὅς, εὐφήμει, ἔφη, ὦ ἄνθρωπε· ἀσμεναίτατα μέντοι αὐτὰ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττῶντά τινα καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγών (1). Hanc suam sen-

(1) PLATO De Republ. Lib. I. cap. 5. pag. 329. Steph. Quem locum laudarunt Ecclesiæ Patres, CLEMENS ALEXANDRINUS Pædagog. Lib. II. cap. 10. pag. 194. Stromat. Lib. III. cap. 3. pag. 434. Sylb. et THEODORET. in Therapeut. XII. pag. 668. A. Expresserunt eum PLUTARCHUS De Cupiditate Divitiar. pag. 525. A. Tom. III. pag. 115. Wyttenb. Ὁ Σοφοκλῆς ἐρωτηθείς, εἰ δύναται γυναικὶ πλησιάζειν, εὐφήμει, ἄνθρωπε, εἶπεν· ἐλεύθερος γέγονα, λυττῶντας καὶ ἀγρίους δεσπότας διὰ τὸ γῆρας ἀποφυγών· IDEM in libro An Seni Gerenda Sit Respubl. pag. 788. E. Tom. IV. pag. 166. Wyttenb. Ὁ γὰρ Σοφοκλῆς ἄσμενος ἔφη τὰ ἀφροδίσια γεγηρακὼς ἀποπεφευγέναι, καθάπερ ἄγριον καὶ λυττῶντα δεσπότην: et in disput. Ne Suaviter Quidem Vivi Posse Secundum Epicuri Decreta pag. 1094. E. Tom. V. pag. 471 Wyttenb. ATHENÆUS Lib. XII. Tom. IV. pag. 397. Schweighæus. PHILOSTRATUS, de venereis commerciis loquens, in Vitâ Apollonii Lib. I. cap. 13. pag. 16. Olear. Ὁ μὲν γὰρ Σοφοκλῆς λυττῶντα, ἔφη, καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγεῖν, ἐλθὼν εἰς γῆρας: VALERIUS MAXIMUS Lib. IV. cap. 3. § 2. fin., vestigia legens Ciceronis, ita rem prodit: «Bene Sophocles, quum ex eo quidam, jam confectâ ætate quæreret, an etiam nunc rebus venereis uteretur, Dii meliora! inquit, libenter enim isthinc, tamquam ex aliquâ furiosâ profugi dominatione.» Frequentissima autem est apud Antiquos voluptatis cum dominatione comparatio. XENOPH. Œcon. Cap. I. § 20. pag. 8. Schneideri. Καὶ ἄλλαι εἰσὶν ἀπατηλαί τινες δέσποιναι προσποιούμεναι ἡδοναὶ εἶναι, κυβεῖαί τε καὶ ἀνωφελεῖς ἀνθρώπων ὁμιλίαι. Ibid. § 22.

tentiam Plato argumento contrario probat. Constat enim homines, qui non amplius voluptatibus titillantur, a multis et furiosis dominis liberari. Ἐπειδὰν γὰρ αἱ ἐπιθυμίαι παύσωνται κατατείνουσαι καὶ χαλάσωσι, δεσποτῶν πάνυ πολλῶν ἐςὶ καὶ μαινομένων ἀπηλλάχθαι (1). Porro et Plato et, ad ejus imitationem, Noster affirmat nullâ omnino re hominem carere, modo illam non desideret, quod verissimum est et ab omnibus fere philosophis comprobatum; unde paullo superius Cato addit: «Nihil autem molestum quod (homo) non desiderat.» Cap. 14. § 47. Non enim tam in necessitate quam ipsâ cupiditate malum inest, ut tamen cupiditas ista, nisi quis exstirpare eam conetur, sæpius fiat necessitas.

Δοῦλοι γάρ εἰσι καὶ οὗτοι, ἔφη ὁ Σωκράτης, καὶ πάνυ γε χαλεπῶν δεσποινῶν, οἱ μὲν λιχνειῶν, οἱ δὲ λαγνειῶν, οἱ δὲ οἰνοφλυγιῶν, αἱ δὲ φιλοτιμιῶν τινων μωρῶν καὶ δαπανηρῶν, ἃ οὕτω χαλεπῶς ἄρχει τῶν ἀνθρώπων, κ. τ. λ. PLUTARCHUS De Rectâ Ratione Audiendi pr. pag. 37. C. Tom. I. pag. 141. Wyttenb. Ἀναρχία μὲν γάρ, ἣν ἔνιοι τῶν νέων ἐλευθερίαν ἀπαιδευσίᾳ νομίζουσι, χαλεπωτέρους ἐκείνων τῶν ἐν παισὶ διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν δεσπότας ἐφίςησι, τὰς ἐπιθυμίας, ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λυθείσας. SYNESIUS in Orat. De Regno pag. 11. A. Petav. Δοῦλον εἶναι δεσποινῶν αἰσχίςων, ἡδονῆς καὶ λύπης, καὶ ὅσοι σύγγονοι θῆρες ἐνδιαιτῶνται τῷ ζώῳ. *Juncus* apud STOBÆUM Sermon. CXIV. pag. 587. lin. 12. Tigur. pag. 585. Basil. Καὶ γὰρ τὸ πεπαῦσθαι τῆς κατὰ τὰ ἀφροδίσια ὁρμῆς τε καὶ ὀρέξεως, ὦ Ζεῦ, μέγα ὄφελος φαίην ἄν, καὶ μανίας καὶ λύπης ἀπόῤῥευσιν, ὁπότε τῆς μὲν ψυχῆς τὸ ἀλόγιςον δὴ καὶ ἐπιθυμητικὸν εὖδοι διαφυγὸν πονηροὺς δεσπότας, τὸ δὲ λογιςικὸν ἀπολαύοι διὰ τῆς ὄψεως τῆς κατὰ τὸ κάλλος ἡδονῆς. Sic etiam a CICERONE Offic. Lib. II. cap. 10. § 37: voluptates appellantur *blandissimæ dominæ*: et καταδεδουλωμένος, qui amore alicujus captus est, a PLATONE in Convivio pag. 219. C. Steph. et Amor ipse τυραννικός ab EODEM De Republ. Lib. IX. cap. 2. pag. 573. B. pag. 260. Ast. Similiter XENOPHON in Memor. Socrat. Lib. I. cap. 5. § 5. pag. 43. Ernesti, virum honestum decere ait, δουλεύοντα ταῖς τοιαύταις ἡδοναῖς ἱκετεύειν τοὺς θεοὺς δεσποτῶν ἀγαθῶν τυχεῖν.

(1) PLATO l. l. pag. 329. C. Conf. insuper CICERO Tuscull. Disputt. Lib. IV. cap. 35, ibique, TERENTII versus ex Eunucho laudati, Act. I. sc. I. v. 14. item CICERO Parad. V. 2.

Sic homo qui non curabit honores, minime ipsis egebit: sic optimus quisque princeps, qui non ineptâ flagrabit ambitione, nec laborabit de regionibus vicinorum depopulandis atque subigendis, paterno regno contentus, a suis dilectus quietam et placidam transiget vitam: sic item qui non divitiis inhiabit nec id solummodo aget ut opes sibi et pecunias coacervet, illis quæ ad victum cultumque necessaria sunt contentus, in mediocri, quæ ipsi obtigit, conditione divitem se prædicabit. Non enim tam possessionis quam desiderii et appetitus vera est privatio.

Huic autem Sophoclis responso suum ipsius præclarum factum adjungit Cato. Quum enim Censor esset cum Flacco, L. Flaminium, hominem mulierosum, ignominiâ notandum et senatu movendum judicavit. «Ille enim quum esset Consul in Galliâ, exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis: hic Tito, fratre suo, Censore elapsus est: mihi vero et Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam perdita libido, quæ cum probro privato conjungeret imperii dedecus (1).» Laudabilia sane hæc et digna Catonis, quam publice semper ostendebat, gravitate et constantiâ, sed parum fortasse congruit hæc judicii severitas cum privatâ ejus agendi ratione. Constat enim, si quidem Plutarcho est fides habenda, Catonem ipsum jam prope decrepitum nondum plane a mulierum commercio abstinuisse. Αὐτὸς τῷ σώματι πρὸς εὐεξίαν καὶ ῥώμην ἀσφαλῶς πεπηγὼς, ἐπὶ πλεῖςον ἀντεῖχεν, ὥςε γυναικὶ πρεσβύτης ὢν σφόδρα πλησιάζειν, καὶ γῆμαι γάμον οὐ καθ᾽ ἡλικίαν ἐκ τοιαύτης προφάσεως· Ἀποβαλὼν τὴν γυναῖκα, τῷ μὲν υἱῷ Παύλου

(1) Similia Censoriæ gravitatis exempla videatis apud Plinium H. N. XVIII. 3 et 6. A. Gell. N. A. IV. 20. Liv. XLI. 27. et Vellei. Paterc. I. 10. 6. et II. 10. 1.

θυγατέρα, Σκηπίωνος δὲ ἀδελφὴν, ἠγάγετο πρὸς γάμον, αὐτὸς δὲ χηρεύων ἐχρῆτο παιδίσκῃ κρύφα φοιτώσῃ πρὸς αὐτόν. Ne autem locum integrum exscribamus, sufficiat monuisse, ex iis quæ continuo subsequuntur intelligi, ne filii quidem offensione commoveri potuisse Catonem, ut matrimonio ætati suæ parum convenienti renuntiaret (1).

Venereis tamen voluptatibus propterea fortasse facilius condonabant Romani, quod ipsa regionis natura et mitius cœlum ad illas vehementius impellunt. Atque hoc ipsum ex eorum historiâ satis superque apparet. Nam etsi castis illis, ut ita dicam, reipublicæ temporibus simplices castique fuerant civium mores, nec nisi honestæ virorum et mulierum conjunctiones exstiterant, tempore tamen Catonis atque Ciceronis effusæ jam in omni intemperantiâ libidines ita eorum populares corruperant, ut pessimi homines sexu virili tamquam mulieribus uterentur: unde SALLUSTIUS : « viros pati muliebria, inquit, mulieres pudentiam in propatulo habere (2). » Nec hoc mirum: ante Romanos enim ipsi Græci suos amasios habebant, de quibus egregia disputatio est Socratis cum Alcibiade et Critiâ (3): nec illum quidem amorem, modo fuerit moderatus et honestus, a Socrate ipso plane improbatum esse apparet (4)!!!

(1) PLUTARCHUS in Vitâ Catonis Maj. Cap. 24. Tom. III. pag. 280, sqq. Schæf.

(2) Bell. Catil. Cap. 13.

(3) XENOPH. Memorab. Socr. Lib. I. cap. 2.

(4) DIOG. LAERT. Lib. II. segm. 7. et Lib. IV. segm. 3.

§ XLI.

Hoc de voluptatibus sermone habito quum Cato demonstraverit, illas juvenibus præsertim esse communes nec ullum senibus esse detrimentum quod illis carerent, satis intelligitur, recte eum initio statim orationis exclamasse : « O præclarum munus ætatis, siquidem id aufert nobis quod est in adolescentiâ vitiosissimum. » Cap. 12. § 39, ac deinde addidisse : « Non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates non magnopere desiderat (1). Caret epulis, exstructisque mensis et frequentibus poculis! Caret ergo etiam vinolentiâ et cruditate et insomniis. » Cap. 13. § 44. Non enim ex libidine gaudium ullum, quod vere sic appellari mereatur, redundat. Ille itaque qui sponte voluptatem fugit, revera sapiens est, qui eam non cupit, etiam beatus. Senectus autem uti ad sapientiam, ita ad beatitudinem consequendam maxime est idonea, quandoquidem illud efficit in hominibus, ut temperantiæ magis studeant nec tam acriter amplius ut antea pravas voluptates et illicitas consectentur (2). Ideoque, quod senes voluptates contemnant, neque ab ipsis turbari se am-

(1) Unde Cap. 14. § 47. Noster ait : « At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus! Credo : sed ne desideratio quidem. » Quæ rursus ex Platone huc tralata videntur, ubi, *Παντάπασι γὰρ τῶν γε τοιούτων ἐν τῷ γήρᾳ πολλὴ εἰρήνη γίγνεται καὶ ἐλευθερία* : De Republicâ Lib. I. cap. 3. pag. 329. C. Steph. pag. 6. Astii.

(2) Sic *Phavorinus* De Senectute apud Stobæum Sermon. CXIV. pag. 584. Basil. pag. 386. lin. 24. Tigur. *Ἡδονῆς ὁ μὲν ἑκὼν εἰργόμενος, σοφός· ὁ δὲ μὴ δεόμενος, μακάριος. τὸ δὲ γῆρας πρὸς ἀμφότερα ἐπιτήδειον. Καὶ γὰρ φρονιμωτέρους τοὺς ἀνθρώπους ἀπεργάζεται, καὶ τῶν ἡδέων ἀμελεστέρους.*

plius patiuntur, hoc vel maximum pulcherrimumque a Diis donum est hominibus concessum, quoniam ex ipsâ re divinæ naturæ quodam modo similes fiunt : Dii enim

Οὐ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον (1).

Sic sentiebant P. Decius, sic M'. Curius, sic Fabricius aliique nobilissimi viri, qui judicabant, « Esse profecto aliquid naturâ pulchrum atque præclarum, quod suâ sponte peteretur, quodque spretâ et contemtâ voluptate optimus quisque sequeretur (2). »

§ XLII.

Verum tamen, licet juventus libidinibus magis sit obnoxia libentiusque utatur voluptatibus, interdum tamen (cum earum blanditiis non facile resistatur ac fortasse etiam naturalis sit illarum modus) eas simplices et honestas senes quoque sectantur, et quamquam immoderatis epulis careat senectus,

(1) HOMER. Iliad. V. vs. 341.

(2) SENECA De Beneficiis Lib. VII. cap. 2. pag. 368. B. Lipsii. «Ista est voluptas et homini et viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies ; sed perturbatione carere, et eâ quæ hominum inter se rixantium ambitus concutit, et eâ quæ intolerabilis ex alto venit, uti de Diis famæ creditum est, vitiisque illos nostris æstimavimus. Hanc voluptatem æqualem, intrepidam, nunquam sensuram sui tædium, percipit hic quem deformamus cum maxime : qui, ut ita dicam, divini juris atque humani peritus, præsentibus gaudet, ex futuro non pendet. » MONTESQUIEU, Lettres Persanes, Lett. 83. « Quand un homme s'examine, quelle satisfaction pour lui de trouver qu'il a le cœur juste ! Ce plaisir, tout sévère qu'il est, doit le ravir ; il voit son être autant au-dessus de ceux qui ne l'ont pas, qu'il se voit au-dessus des tigres et des ours. Oui, si j'étais sûr de suivre toujours cette équité que j'ai devant les yeux, je me croirais le premier des hommes.

modicis tamen conviviis delectari potest.» Cap. 13. § 44. Facile itaque defendi potest Plutarchus, qui existimat bruti animalis esse, omnes et usquequaque consectari voluptates, fugere autem omnino omnes, esse stupidi. Ἡδονῆς δὲ πάσης μὲν περιέχεσθαι καὶ πάντως, ἀλόγιστόν ἐστι, πᾶσαν δὲ φεύγειν καὶ πάντως, ἀναίσθητον (1): secundumque illam sententiam bene dicit Cato, etiam in voluptatibus probandum esse modum; quod quidem confirmat præclaro Duilii exemplo, qui cum primus Romanorum navali prœlio Carthaginienses vicisset triumphumque duxisset, senex sæpe rediens a cœnâ funalibus, quibus in bellicæ laudis memoriam præluceri sibi jubebat, ac præeunte tibicine delectabatur (2). Quo vero magis probaretur oratio, suum ipsius exemplum rursus profert Cato libenterque fatetur se, licet gravem alias et severum, sæpius tamen lætis ejusmodi usum esse conviviis. « Primum habui semper sodales. Sodalitates autem me quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis Magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice.» Et eâ in re secutus certe est antiquos Romanorum mores. Florente enim republicâ integrisque rebus Romanis vigebat

(1) PLUTARCHUS Conviv. Septem Sapient. pag. 158. E. Tom. I. pag. 625. Wyttenb.

(2) Uberius eam rem narrant FLORUS Lib. II. cap. 2. et VALERIUS MAX. III. 6. 4. Fuit autem hæc antiqua apud Romanos consuetudo, ut viri de republicâ bene meriti, quoties foris cœnassent honoris caussâ, cum inusitatâ aliquâ pompâ domum redirent. Idem contigisse Cæsari narrant et SUETONIUS in Vitâ Jul. Cæs. Cap. 37. et DIO CASSIUS Lib. XLIII. cap. 22. T. I. pag. 356. Reimari: Τῇ δὲ τελευταίᾳ (sc. τῶν νικητηρίων ἡμέρᾳ) ἐπειδὴ ἐκ τοῦ δείπνου ἐγένοντο, ἔς τε τὴν ἑαυτοῦ ἀγορὰν ἐσῆλθε, βλαύτας ὑποδεδεμένος, καὶ ἄνθεσι παντοδαποῖς ἐστεφανωμένος· καὶ ἐκεῖθεν οἴκαδε παντὸς μὲν, ὡς εἰπεῖν, τοῦ δήμου παραπέμποντος αὐτὸν, πολλῶν δὲ ἐλεφάντων λαμπάδας φερόντων ἐκομίσθη. Plura dabit Js. CASAUBONUS ad laud. Suetonii locum pag. 148. edit. Wolfii.

omnino frugalitas; non largis accumbebant lectulis, non pretiosis gemmisque incisis utebantur poculis, non mensam onerabant auro, non turba servorum cibos ipsis porrigebant, sed simpliciter modiceque sæpe cœnabant in propatulo coram populo; nec ullas instituebant epulas quas civium oculis subjicere erubescere debebant. Cum vero perversitas morum jam latius serpere cœpisset, luxu Asiatico introducto, vasisque Corinthiis divitiisque Græciæ Romam deportatis, tantos sumtus tantasque impensas faciebant superbi Romani, ut variæ leges sint latæ, quæ sumtus accommodarent ad prædiorum mercedes (1), ne prodigi homines variis largitionibus paterna bona exhaurirent. Nihilominus tamen a profusis crassisque compotationibus, a luxu divitiisque prorsus abhorrebant viri boni, etiam jam quassatâ republicâ: præsertim vero Cato ille Uticensis, nostri pronepos, luculentum hujus rei exhibet testimonium in oratione, quam ei tribuit Sallustius, ut in Senatu contra Catilinam habitam, in qua deperditos deplorat Romanorum mores, nec, quamquam jam multos sibi mortales infensos habere se sciret, dicere veretur, « Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri, liberalitas;

(1) Unde Censores inquirere debebant: Ne quis extra posse quid faceret. Conf. de Legibus Sumtuariis, qualis v. gr. Fannia erat et Licinia, AULUS GELLIUS Noct. Attic. II. 24. ID. XX. 1. MACROBIUS Saturnal. II. 12 et 13. PLINIUS Hist. Nat. Lib. X, cap. 50. ATHENÆUS Lib. VI. cap. 108. pag. 274. C., sqq. Tom. II. pag. 550, sqq. Schweigh.: ad quem locum vid. Js. CASAUBONUS et SCHWEIGHÆUSERUS in Animadverss. Tom. III. pag. 610, sqq. et præterea CICERO ad Atticum XIII. 7. ad Famill. VII. 26. IX. 15. SUETON. in Cæsare Cap. 43. ibique Ernesti. TACIT. Annal. III. 52. 3. Add. FRID. PLATNERI Exercitatt. II. De Legibus Romanorum Sumtuariis, Lipsiæ 1752. 4. et JO. GUIL. HOFFMANNI Diss. ad Leg. Oppiam de matronarum cultu, Francof. ad Viadr. 1736. 4. (in FELLENBERGII Jurisprud. Antiq. Tom. I. pagg. 303–330.)

malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. Eo respublica in extremo sita. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus ærarii, ne illis sanguinem nostrum largiantur, et dum paucis sceleratis parcent, bonos omnes perditum eant (1). » Pulcherrima sane verba viro patriæ amantissimo digna.

§ XLIII.

Deinde convivia Cato instituit non tantum cum æqualibus sed cum iis quoque qui ætate erant inferiores. Utriusque autem ætatis maxime sermonibus delectabatur, sicque majorem, si verbis quidem illius fidem habere volumus, ex familiaribus colloquiis quam ex ciborum præstantiâ voluptatem percipiebat. « Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis quam cœtu amicorum et sermonibus metiebar.» Cap. 13. § 45. (2) «et habeo senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit.» Cap. 14. § 46. Quæ eadem fere loquitur Cephales apud Platonem, qui credebat, quantum in se corporis voluptates emarcescerent, tanto acrius augeri colloquendi et cupiditatem et voluptatem: Ὡς εὖ ἴσθι, ὅτι ἔμοιγε, ὅσον αἱ ἄλλαι αἱ κατὰ τὸ σῶμα ἡδοναὶ ἀπομαραίνονται, τοσοῦτον αὔξονται αἱ περὶ τοὺς λόγους ἐπιθυμίαι τε καὶ ἡδοναί (3).

(1) SALLUST. in Bello Catil. Cap. 52. § 11. p. 279, sqq. CORTII, quem vide.

(2) Συνῆγεν ἱλαρῶς, οὐ τοῖς καθ' ἡλικίαν μόνοις ἡδὺς ὢν συγγενέσθαι καὶ ποθεινὸς, ἀλλὰ καὶ τοῖς νέοις, ἅτε δὴ πολλῶν μὲν ἔμπειρος πραγμάτων γεγονὼς, πολλοῖς δὲ πράγμασι καὶ λόγοις ἀξίοις ἀκοῆς ἐντετυχηκώς. PLUTARCHUS in Vit. Cat. Major. Cap. 25. Tom. III. pag. 283. Schæf.

(3) PLATO De Republ. Lib. I. cap. 2. pag. 328. C. Steph. pag. 4. Astii. MONTAIGNE dans ses Essais, Chap. sur l'art de conférer.

Noster addit insuper, ne omnino a cibi potionisque deliciis abhorrere videatur : « Me vero et magisteria delectant a majoribus instituta, et is sermo qui more majorum a summo adhibetur in poculis; et pocula, sicut in symposio Xenophontis, minuta atque rorantia; et refrigeratio æstate et vicissim aut sol aut ignis hibernus (1).» Licet igitur paullo ante e vocis etymo damnare Græca convivia non dubitarit, nec tamen ea imitari recusat quæ Socrates præscribit convivis apud Xenophontem : Οὕτω δὲ καὶ ἡμεῖς, ἢν μὲν ἀθρόον τὸ ποτὸν ἐγχεώμεθα, ταχὺ ἡμῖν καὶ τὰ σώματα καὶ αἱ γνῶμαι σφαλοῦνται, καὶ οὐδὲ ἀναπνεῖν, μὴ ὅτι λέγειν τι δυνησόμεθα. ἢν δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν (ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργιείοις ῥήμασιν εἴπω) οὕτως οὐ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου μεθύειν, ἀλλ' ἀναπειθόμενοι, πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφιξόμεθα (2).

§ XLIV.

Ejusmodi itaque veræ sunt conviviorum lætitiæ, quæ simul a senibus et a juvenibus percipi possunt : et qui rem paullo adcuratius perpenderit, is intelliget nec senes voluptatibus illis quibus maxime oblectatur juventus, omnino carere. « Adolescentia voluptates prope intuens magis fortasse lætatur : sed delectatur etiam senectus procul eas spectans, tantum quantum sat est.» Cap. 14. § 48: in quo secutus est

(1) Cato ulterius addit, « Quæ quidem in Sabinis persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem quam maxime possumus vario sermone producimus.» Idem fere de eo prodit Plutarch. in Vitâ l. l. Ἦν δὲ καὶ τὸ δεῖπνον ἐν ἀγρῷ δαψιλέστερον· ἐκάλει γὰρ ἑκάστοτε τῶν ἀγρογειτόνων καὶ περιχώρων τοὺς συνήθεις, καὶ συνδιῆγεν ἱλαρῶς, κ. τ. λ.

(2) Xenophon in Conviv. Cap. 2. § 26. pag. 167, sq. Schneid.

Noster celeberrimum illud Chilonis effatum (1): Ne quid nimis: Μηδὲν ἄγαν. Theogn v. 325:

Μηδὲν ἄγαν σπεύδειν. πάντων μέσ' ἄριςα. καὶ οὕτως,
Κύρν', ἕξεις ἀρετὴν, ἥν τε λαβεῖν χαλεπόν.

Phocylid. v. 65. ed. Turneb.

Πάντων μέτρον ἄριςον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεειναί.

Sententia enim hujus præcepti hæc est, ut omni ætate et in omni vitæ conditione ipse sibi quisque imperet, pravas cupiditates in animo exsistentes reprimat, viam persequatur virtutis et nec nimio dolore deprimi se patiatur nec lætitiâ immodicâ gestiat; quod qui assequi volunt, iis illud in primis est agendum, ut se ipsos cognoscant (2); quod idem præcepisse perhibetur Chilon et quod, cum maximum eo momentum contineri judicarent Græci philosophi, illustre illud effatum, Γνῶθι σαυτόν (3) templo Delphico inscribi jusserunt: cujus vocis dignitas atque efficacia

(1) Alii dicunt Thaletis esse hoc præceptum, alii Pythagoræ, alii item Biantis. Conf. Dumbeckii Clio seu De Historiâ Dial. I. cap. IX. § 66. Plura collegit Erasmus in Adag. Chil. I. cent. 6 prov. 96. (in Opp. Tom. II. col. 259, sq.). Add. præcipue Plutarch. in Conv. Sept. Sapient. pag. 164. B. et quæ ad hunc locum largâ manu dedit Wyttenbachius in Animadverss. pag. 990, sqq.

(2) «Quid magis, inquit Wyttenbachius, in naturam cogitantem cadere videtur quam ut suam ipsa aciem in se convertat.» Præcept. Phil. Logic. Part. II. cap. 1. § 1. pag. 59.

(3) Explicuit *Menander* in fabulâ quæ inscribebatur *Calumniantes*, pag. 98. in Fragmm. a Jo. Clerico collectis:

Τὸ γνῶθι σαυτόν ἐςιν, ἂν τὰ πράγματα
ἴδῃς τὰ σαυτοῦ, καὶ τί σοι ποιητέον.

latius patet quam omnia quæ de Philosophiâ Morali scripserunt cujuscumque ævi Philosophi (1).

Sed redeamus ad Catonem nostrum, qui, postquam de voluptatibus tum pravis tum honestis disseruit, commendat mentis exercitationes, hoc est, culturam literarum atque artium, quas, ut efficacissimum in senectute solatium, satis lau-

apud STOBÆUM Sermon. XXI. pag. 176. lin. 19. Tigur. pag. 174. Basil.: ubi plura in hanc sententiam collecta reperiuntur. AUSONIUS in Ludo Septem Sapientum ed. Jac. Tollii, Amstel. 1671. pag. 270:

Delphis Solonem scripse fama est Atticum
ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, quod Latinum est NOSCE TE.
Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.

et postea

Spartanus ego sum Chilo, qui nunc prodeo:
Brevitate notâ, quâ Lacones utimur
Commendo nostrum ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ, NOSCE TE,
Quod in columnâ jam tenetur Delphicâ.

Conf. PLATO De Legg. Lib. XI. cap. 6. pag. 923. A. pag. 429. Astii. XENOPH. Mem. IX. 2. 24. PHILOSTRAT. in Vit. Appollonii Thyan. Lib. VII. cap. 14. CICERO Tuscul. I. 22. § 52. De Legg. I. 22 et 23. ad Quint. fratrem III. 6. PLIN. H. N. VII. cap. 32. ibique HARDUINUS. PLUTARCH. in Comp. Demosth. et Plat. IDEM De EI Delphico pag. 385. D. in Consolat. ad Appollon. pag. 116. C. in Conviv. Sept. Sapient. pag. 164. B. et utroque posteriore loco WYTTENBACHIUS pag. 771 et 990, sqq. et præcipue ÆGIDIUS MENAGIUS ad Diog. Laert. I. segm. 40. Tom. II. pag. 22, sq. ERASMUS in Adagg. Chil. I. cent. 6. prov. 95. (Opp. col. 258. D. sq. Tom. II.) Add. disputatio G. J. VOSSII De Conscientiâ Sui, in Opp. Tom. IV. Opusc. var. arg. pag. 71. DUMBECK, Clio. Dial. I. cap. 50. § 28 et Dial. II. cap. 2. § 27.

(1) J. J. ROUSSEAU, Préface de son Discours sur l'inégalité.

Honteux de m'ignorer,
Dans mon être, dans moi, je cherche à pénétrer.

VOLTAIRE, De la Nature de l'Homme, Disc. 6.

dare non potest, quippe ex quibus honestissimæ oriantur voluptates, quæ non solum in præsenti oblectent tempore sed etiam ad reliquam vitæ partem sui studiosos præparent. Ἔν τε τῷ παραυτίκα εὐφραίνει (sc. ἡ περὶ τοὺς λόγους ἡδονή), καὶ πρὸς τὸν ἄλλον βίον τοὺς μανθάνοντας διάγειν ἡδέως παρασκευάζει (1): illudque novis rursus probat exemplis. «Mori pene videbamus in studio dimetiundi cæli atque terræ C. Gallum, Cap. 14. § 49. Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? quam gaudebat bello suo Punico Nævius! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo! § 50. Quid de P. Licinii Crassi et pontificii, et civilis juris studio loquar?» Insuper plures alios enumerat præclaros viros, quos omnes ejusmodi artium studiis flagrantes senes viderat, contendens, digna hæc senectutis studia reliquis omnibus esse anteponenda. «Quæ sunt igitur epularum aut ludorum aut scortorum cum his voluptatibus comparandæ?» Alterum vero contra malas voluptates remedium proponit agriculturam: qui locus cum latius pateat, peculiari capite videbatur esse tractandus.

(1) Sic loquitur *Anaximenes* apud STOBÆUM Sermon. CXVI. pag. 592. lin. 48. Basil. pag. 594. Tigur. Conf. CIC. De Senectute § 9.

CAPUT QUINTUM.

DE VOLUPTATIBUS AGRICOLARUM.

§ XLV.

Ut optimum denique contra omnes animi pravos affectus medicamen affertur studium agriculturæ, quo incredibiliter delectabatur Cato senex. Existimabat enim eam profecto esse virtutis atque vitæ liberæ magistram; quod duobus his versibus expressit vetus poëta:

Ἄρ' ἐϛὶν ἀρετῆς καὶ βίου διδάσκαλος
Ἐλευθέρου τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις ἀγρός (1).

Argumentum vero totius disputationis tribus videtur rationibus contineri; quarum prima ex ipsâ terræ naturâ repetita est, altera ex utilitate quam quisque ex ejus culturâ percipit, postrema ex ipsius rei præstantiâ. Nec tamen ita materiam disposuit, ut de illarum unaquaque sigillatim et seorsim age-

(1) *Menander* apud STOBÆUM Sermon. LIV. pag. 369. lin. 4. Tig. pag. 367. Basil.

ret, sed aliam cum aliâ de industriâ commiscuit, ut eo liberiorem disserendi campum nancisceretur magisque sibi attentos faceret audientium atque legentium animos. Nos vero, pro instituto nostro, naturalem rerum ordinem sequemur, singulaque peculiariter explanare tentabimus.

Et primum quidem animadvertendum arbitramur Ciceronem in hâc tractandâ materiâ in memoriam etiam rediisse delectamentorum, quæ perceperat e lectione libri Xenophontei qui OEconomicus inscribitur, quem e Græco sermone in Latinum convertit ab anno circiter ætatis vicesimo secundo ad vicesimum quintum, et quidem, ut viri docti conjiciunt, vicesimo tertio cum, urbe in pace atque tranquillitate versante, ad cognoscendas omnis generis disciplinas se applicuisset (1). Quanti autem fecerit elegantem illum librum, pluribus locis ostendit et in ipso hoc dialogo eum Lælio et Scipioni majorem in modum commendat Cato. Nam « multas ad res, inquit, perutiles Xenophontis libri sunt : quos legite, quæso, studiose, ut facitis : quam copiose ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuendâ re familiari, qui OEconomicus inscribitur. » Cap. 17. § 59.

(1) Hoc ipsemet CICERO de se prodit, De Off. Lib. II. cap. 24. « Has res (scil. quæ ad tutandam rem familiarem pertinent) commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro qui OEconomicus inscribitur, quem nos istâ fere ætate cum essemus, quâ es tu nunc, e Græco in Latinum convertimus. » Conf. CIC. in Bruto Cap. 90. FRANC. FABRICIUS Marcoduranus in Hist. Ciceronis per Consules descriptâ, editioni Ciceron. Ernestinæ præfixâ, pag. 24. CORRADUS in Quæsturâ pag. 255. Fragmenta autem collecta exstant Tom. IV. P. II. pag. 1067 – 1070. Ernestii, et post Præfat. Jo. AUG. BACHII ad suam OEconomici Xenoph. editionem, quæ prodiit Lipsiæ 1749. 8.

§ XLVI.

Quis ignorat ingentem percipi delectationem ex ipsâ agrorum naturâ? Terra enim, mater illa communis, ad victum animalium omnia suppeditat, et « nunquam recusat imperium (1), nec unquam sine usurâ reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fænore. » Cap. 15. § 51. Cui tam durum et sensus expertem natura finxit animum, ut non ex ipso soli aspectu maxima oblectamenta percipiat? quid enim pulchrius, quid magnificentius excogitari potest conspectu virentium agrorum oriente sole? quæcumque in naturâ animadvertuntur, summo admirantes gaudio perfundunt: ager ille variis floribus distinctus, fructuum coctorum pondere gravatus, concursus avium cantus suavitate summum rerum omnium auctorem salutantium, oves pastum huc illuc carpentes: singula denique quæcumque lustrantibus oculis occurrunt tam mirabilia sunt, ut eorum aspectu nec oculi nec

(1) Sic etiam VIRGILIUS Georg. I. v. 99.

Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.

IDEM ibid. II. v. 369.

Ante reformidant ferrum (frondes): tum denique dura
Exerce imperia et ramos compesce fluentis.

ubi vid. HEYNII annotatio. TACIT. De Morib. Germ. Cap. 26. « sola terræ seges imperatur. » COLUMELLA De R. R. III. 3. 6. «imperant vitibus.» SENECA De Tranquillitate Animi Cap. 15. pag. 167. B. Lipsii: «Danda est remissio animo, ut fertilibus agris non est imperandum: cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fecunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit.»

animus umquam possint satiari (1). Non enim « segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticæ lætæ sunt, sed etiam hortis et pomariis : tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate » Cap. 15. § 54. (2) « Quid ergo vitium satus, ortus commemorem ? » Cap. 15. § 52 (3). « Quid de prato-

(1) « Prés fleuris, majestueuses et murmurantes forêts; fontaines mousseuses, sauvages rochers fréquentés de la seule colombe; aimables solitudes, qui nous ravissez par d'ineffables concerts; heureux qui pourra lever le voile qui couvre vos charmes secrets, mais plus heureux encore celui qui peut les goûter en paix dans le patrimoine de ses pères. » BERNARDIN DE ST. PIERRE, Études de la nature. Sic J. J. ROUSSEAU, cum de aspectu solis orientis in viridi agro loquitur, ait « Le concours de tous ces objets porte aux sens une impression de fraîcheur qui semble pénétrer jusqu'à l'âme. Il y a là une demi-heure d'enchantement auquel nul homme ne résiste; un spectacle si grand, si beau si délicieux n'en laisse aucun de sang-froid. » Émile, ou de l'Éducat. Liv. III.

(2) LE MIERRE, dans ses Fastes, Chant 5e.

Les troupeaux librement épars dans les campagnes,
Broutent le serpolet au penchant des montagnes;
Les oiseaux dans les bois, par couples réunis,
Suspendent aux rameaux la mousse de leurs nids.
J'entends le rossignol, caché sous le feuillage,
Rouler les doux fredons de son tendre ramage.
Les champs d'herbes couverts, les prés semés de fleurs,
De leurs riants tapis font briller les couleurs.
Le lilas flatte plus les regards de l'aurore
Que les rubis de l'Inde et les perles du Maure;
Et les Zéphyrs légers, voltigeant sur le thym,
Nous rapportent le soir les parfums du matin.

(3) Conf. quæ de vitium culturâ disserit XENOPH. in OEcon. C. 19. § 12. pag. 112. Schneid. Καὶ περὶ ἀμπέλων, κ. τ. λ. Add. VIRG. Georg. II. v. 354-420.

rum viriditate aut arborum ordinibus (1), aut vinearum olivetorumque specie dicam.» Cap. 16. § 57. «Malleoli, plantæ, sarmenta, viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent?» Cap. 15. § 52. Adde quæ de vi terræ pulcherrime superius disseruerat: «quæ quum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit, primum id occoecatam cohibet, deinde tepefactum vapore et compressu suo diffindit et elicit herbescentem ex eo viriditatem,» Cap. 15. § 51. Quæ cum consideraret vetus vates, secum dolebat tantum temporis a philosophis consumi in inquirendo illud quod verum solumque sit bonum, neque a quoquam adhuc eorum illud esse inventum: dicere enim illos, esse virtutem atque prudentiam, sed hæc ipsa potius intricare quam quid sit bonum, investigare. Ipse autem in agro vitam degendo atque terram fodiendo illud se invenisse arbitrabatur.

Οἱ φιλόσοφοι ζητοῦσιν, ὡς ἀκήκοα,
Περὶ τοῦτό τ' αὐτοῖς πουλὺς ἀναλοῦται χρόνος,
Τί ἐϛιν ἀγαθόν· κοὐδὲ εἷς εὕρηκέ πω.
Τί ἐϛιν. ἀρετὴν καὶ φρόνησίν φασι, καὶ
Πλέκουσι ταῦτα μᾶλλον, ἢ τί τ' ἀγαθόν.
Ἐν ἀγρῷ διατρίβων τήν τε γῆν σκάπτων ἐγὼ,
Νῦν εὗρον (2).

§ XLVII.

Quæ cum verissima sit agrorum laus, quis voluptates vene-

(1) Conf. quæ de his habet XENOPH. OEcon. Cap. 19. § 1, sqq. pag. 109. Schn.: ἔϛιν οὖν, ἔφην ἐγὼ, τῆς γεωργικῆς τέχνης καὶ ἡ τῶν δένδρων φυτεία, κ. τ. λ.

(2) In fragmentis *Philemonis* a JO. CLERICO collectis, pag. 324. et apud STOBÆUM Sermon. LIII. pag 365. lin. 43. Basil. pag. 367. Tigur.

reas atque vinolentiam non contemnet, suasque libidines coërcere non conabitur, ut veris illis solisque delectationibus perfruatur. Hæ autem non solum comparantur ex agrorum naturâ sed præsertim ex eorum utilitatibus, quæ quot quantæque sint neminem fugit. Cum etiam hæc varia commoda consideraret Socrates, ex illis solis rationibus, ut nimirum homines averterentur a pravis societatibus seseque ad meliorem reciperent frugem, indirecte adhortatus esse suos discipulos videtur ad agriculturæ studium. Τοῦ δὲ μὴ δουλεύειν γαςρὶ, μηδὲ ὕπνῳ, καὶ λαγνείᾳ, οἴει τι ἄλλο αἰτιώτερον εἶναι, ἢ τὸ ἕτερα ἔχειν τούτων ἡδίω, ἃ οὐ μόνον ἐν χρείᾳ ὄντα εὐφραίνει, ἀλλὰ καὶ ἐλπίδας παρέχοντα ὠφελήσειν ἀεί; καὶ μὴν τοῦτό γε οἶσθα ὅτι οἱ μὲν οἰόμενοι μηδὲν εὖ πράττειν οὐκ εὐφραίνονται, οἱ δ' ἡγούμενοι καλῶς προχωρεῖν ἑαυτοῖς γεωργίαν... ὡς εὖ πράττοντες εὐφραίνονται (1). Neque enim oblectamenta solum, qui his rebus student, indè honestissima capiunt, verum etiam et sibi et toti familiæ se præstant utilissimos. Nam, ut ait Cato, « agro bene culto nil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. » Cap. 16. § 57. Quæcumque profecto ad vitam utilia atque necessaria sunt, nobis subministrat terra. Atque hoc præsertim sensere illi optimi homines, qui eâ ætate vivebant ubi dura illa necessitas nondum erat in hominum vitam introducta, ut ad victum occiderent boves, jumenta, quorum lacte nutriebantur et quorum auxilio utebantur ad difficiliora agrorum culturæ opera præstanda. Utrum revera exstiterint umquam ejusmodi homines, nec ne (2), hoc, ut a proposito nostro alienum, in medio relinquamus; verum vel ex ipsâ hâc

(1) Xenoph. Mem. Socrat. Lib. I. cap. 6, § 8. pag. 46. Ernest.

(2) Carnis esum Pythagoras maxime, ut illicitum, prohibuit: cujus verba memoriæ tradidit Plutarchus, pulcherrimâque paraphrasi ea illustra-

narratione illud satis intelligitur, ex solis terræ fructibus optime homines posse vitam sustentare (1).

vit J. J. ROUSSEAU in libro qui inscribitur Émile ou De L'Éducation, Liv. II, Tom. I, édit. de Néaulme, pag. 341, sqq. Quæ quoniam longiora sunt, quam ut hic transcribantur, cum poëtâ Gallico, Pythagoræ dicta referente, dicere sufficiat:

> Homme, que la raison, que la pitié te touche,
> Que la chair de ce bœuf, dévorée par ta bouche,
> Te crie : « arrête, ingrat! je fus ton serviteur,
> Ton compagnon de peine et ton cultivateur. »

DE SAINTANGE. Métam. Liv. XV. Conf. etiam MAIMONIDES De Cibis Vetitis: quem Latine interpretatus est notisque illustravit *Marcus Woeldieke*, Hafniæ 1727 et 1734. 8. MICH.HENR. REINHARDI diss. duæ De Cibis Hebræorum Prohibitis, Viteb. 1697. JO. ANDR. DAUSII dissert. De Animalibus Esu Interdictis, Jenæ 1687. et quæ insuper indicavit FABRICIUS in Bibliographiâ Antiquariâ, Vol. II. cap. 19. § 6. pag. 884, sqq.

(1) Ita fere PHILEMON dixit; cujus hanc sententiam servavit STOBÆUS Sermon. IV. pag. 367. lin. 59. Basil.

> Δικαιότατον κτῆμ' ἐςὶν ἀνθρώποις ἀγρός·
> Ὧν ἡ φύσις δεῖται γὰρ ἐπιμελῶς φέρει,
> Πυρούς, ἔλαιον, οἶνον, ἰσχάδας, μέλι.

« Justissima est hominibus possessio ager; studiose enim ea fert quibus eget natura, triticum, oleum, vinum, ficus et mel. » in *Menandri* et *Philemonis* Fragmm. a JO. CLERICO collectis, pag. 348. Pertinent huc quæ apud eumdem STOBÆUM leguntur, Sermon. V. pag. 372. lin. 17. Basil.

> Ἀεὶ γεωργὸς εἰς νέωτα πλούσιος.

« Semper agricola in sequentem annum dives est. »

> Il voit de toutes parts combler d'heur sa famille:
> Javelle à plein poing tomber sous la faucille;
> Vendangeur plier sous le faix des paniers;

Bene vero indicat, agricolam esse assiduum debere. Qui enim agrorum culturæ operam dare constituit, mane eum surgere, sero dormire, vigilare interdum, variaque rustica opera ipsum peragere oportet : quandoquidem vel fertilissimus ager copiosa sua bona non iis largitur qui in socordiâ atque negligentiâ vitam transigunt eumque incultum relinquunt, sed sedulis assiduisque agricolis qui, ardore ætatis hiemisque frigore spretis, libenter terram aratro subigunt et stercorant agros repastinantque (1); quæ singula Cato commendat. « Quid ego irrigationes? quid fossiones agri, repastinationesque proferam? quibus fit multo terra fecundior? quid de utilitate loquar stercorandi? » Cap. 15. § 54. De quâ cum Hesiodus (2) ne verbum quidem fecisset, cum de culturâ agrorum præciperet, ejus negligentia obiter a Catone notatur.

§ XLVIII.

Atque incuriâ hac Hesiodo exprobratâ, perhibet Noster testimonium Homeri, qui « Laërtem lenientem desiderium,

Il semble qu'à l'envi les fertiles montagnes,
Les humides vallons et les grasses campagnes
S'efforcent à remplir sa cave et ses greniers.
Racan.

(1) Virg. Georg. Lib. II. v. 513–518.

Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor; hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet; hinc armenta boum, meritosque juvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus
Aut fetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.

(2) Conf. hanc in rem doctissima disputatio Dan. Heinsii, in Introductione ad Hesiodi Opera et Dies, pag. 125, sqq. et pag. 644, sq. in edit. Loesneri.

quod capiebat e filio, colentem agrum, et eum stercorantem facit.» Cap. 15. § 54. Quod intelligitur ex Odysseâ XXIV. v. 226: ubi hæc de Ulixe narrantur:

Τὸν δ' οἶον πατέρ' εὗρεν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ,
Λιστρεύοντα φυτόν (1) ῥυπόωντα δὲ ἕστο χιτῶνα,
Ῥαπτὸν, ἀεικέλιον· περὶ δὲ κνήμῃσι βοείας
Κνημῖδας ῥαπτὰς δέδετο, γραπτῦς ἀλεείνων.

Senex enim venerandus deplorans filii Ulixis miseram conditionem, quem profectum ad bellum Trojanum, eversâ urbe imperioque Priami, propter Polyphemum, quem oculo privaverat, ira persequebatur Neptuni, dum proci arrogantes rem ejus familiarem dilapidantes, Penelopam sibi in matrimonium petebant, ille ab urbe omnino remotus, in opere rustico faciendo reliquam vitæ partem traducere constituit.

(1) Non tamen Homerus Laërtem stercorantem agrum fecit, sed λιςρεύοντα φυτόν, h. e. *purgantem et ablaqueantem arbores*. Neque vero nos cum Carolo Langio, nostri loci interprete, facimus, qui eam rem aut Romanorum in Græcis rebus inscitiæ tribuerit (quarum et Catonem et Ciceronem perstudiosos semper fuisse constat) aut lectionis in Homerico contextu diversitati, nobis ignotæ. Immo melius forsitan, quam recentiores interpretes, Homericum locum intellexit Cicero, eo consilio arbores esse a Laërte circumfossas existimans, ut stercus immitteret. In usu autem jam fuisse stercorationem apud antiquissimos Græcos, patet ex Odysseâ XVII. v. 296, sqq. ubi de cane Ulixis ita canit Homerus:

Δὴ τότε κεῖτ' ἀπόθεςος, ἀποιχομένοιο ἄνακτος,
Ἐν πολλῇ κόπρῳ, ἥ οἱ προπάροιθε θυράων,
Ἡμιόνων τε βοῶν τε, ἅλις κέχυτ' ὄφρ' ἂν ἄγοιεν
Δμῶες Ὀδυσσῆος τέμενος μέγα κοπρίσσοντες.

Conf. Brodæi Miscell. IV. 13 et Guil. Budæus de Asse Lib. V.

§ XLIX.

Verum non idcirco tantum agri nobis delectamento esse debent, quod inde nutrimenta varia nobis comparamus, sed etiam quod alia non minus idonea præstant commoda, quæ optime describuntur a Socrate atque Ischomacho apud Xenophontem in OEconomico. Agri enim primum exhibent omnes exercitationes quæ hominem liberum decent: Ἔοικε γὰρ ἡ ἐπιμέλεια αὐτῆς (γεωργίας) εἶναι ἅμα τε ἡδυπάθειά τις καὶ οἴκου αὔξησις, καὶ σωμάτων ἄσκησις εἰς τὸ δύνασθαι ὅσα ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ προσήκει (1). Deinde agri animalibus, quibus ad colendos eos carere nequimus, pabulum præbent; inde res pecuaria exercetur, inde equi, boves, armenta quæ civibus et rusticis prosunt, nutriuntur, inde denique sacrificia fiunt Diis: ἔπειτα δὲ ὄψα πολλὰ τὰ μὲν φύει, τὰ δὲ τρέφει· καὶ γὰρ ἡ προβατευτικὴ τέχνη συνῆπται τῇ γεωργίᾳ· ὥςε ἔχειν καὶ θεοῖς ἐξαρέσκεσθαι θύοντας, καὶ αὐτοὺς χρῆσθαι (2). Si quis Deos sibi propitios reddere velit, floribus bene olentibus ornare potest eorum simulacra, aut fruges, quas fert ager grato animo ipsis offerre: Ἔπειτα δὲ ὅσα κοσμοῦσι βωμοὺς καὶ ἀγάλματα, καὶ οἷς αὐτοὶ κοσμοῦνται, καὶ ταῦτα μετὰ ἡδίςων ὀσμῶν καὶ θεαμάτων παρέχει (3).

(1) Xenoph. in OEcon. Cap. V. § 1. pag. 29. Schneid.

(2) Xenoph. in OEcon. Cap. V. § 3. Porro addit, § 5: Si quis etiam officium præstare velit civitati, cum propulsandi sint hostes, si eques est, ager bene cultus nutriet equum, sin pedestribus copiis stipendia sumit, idem ager validum præbebit corpus: Ἔπειτα δ' ἤν τε σὺν ἵππῳ ἀρήγειν τὶς τῇ πόλει βούληται, τὸν ἵππον ἱκανωτάτη ἡ γεωργία συντρέφειν· ἤν τε πεζῇ, σφοδρὸν τὸ σῶμα παρέχει. Quocirca etiam § 7. dicit, terram incitare agricolas ad opem ferendam civitati: παρορμᾷ δέ τι καὶ εἰς τὸ ἀρήγειν σὺν ὅπλοις τῇ χώρᾳ καὶ ἡ γῆ τοὺς γεωργοὺς, ἐν τῷ μέσῳ τοὺς καρποὺς τρέφουσα τῷ κρατοῦντι λαμβάνειν.

(3) Xenoph. OEcon. Cap. V. § 3.

Quæ omnia hanc Catonis firmant sententiam: «Neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed (1) delectatione, quam dixi, et saturitate copiâque omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam Deorum pertinent.» Cap. 16. § 56.

§ L.

His voluptatum blandimentis, tantis commodorum incitamentis, agrorum cultura unicuique commendanda est; ejusque insuper maxima præstantia (Hæc enim tertia nobis esse videtur dos) ex verbis ipsis Ciceronianis elucebit: «Nihil enim est agri culturâ melius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius (2).» «In urbe luxuries creatur, ex luxuriâ exsistat avaritia necesse est, ex avaritiâ erumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur: vita vero rustica parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra est (3).» Eamdem omnino sentiendi rationem in hoc dialogo Catoni tribuit Cicero, quippe qui arbitretur *voluptates agricolarum ad sapientis vitam proxime accedere.* Cap. 15. § 51. (4). Mirabatur itaque Socrates liberum quem-

(1) Conjunctionem *et* post particulam *sed*, ut minus convenientem Ciceronis consuetudini, omisimus suadente GOERENZIO ad Cicer. De Legg. I. 9. pag. 37.

(2) CIC. De Off. Lib. I. cap. 42. § 151. Conf. PLINIUS Hist. Nat. Lib. XVIII. cap. 3.

(3) CIC. pro Roscio Amerino Cap. 17. § 48. ad Cap. 18. § 51.

(4) Sic etiam COLUMELLA De R. R. Lib. I. Præf. § 4. (Rei Rusticæ Script. Schneideri Tom. II. pag. 26) «Sola res rustica, quæ sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiæ est, tam discentibus egeat quam magistris.» VIRGIL. Georgg. II. v. 485, sqq. HORAT. Epod. II. CLAUDIAN. Epigr. 52.

quam, rem tam jucundam possidentem, vel quid amœnius vel quid præstantius sibi præoptare posse. Non autem terra, qui officia rite peragunt, eos beneficiorum solummodo participes facit, sed etiam justa agere docet, atque ut quisque maxime eam colit, ita præstantissimis ejus cumulatur bonis; ideoque egregie sensisse existimandus est ille qui agri culturam aliarum artium matrem esse dixit atque nutrimentum : florente enim agricultura, vigere etiam omnes alias artes, eâ autem neglectâ has quoque exstingui: Ἐμοὶ μὲν θαυμαστὸν δοκεῖ εἶναι, εἴ τις ἐλεύθερος ἄνθρωπος ἢ κτῆμά τι τούτου ἥδιον κέκτηται, ἢ ἐπιμέλειαν ἡδίω τινὰ ταύτης εὕρηκεν ἢ ὠφελιμωτέραν εἰς τὸν βίον. Ἔτι δὲ ἡ γῆ θέλουσα τοὺς δυναμένους καταμανθάνειν καὶ δικαιοσύνην διδάσκει· τοὺς γὰρ ἄριστα θεραπεύοντας αὐτὴν πλεῖστα ἀγαθὰ ἀντιποιεῖ (1). Καλῶς δὲ κἀκεῖνος εἶπεν, ὃς ἔφη τὴν γεωργίαν τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφὸν εἶναι. Εὖ μὲν γὰρ φερομένης τῆς γεωργίας, ἔῤῥωνται καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι ἅπασαι. ὅπου δ᾽ ἂν ἀναγκασθῇ ἡ γῆ χερσεύειν, ἀποσβέννυνται καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι σχεδόν τι καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν (2).

§ LI.

Ejusmodi præceptis imbuti præclarissimi viri Græci atque Romani, qui tantopere delectabantur rebus rusticis, non morabantur delicatulos istos, qui turpe existimabant vestes manusque humo contaminare, qui indignum putabant homine libero quod maxime ei convenit et laudi est tribuendum, qui in pravis voluptatibus vitam degentes, malebant sese ingurgitare in flagitia quam in agris occupati, quiete honesteque vivere. Hoc autem fecerunt Senatores iidemque senes virique

(1) XENOPH. Œcon. Cap. V. § 11. pag. 32. Schneid.

(2) XENOPH. ibid. Cap. V. § 17. pag. 34. Schneid.

Consulares, Crassus, Paullus, Scipio Africanus, Cæcilius, Attilius Regulus, Colatinus, Cincinnatus, Decius, Curius, præcipue Cato noster qui, ut præconium agri culturæ illustri confirmaret exemplo, adfert quæ Socrates cum Critobulo apud Xenophontem pulcherrime disserit de Cyro Minori, rege Persarum, ingenio atque imperii gloriâ præstante, ad quem quum Lysander Lacedæmonius venisset, comiter atque benigne exceptus, miratus est concinnitatem pulchritudinemque cujusdam agri, quem ipsi rex ostendit, interrogantique a quo essent illa dimensa atque descripta, respondit Cyrus: « Atqui ego omnia ista sum dimensus: mei sunt ordines, mea descriptio: multæ etiam istarum arborum meâ manu sunt satæ. Tum Lysandrum intuentem ejus purpuram et nitorem corporis ornatumque Persicum multo auro, multisque gemmis, dixisse: Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est. » Cap. 17. § 59. (1). Quæ Noster non imitatus sed ad verbum fere e Græco sermone interpretatus est : Οὗτος τοίνυν ὁ Κῦρος λέγεται Λυσάνδρῳ, ὅτε ἦλθεν ἄγων αὐτῷ τὰ παρὰ τῶν συμμάχων δῶρα, ἄλλα τε φιλοφρονεῖσθαι (ὡς αὐτὸς ἔφη ὁ Λύσανδρος ξένῳ ποτέ τινι ἐν Μεγάροις διηγούμενος) καὶ τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον ἐπιδεικνύναι αὐτὸν ἔφη. Ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη, ὀσμαὶ δὲ πολλαὶ καὶ ἡδεῖαι συμπαρομαρτοῖεν αὐτοῖς περιπατοῦσι· καὶ ταῦτα θαυμάζων εἶπεν, ἀλλ' ἐγώ τοι, ὦ Κῦρε, πάντα μὲν ταῦτα θαυμάζω ἐπὶ τῷ κάλλει, πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων. Ἀκούσαντα δὲ ταῦτα τὸν Κῦρον ἡσθῆναί τε καὶ εἰπεῖν· ταῦτα τοίνυν, ὦ Λύσανδρε, ἐγὼ πάντα καὶ διεμέτρησα καὶ διέταξα· ἔστι δ' αὐτῶν, φάναι, ἃ καὶ ἐφύτευσα αὐτός. Καὶ ὁ Λύσανδρος ἔφη, ἀποβλέψας εἰς αὐτὸν, καὶ ἰδὼν τῶν τε ἱματίων τὸ κάλ-

(1) Sic CICERO alias dicit : « Felicitas est fortuna adjutrix consiliorum bonorum; quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. »

λος ὢν εἶχε, καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος, καὶ τῶν στρεπτῶν καὶ τῶν ψελλίων τὸ κάλλος, καὶ τοῦ ἄλλου κόσμου οὗ εἶχεν, εἰπεῖν, τί λέγεις; φάναι, ὦ Κῦρε· ἦ γὰρ σὺ ταῖς σαῖς χερσὶ τούτων τι ἐφύτευσας; καὶ τὸν Κῦρον ἀποκρίνασθαι, θαυμάζεις τοῦτο; ἔφη, ὦ Λύσανδρε. Ὄμνυμί σοι τὸν Μίθρην, ὅταν περ ὑγιαίνω, μὴ πώποτε δειπνῆσαι πρὶν ἱδρῶσαι, ἢ τῶν πολεμικῶν τι ἢ τῶν γεωργικῶν ἔργων μελετῶν, ἀεὶ οὖν γέ τι φιλοτιμούμενος. Καὶ αὐτὸς μέντοι, ἔφη ὁ Λύσανδρος, ἀκούσας ταῦτα, δεξιώσασθαι τε αὐτὸν καὶ εἰπεῖν, δικαίως μοι δοκεῖς, ἔφη, ὦ Κῦρε, εὐδαίμων εἶναι· ἀγαθὸς γὰρ ὢν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς (1).

§ LII.

Porro præter res majoris momenti modo memoratas, quas innumeras nobis agri suppeditant, aliæ sunt non minus gratæ, quæ solam delectationem adferunt, quales sunt venatio, aucupium atque piscatio; quæ Cato supervacanei quidem operis nuncupat, Cap 16. § 56. Fieri tamen potest ut venatio utilis quoque sit, interdum vero etiam necessaria. Si enim ager infestatur feris, tum diligentis est rustici eas venari, ut eo modo et suis consulat rebus nec patiatur majora agro fieri detrimenta (2). Præterea venatio etiam omnino utilis esse pot-

(1) XENOPH. OEcon. Cap. IV. § 20. pag. 27, sqq. Schneid. Pertinet huc de Senectute totus § 59. Cæterum conf. ROLLIN, Hist. ancienne, L. IV, ch. 4, Tom. II, pag. 370, éd. Breboeuf. Paris, 1815.

(2) De venatione sic Socrates loquitur apud XENOPH. in OEcon. Cap. V. § 5. pag. 31: *Θήραις τε ἐπιφιλοπονεῖσθαι συνεπαίρει τε ἡ γῆ καὶ κυσὶν εὐπέτειαν τροφῆς παρέχουσα καὶ θηρία συμπαρατρέφουσα.* Unde venatio in jure Romano dicitur juris naturalis permissivi, ut in ejus præceptis unum aliudve modificari possit, nec tamen in jus naturæ peccetur. Nihil itaque iniqui facit Summus Imperans, si ex illis quæ sunt juris naturalis permissivi quædam permittat, quædam vero prohibeat. Sic venatio hodie a principibus interdicta est atque pecu-

est ad exercenda corpora. Ita juvenes in Persiâ publice, duce rege Cyro Minori, in sylvis venabantur, quoniam credebant ita quam maxime corpora exerceri ad sustinenda omnia belli pericula: Διὰ τοῦτο δὲ δημοσίᾳ τοῦ θηρᾷν ἐπιμέλονται, καὶ βασιλεὺς, ὥσπερ καὶ ἐν πολέμῳ, ἡγεμὼν αὐτοῖς ἐςὶ, καὶ αὐτός τε θηρᾷ, καὶ τῶν ἄλλων ἐπιμελεῖται ὅπως ἂν θηρῷεν, ὅτι ἀληθεςάτη αὐτοῖς δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι (1).

§ LIII.

Cum itaque variis ex caussis agrorum excellentiam, utilitatem atque præstantiam Noster exposuisset, addit, «Hac igitur fortunâ frui licet senibus: nec ætas impedit, quominus et cæterarum rerum et in primis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis.» Cap. 17. § 60. Fortunati itaque senes, fortunati omnes qui, spretis vanis honoribus contemtisque opibus atque divitiis, omnibus iis rebus quæ ad suum ipsorum et familiæ victum cultumque necessaria sunt abundantes, rebus rusticis omnem curam intendunt; quorum præstantiam bonorum qui rite valent æstimare (2), ii solos se omnium esse beatos fateantur oportet (3). Hanc enim vitam

liaribus sancita legibus. Conf. ROGER. ad Instit. Lib. I. tit. 2. pag. 10. VINNIUS ad Inst. Lib. II. Tit. De Occupatione Ferarum. HUGO GROTIUS De Jure Belli et Pacis. II. 25. II. 8.

(1) XENOPH. Cyr. Discipl. Lib. I. cap. 2. § 10. pag. 15. Schneid.

(2) Virg. Georg. II. v. 458.

> O fortunatos nimium sua si bona norint
> Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis
> Fundit humo facilem victum justissima tellus.

(3) LE MIERRE, dans les Fastes, Ch. 4.

> Loin du bruit des combats, loin d'un féroce honneur,
> Sous un abri de chaume, il trouvoit le bonheur.

Deos ipsos, cum in terrâ degissent, feliciter traduxisse fabulati sunt Antiqui (1). Sic Apollo a cœlo detrusus, Admeti Thessaliæ regis armenta pascebat (2); in agris Romulus Remusque fuere educati (3). Hos alii secuti sunt fortissimi viri, quos declinante jam republicâ nonnulli inter bonos admirabantur, sed desperabant se tam excellentem amplius imitari posse virtutem, et, si interdum etiam ruri paullisper commorabantur, non agro colendo intendebant curas, sed corpus negotiis urbanis defatigatum reficiebant. Plerique vero luxuriâ et divitiis corrupti, ludibrio habebant eos qui agrorum colendorum studio tenebantur, dicebantque hunc stolidum amorem rusticitati cuidam

La terre à ses besoins prodiguant ses largesses,
Faisait germer pour lui d'innocentes richesses.
Il avait pour trésor des grottes, des ruisseaux,
Des fontaines, des lacs et des riants coteaux.
La force, la santé, le sommeil sous un hêtre,
La paix, la paix du cœur, fruit du travail champêtre.

(1) Vid. Virg. Georg. II, in fine.

Ante etiam Sceptrum Dictæi regis, et ante
Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat,
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

(2) Conf. Homer. Iliad II. v. 763, sqq. ibique Schol. coll. XXI. 448. Callimachi Hymn. in Appollin. v. 48, sq. ibique Ezech. Spanhemii Observatio pag. 77, et quæ plura laudaverunt Interpretes ad Hygini Fab. 49.

(3) Virgil. Georg. Lib. II. v. 532.

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit,
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.

Ubi vid. Heynius. Conf. etiam Horatii Epod. II. integr.

naturali morumque asperitati esse tribuendum, et suis ipsorum animi affectibus decepti, malebant hanc curam, liberali homini dignissimam, servorum turbæ mandare qui, commoda dominorum negligentes, agros relinquebant incultos (1). Unde lascivi Romani provinciarum industriâ ali debebant, et dum ex Siciliâ aliisque regionibus frumenta Romam deportabantur, terræ urbem circumjacentes partim spinis dumetisque fœdatæ erant, partim in villas luxuriosas transformatæ. Cum Columella suâ ætate hanc agrorum sterilitatem suorumque corruptionem lugeret, secum Antiquorum virtutem et diligentiam reputans, ait : « Cum animadvertam quam turpi consensu deserta exoleverit disciplina ruris, vereor ne flagitiosa et quodammodo inhonesta videatur ingenuis. Verum enim pluribus monumentis scriptorum admoneor, apud antiquos nostros fuisse gloriæ curam rusticationis: intelligo luxuriæ et deliciis nostris pristinum morem virilemque vitam displicuisse. »

(2) Sic COLUMELLA in Præf. I. § 3. (in Schneideri Scriptt. Rei Rusticæ Tom. II. pag. 26.) «Nec reor intemperantiâ cœli nobis ista, sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo cuique servorum, velut carnifici, noxæ dedimus, quam majorum nostrorum optimus quisque et optime tractaverit. Conf. VARRO De R. R. II. 3. Auctor Gallicus: « L'agriculture est une profession dont on reconnaît l'utilité et dont on vante les agrémens, et néanmoins si peu considérée, qu'on en laisse l'exercice aux esclaves, ou à la classe la plus ignorante de la société. » Mémorial du Sage, s. v.

CAPUT SEXTUM.

DE AUCTORITATE ET DE QUATUOR VITIIS QUAE PRAECIPUE SENIBUS IMPUTANTUR.

§ LIV.

Sed de agriculturâ hactenus ; quam cum firmissimis argumentis illustribusque exemplis senili præcipue ætati convenire eidemque vera solatia adferre et gaudia Cato demonstrasset, paucis disserit de Auctoritate, quam suo sibi jure senectus vindicat, et in quâ laudandâ per totum fere dialogum est versatus. Existimat enim, licet nec a reliquis ætatibus omnino abhorreat auctoritas, eam tamen senibus quam maxime esse propriam, in quibus quasi suum illa posuisse domicilium videtur. «Apex autem senectutis est auctoritas.» Cap. 17. § 60. Unde bene de Quinto Valerio Corvino, qui eam integram ad supremam ætatem servavit, etiam auxit, «Atque ejus extrema

ætas, inquit, hoc beatior quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris vero minus.» § 60. Nam ut coronam ac diadema honoris et imperii, ita senilem ætatem dignitatis atque principatus signum voluit esse natura. Voces enim γέρας et γεραίρειν, quæ latiorem nunc ambitum nactæ, præcipuum quemque et eximium honorem significant, propriâ et primariâ significatione non nisi de senibus fuisse usurpatæ videntur: Καθάπερ ὁ νόμος τὸ διάδημα καὶ τὸν στέφανον, οὕτω τὴν πολιὰν ἡ φύσις ἔντιμον ἡγεμονικοῦ σύμβολον ἀξιώματος ἐπιτίθησι· καὶ τὸ γέρας, οἶμαι, καὶ τὸ γεραίρειν ὄνομα σεμνὸν ἀπὸ τῶν γερόντων γενόμενον διαμένει (1). In auctoritate positum est summum dignitatis et gloriæ culmen, sunt summæ laudes, summi honores, quibus homines in hâc vitâ condecorentur. Hæc tam in pace quam in bello viget et utroque tempore maximi erit momenti. Dux autem belli, qui alios auctoritate superat, summum in milites imperium habet; volentes ejus consiliis parent, mandata exsequuntur, imminentique circumdati periculo ad libertatem salutemque patriæ, non minus summâ ducis auctoritate freti quam armis et animorum fortitudine defendendam, excitantur. «Quanta fuit (auctoritas) in L. Cæcilio Metello! quanta in Attilio Calatino! in quem illud elogium unicum: *Plurimæ consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.*» Cap. 17. § 61. «Quid de Paulo, aut Africano loquar? aut, ut jam ante, de Maximo? quorum non in sententiâ solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas.» Cap. 17. § 61. Verum ut in bello, sic in pace eâdem auctoritate freti summi oratores amore libertatis ardentes in improbos cives ac perniciosos invehuntur. Sic Cicero noster,

(1) PLUTARCH. An Seni Gerenda Sit Respublica pag. 789. E et F. Tom. IV. pag. 170. Wyttenb. Conf. APPOLLONII Sophist. Lexic. Homer. sub v. *γέρων*, pag. 204. Tollii. ETYMOLOG. MAGN. col. 227. lin. 14. Sylburg. ETYMOLOG. GUDIAN. col. 123. lin. 34. et col. 125. lin. 25.

adjutus Catone Minore aliisque egregiis viris, Catilinam pessima contra patriam, quam suis sceleribus contaminaverat, consilia molientem, summâ suâ auctoritate obruit. Neque vero hoc senectutis præsidium in iis tantummodo qui summæ reipublicæ sunt præfecti vim suam exercet, sed nec tranquillior vita atque quietior ejus efficaciâ omnino destituitur. « Quem virum P. Crassum, nuper pontificem maximum! quem postea M. Lepidum, eodem sacerdotio præditum, vidimus! » § 61 (1).

§ LV.

Quæ igitur cum ita se habeant, recte ex iis ducitur illud quod jam initio a Catone positum est: « Non viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio et auctoritate et sententiâ, quibus non modo orbari sed etiam angeri senectus solet. » Cap. 6. § 17. Verum ut quis tantam mereatur laudem, reliquæ etiam vitæ partes bene actæ esse debent. Eluceat itaque in juvene fortitudo in bellicis rebus, peritia atque constantia in domesticis, aversio a voluptatibus, temperantia atque castitas, emineat in homine virili ætate prædito, moderatio in secundâ fortunâ, patientia in adversâ; si senectus illum obruat, prudentia, consilium, sententia atque auctoritas sponte ipsi obtingent. « Non cani, enim, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt, sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis supremos. »

(1) Conf. De Senectute Cap. 11. § 38. ubi Appius senex atque cæcus, maximâ auctoritate fretus, optime rem familiarem administrasse et integram domum rexisse perhibetur.

Cap. 18. § 62. In quibus Noster respexisse videtur hos *Menandri* versus :

> Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν,
> Ἀλλ' ὁ τρόπος ἐνίων ἐςὶ τῇ φύσει γέρων (1).

« Non cani capilli faciunt ut quis sapiat, sed mores nonnullorum sunt naturâ seniles. » Quid autem juvat centesimum attigisse annum, cum decem solummodo vixeris? Non enim ille vivit qui aërem spiritu ducit, sed qui omnes curas, omnia consilia omnesque et ingenii et corporis vires eo confert, ut se ipsum meliorem et sapientiorem reddat aliorumque item commodis prospiciat (2). Tum vero summi ejus labores, quos in juventute et virili ætate libenter suscepit, magnâ compensati gloriâ in senectute mitigabuntur ; ab æqualibus amatus, a civibus dilectus, a juvenibus, qui ejus præceptis institutisque gaudent, honoratus, summâ valebit auctoritate ; neque vero tam propter rugas atque canitiem, quam propter recordationem ante actorum et propter laudabiles virtutes, quas colere a pueritiâ ad senectutem numquam destitit.

§ LVI.

« Quæ sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis præmiis comparandæ ? Quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam ætatis peregisse, nec tanquam inexercitati

(1) Apud Stobæum Sermon. L. pag. 556. lin. 3. Basil.

(2) *Methrodorus* apud Stobæum Sermon. CXV. pag. 592. lin. 29. Tigur. pag. 590. Basil. Οὐ *μακαριεῖς τὸν γέροντα, καθ' ὅσον γηράσκων τελευτᾷ, ἀλλ' εἰ τοῖς ἀγαθοῖς συμπεπλήρωται· ἕνεκα γὰρ χρόνου πάντες ἐσμὲν ἄδωροι.* Conf. etiam J. J. Rousseau, Émile ou de l'Éducation I. pag. 21. (éd. de Neaulme) « Vivre, ce n'est pas respirer, c'est agir; c'est faire usage de nos organes, de nos sens, de nos facultés, de toutes les parties de nous-mêmes, qui nous don-

histriones in extremo actu corruisse. » Cap. 18. § 64. Hanc enim auctoritatem senes ad mortem usque servant; nec in morte eam amittunt, sed æternam consequuntur apud posteros nominis gloriam. Non autem, ut recte docet Plutarchus, gloria, quam gloriosis nobis comparavimus factis, veluti corona Athletica negligenda est; neque committendum ut in senectute exarescat, verum semper novi aliquid est proferendum quo ante actorum factorum gratia excitetur, augeatur et stabiliatur. Δεῖ μὴ περιορᾷν ὥσπερ ἀθλητικὸν στέφανον, ἐν γήρᾳ ξηρὰν γενομένην τὴν δόξαν, ἀλλὰ καινὸν ἀεί τι καὶ πρόσφατον ἐπιφέροντα, τὴν τῶν παλαιῶν χάριν ἐγείρειν καὶ ποιεῖν ἀμείνω καὶ μόνιμον (1).

Hæc vera germanaque gloria factis juvenilibus fundata et auctoritate deinceps aucta atque confirmata præsertim apud Spartanos floruit. Quocirca Cato putat, « Lacedæmonem esse honestissimum domicilium senectutis; nusquam enim tantum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior (2). » Quod celebri stabilit exemplo. Nam dicit « memoriæ proditum esse, quum Athenis ludis quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum,

nent le sentiment de notre existence. L'homme qui a le plus vécu n'est pas celui qui a compté le plus d'années, mais celui qui a le plus senti la vie. Tel se fait enterrer à cent ans, qui mourut dès sa naissance; il eût gagné de mourir jeune, au moins eût-il vécu jusqu'à ce temps-là. » SALLUST. Bell. Catil. Cap. 2. « Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui animâ videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit. » coll. Cap. 1. init. Conf. DUMBECK. Clio, Dial. II. cap. 1. §. 11.

(1) PLUTARCH. An Seni Ger. Sit Resp. pag. 786. E. Tom. IV. pag. 159. Wyttenb.

(2) JUSTINUS Lib. III. cap. 3. PLUTARCH. An Seni Ger. Sit Resp. pag. 795. E. Tom. IV. pag. 193. Wyttenb.

quum autem ad Lacedæmonienses accessisset, consurrexisse omnes, et senem illum sessum recepisse.» Cap. 18. § 63. Haud sine caussâ itaque exprobratur Atheniensibus, *scire illos quæ recta essent, sed facere nolle* (1).

Præter auctoritatem multa etiam alia non minus honorabilia senibus competunt. « Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli. » Cap. 18. § 63. Quæ omnia eodem fere redeunt, nec aliâ ex caussâ hic repetuntur quam ut magis etiam corroborentur ea quæ jam in superioribus dicta sunt.

§ LVII.

Cum igitur hæc pro senectute de auctoritate disputasset, breviter disserit de quatuor vitiis quæ senibus plerumque exprobrantur, quod nempe sint morosi, anxii, iracundi et difficiles, tum vero etiam avari. Cap. 18. § 65. Hanc autem optimam se nactum esse opportunitatem est arbitratus, hæc pauca de vitiis,

(1) VALER. MAXIM. Lib. IV. cap. 5. § 9. Itidem DEMOSTHENES dicit popularibus suis in Olynthiac. III. Tom. I. pag. 29. Reiskii : *Πέπεισμαι γὰρ ἐξ ὧν παρὼν καὶ ἀκούων σύνοιδα, τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ὑμᾶς ἐκπεφευγέναι, τῷ μὴ βούλεσθαι τὰ δέοντα ποιεῖν, οὐ τῷ μὴ συνιέναι.* Rem ipsam narrat etiam PLUTARCHUS in Apophthegmatt. Laconn. Lib. II. pag. 235. C. D. Tom. I. pag. 938. Wyttenb. Obiter malam hanc Atheniensium consuetudinem perstringit Pericles cum Socrate colloquens apud XENOPHONT. Memorabb. III. 5. 15. Summum autem esse vitium, quæ bona sint cum scias, facere nolle, jam dixerat EURIPIDES in deperditâ fabulâ quæ inscribebatur *Chrysippus*, cujus hoc servatum nobis est fragmentum :

Αἶ, αἶ, τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακὸν,
Ὅταν τις εἰδῇ τἀγαθὸν, χρῆται δὲ μή.

quod est fragm VI. in VALCKENARII Diatriba Euripidea pag. 21.

a quibus profecto non plane aliena est senilis ætas, interjiciendi. Rursus quidem non ætati sed moribus ea censet esse tribuenda, ita tamen ut facilius excusentur. « Ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excusationis. » Cap. 18. § 65. Cujus rei rationem profert id quod jam antea dixerat, Cap. 3. § 7: Senes putare se contemni atque illudi: quod tamen hoc nostro loco non refutat, sed excusat potius quodammodo. Addit etiam humanam naturam ita esse comparatam, ut, cum arctius inter se animus et corpus contineantur, quo debilius sit corpus, eo vehementius offensione quantumvis levissimâ animus afficiatur. « In fragili corpore odiosa omnis offensio est. » Cap. 18. § 65. His autem vitiis, additâ excusatione, concessis salutaria proponit remedia, quibus facile illa mitigentur, atque ut ipsis ita aliis minus fiant molesta: bonos mores tam naturâ quam educatione partos et studia doctrinarum. « Quæ tamen omnia dulciora fiunt et moribus bonis et artibus. » § 65; nam « ut non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate coacescit. »

Atque hæc de morositate ac de vitiis cum eâ conjunctis; avaritiam vero contendit injuriâ prorsus senectuti exprobrari. « Avaritia (1) vero senilis quid sibi velit, non intelligo. Potest

(1) De avaritia sic habet CICERO De Off. Lib. I. cap. 20. § 68. « Pecuniæ fugienda cupiditas; nihil enim est tam angusti animi tamque parvi quam amare divitias. » SALLUST. Catil. Cap. 2. pr. « Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens unquam concupivit: ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat; semper infinita, insatiabilis, neque copiâ neque inopiâ minuitur. » PUBLIUS SYRUS in Sentent. v. 56. alibi.

Avarum irritat, non satiat pecunia;
Avarus animus nullo satiatur auro;
Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet,
Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.

SENECA De Irâ Lib. I. cap. 16. extr. pag. 17. B. Lipsii. « Videatur et avaritia

enim quidquam esse absurdius, quam quo minus vitæ restat eo plus viatici quærere?» Cap. 18. § 65. Admiranda hic calliditas oratoris, qui non coacervatis argumentis probare studet, hoc vitium a senectute abhorrere, sed rem totam unâ illâ similitudine præcidit, quâ senilis avaritiæ stultitiam et absurditatem ostendit. Neque inconsulto hoc ab eo factum esse arbitrandum est, sed quod prævidebat fieri vix posse ut longiori atque doctiori quidem oratione ab hoc vitio senectus omnino vindicetur. Nam.

Vitium commune omnium 'st
Quod nimium ad rem in senectâ attenti sumus (1).

§ LVIII.

Quantum vero antiquiores, qui in multis aliis rebus et prudentiâ et singulari quodam honesti sensu morumque integritate nos antecedebant, avaritiam quoque sint detestati, patet ex Tragœdiâ quadam *Euripidis*, in qua cum ejusmodi versus pronuntiati fuissent,

Ὦ χρυσὲ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς,
Ὡς οὐδὲ μήτηρ ἡδονὰς τοίας ἔχει,
Οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, οὐ φίλος πατήρ.
Εἰ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
Οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν (2),

magni animi; acervis auri argentique incubat et provinciarum nominibus agros colit et sub singulis villicis latiores habet fines quam quos Consules sortiebantur.» Cf. IDEM Epist. XC. «Avarus animus nullo satiatur auro.» et Ep. CXV.

(1) TERENTIUS in Adelphis A. V. sc. 7. v. 31. coll. A. V. sc. 3. v. 47.

(2) Ex STOBÆO Serm. LXXXIX. pag. 499. lin. 43. Basil. pag. 367. in HUG. GROTII Collect. Horum versuum etiam exstat hæc periphrasis Gallica, non magni quidem illa pretii :

Pecunia ingens generis humani bonum,
Cui non voluptas matris aut blandæ potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Jam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores cœlitum atque hominum movet:

totus populus ad foras detrudendum et actorem et poëtam consurrexit: ut Euripides in medium ipse se prorumpere deberet rogaturus, ut fabulæ finem exspectarent, cujus hoc esset consilium, ut eo magis convincerentur spectatores, quam perniciosa sit hominibus avaritia. Quantum mutati mores apud Græcos post Periclis ætatem, quantum apud ipsos Romanos, ubi cum ab incunabulis inde reipublicæ tot liberalitatis et beneficentiæ testimonia essent relicta, Augusti tandem tempore omnia venalia fieri et avaritiæ ambitionisque vitia latius in dies serpere cœperunt (1).

Qu'on me donne des revenus,
Des plus odieux noms je consens qu'on me nomme:
On ne compte point nos vertus,
C'est la fortune qui fait l'homme.
L'or est le bien parfait à nos yeux prévenus;
Plaisirs, amis, parents, ne nous toucheront plus
Lorsqu'il s'agira d'une somme.
Si Vénus paraissait sous les traits de Plutus,
Les hommes et les Dieux adoreraient Vénus.

(1) Horat. Lib. I. Epist. 1. v. 53.

O cives, cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos.

Quæ ex parte imitatus est Boileavius, Epit. v. 85.

L'argent, l'argent, dit-on; sans lui tout est stérile.
La vertu sans argent n'est qu'un meuble inutile.
L'argent en honnête homme érige un scélérat,
L'argent seul au palais peut faire un magistrat.

Conf. Horat. I. ep. 10. v. 47. I. ep. 4. v. 5. Ovid. Fast. Lib. I. v. 195. 199.

CAPUT SEPTIMUM.

QUO IMPUGNATUR QUARTA CAUSSA, SENECTUTEM ESSE MORTI PROXIMAM.

§ LIX.

Tribus prioribus caussis cur misera senectus videatur infractis, quarta et ultima restat, Appropinquatio mortis, «quæ certe a senectute non potest longe abesse.» Cap. 19. § 66. Quod antequam illustrare conemur, observandum esse existimamus magnum esse discrimen in modo atque ratione, qua tres anteriores partes et postremam illam tractaverit Noster. Nam in illis non solum exposuit, eas caussas non infelicem reddere senectutem, sed etiam probavit, in primâ nimirum senilem ætatem ne avocare quidem a rebus gerendis, in alterâ, quod si corpus faciat infirmius, etiam suas habere vires senectutem, modo juventute et virili ætate corroboretur; in tertiâ exposuit, a pravis quidem voluptatibus abhorrere senes,

sed tamen hos etiam suis et propriis iisque honestis voluptatibus, quæ solæ sic appellari mereantur, delectari. Nunc vero de Morte tractaturus, hoc tantum sibi proponit animo, ut ostendat eam non esse timendam, quin immo interdum optandam. Non tamen istud ipsum, quod objiciebatur, senectutem vicinam esse morti, impugnat, cum contra ab initio statim ipsemet illud concesserit. Cap. 19. § 66. Hæc autem materia e mediâ philosophiâ est desumta, in eaque maxime conspicitur Ciceronis ingenium, qui et aliorum animos consolatione contra omnia impendentia mala firmare studet, suasque ipse calamitates atque molestias lenire se existimat, si se totum philosophiæ tradiderit. Omnibus itaque argumentis adcurate atque diligenter consideratis, hanc materiam ita optime disponi opinamur, si prius peculiariter de Morte, tum de Animi Immortalitate tractabimus. Est igitur hæc disputationis pars e duplici fonte ducta; prior, quæ est De Morte Contemnendâ, ad Philosophiam Moralem (τὰ ἠθικά) pertinet; posterior, quæ est De Immortalitate, ad Physicam (τά φυσικά) sive, ex recentiorum ratione, ad Metaphysicam (τὰ μετὰ τὰ φυσικά) vel potius ad Theologiam. Ac totam quidem de Morte disputationem ita instituit Noster, ut primum doceat omnibus esse moriendum, deinde, satis longam esse vitam illi qui bene sciat eâ uti, tum nihil stabile esse in hac vitâ, nec tamen invitâ Providentiâ licere homini ex eâ decedere, postremo tandem, quidquid futurum sit, mortem esse aut plane negligendam, si nihil eam sequatur, aut etiam exoptandam, si eam consequatur Immortalitas.

§ LX.

Constat autem omnibus semel esse moriendum omnique

18.

horâ impendere durum fatum, illudque opulentis non secùs ac pauperibus esse commune.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres (1).
Omnia debentur morti; paulumque morati
Serius aut citius sedem properamus ad unami.
Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima (2).

Unde Socrates mox moriturus dicit circumstantibus discipulis, quibuscum de Morte et de Immortalitate disserebat: Vos autem Symmia et Cebes, aliique qui hic adestis, statuto quidem ac certo tempore proficiscemini, nunc autem me vocat, ut Tra-

(1) HORATIUS I. Od. 4. v. 13: quæ MALHERBIUS ita est imitatus:

La mort a des rigueurs à nulle autre pareilles:
On a beau la prier
La cruelle qu'elle est se bouche les oreilles,
Et nous laisse crier.
Le pauvre en sa cabane où le chaume le couvre
Est sujet à ses lois,
Et la garde qui veille aux barrières du Louvre
N'en défend pas nos Rois.

Præcipue huc pertinent divini versus HOMERICI, Odyss. III. v. 236, sq.

Ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίιον οὐδὲ θεοί περ
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότέ κεν δὴ
Μοῖρ' ὀλόη καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

Ubi vide quæ plurima in eam rem congessit JACOB. DUPORTUS in Gnomologiâ Homericâ pag. 162, sq.

(2) OVIDIUS Metam. X. v. 32, ibique INTERPRR. Sic IDEM ad Liviam v. 357.

Fata manent omnes, omnes exspectat avarus
Portitor, et turbæ vix satis una ratis.

gicus quidam dixit, fatum. Ὑμεῖς μὲν οὖν, ὦ Σιμμία τε καὶ Κέϐης, καὶ οἱ ἄλλοι, εἰσαῦθις ἔν τινι χρόνῳ ἕκαςοι πορεύσεσθε· ἐμὲ δὲ νῦν ἤδη καλεῖ (φαίη ἂν ἀνὴρ τραγικὸς) ἡ εἱμαρμένη (1). Quæ omnino conveniunt cum his quæ Cato tradit nostro Dialogo. «Moriendum enim certe est, et hoc incertum, an eo ipso die.» Cap. 20. § 74. «Quamquam quis est tam stultus, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum.» Cap. 19. § 67. Non igitur perpetuo nobis in hâc vitâ est manendum, sed discedendum, «tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi locum dedit.» Cap. 23. § 84: Καταγωγῇ γὰρ ἔοικεν ὁ γεροντικὸς θάνατος (2). Unde M. Aurelius vitam bellum nominavit, atque peregrini in alieno loco commora-

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam;
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

(1) PLATO in Phædone pag. 115. A. Steph. pag. 92. sq. Wyttenb. Porro, ut docet nos Cl. WYTTENBACHIUS in Adnotatione ad h. l. pag. 323. huc spectat PLUTARCHUS in Consolat. ad Apoll. pag. 119. F. Πρὸς τὴν εἱμαρμένην ἐπανάγειν πορείαν, καλούσης αὐτῆς, φησὶν, ἤδη πρὸς ἑαυτήν. «Sed ita postulabat natura, ut hoc expleto fatale, quod aiunt, iter conficeret, revocante eum jam ad se naturâ;» ubi itidem conferendus est WYTTENB. Animadverss. Tom. I. P. II. pag. 79»: fortasse etiam hoc *Machonis* apud ATHENÆUM Lib. VIII. pag. 341. D. Tom. III. pag. 258. Schweighæus.

Καλεῖ δὲ μοῖρα νύχιος, ἧς κλύειν χρεών.

PINDARUS ita de Morte, Nem. VII. v. 27.

Ἀφνεὸς πενιχρὸς τε θανάτου
Παρὰ σᾶμα νέονται.

Conf. HORAT. II. Od. 18. v. 29. DIOG. LAERT. II. segm. 35. ibique MENAGIUS, Tom. II. pag. 89. Add. DUMBECKII Clio, Dial. II. cap. I. § 3.

(2) *Themistius* in Lib. De Animâ apud STOBÆUM in Sermon. CXIV. pag. 589. lin. 22. Tigur. pag. 586. Basil.

tionem : ὁ βίος πόλεμος καὶ ξένου ἐπιδημία (1). Eamdem suam sententiam Cicero, uti alias sæpe aperit, sic narrat in libro de Consolatione : « Certum est enim non habitandi locum sed commorandi diversorium nobis esse concessum : e quo cum migramus, alacres, tanquam ex hospitio, miseriarum atque incommodorum plenissimo, egredi debemus (2). » Ideoque ad fati properantis arbitrium se convertat homo. Nam « ut navem ut, ædificium idem destruit facillime, qui construxit, sic hominem eadem optime, quæ conglutinavit natura dissolvit. » Cap. 20. § 73. Hinc novum exstat argumentum pro morte, nihil nempe esse diuturnum in quo aliquid sit extremum. Cap. 19. § 69. Quod optime exposuit Cicero in Tusculanâ primâ, quæ omnino cum hâc quartâ Dialogi nostri caussâ impugnandâ arctissime con-

(1) M. Aurelius De Rebus Suis Lib. II. cap. 17. ibique docta Gatakeri adnotatio, pag. 58.

(2) Cicero Consolat. pag. 342. ed. Bip. Sic etiam Tuscul. I. 39. « Dedit nobis natura usuram vitæ, tanquam pecuniæ, nullâ præstitutâ die. Quid est igitur quod querare, si repetit cum vult? eâ enim conditione acceperat. » ubi vid. quæ ad h. l. attulit Davisius : præcipue Plutarch. in Consolat. ad Appollonium pag. 106. F, sq. Tom. I. pag. 423. Wyttenb. : Μοιρίδιον χρέος εἶναι λέγεται τὸ ζῆν, ὡς ἀποδοθησόμενον, ὃ ἐδανείσαντο ἡμῶν οἱ προπάτορες· ὁ δὴ καὶ εὐκόλως καταβλητέον καὶ ἀστενάκτως, ὅταν ὁ δανείσας ἀπαιτῇ. Heraclides Allegor. Homeric. pag. 440 : Πᾶν γὰρ τὸ φυόμενον ἔκ τινων, εἰς ταῦτα ἀναλύεται διαφθειρόμενον, ὡσπερεὶ τῆς φύσεως ἃ δεδάνεικεν ἐν ἀρχῇ χρέα κομιζομένης ἐπὶ τέλει. Lucret. Car. de Nat. Rer. Lib. III. v. 985.

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.

Seneca Consolat. ad Polyb. Cap. 29. pag. 97. Lipsii. Hierocles in Aur. Carm. pag. 84. Hinc in proverbium abiit sententia, *Mortem esse naturæ debitum*. Arrian. Dissertatt. Epictett. Lib. I. cap. 1. fin : ubi vid. Schweighæuserus, Tom. II. P. I. p. 26. Pulchre auctor Gallicus : « La grande erreur est de donner trop d'importance à la vie ; comme si notre être en dé-

tinetur. Itidem enim ibi de Morte et de Immortalitate disserit, atque inter alia multa hoc agit, ut demonstret nihil esse in vitâ, utpote quæ semel finiri debeat, diuturnum. « Quæ vero ætas longa est? aut quid omnino homini longum? apud Hypanum fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum fluit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem vivant: ex his igitur, quæ horâ diei octavâ mortua est, provecta ætate mortua est; quæ vero occidente sole, decrepitâ: confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, in eadem propemodum brevitate quam illæ bestiolæ reperiemur.» (1). Ejusmodi sunt præclara verba Philosophi illius Ethnici, vel Christiano homine sane dignissima.

Cum itaque adversus alia, quæcumque eveniant in vitâ, præsidii aliquid nobis parare possimus, et contra impendentes calamitates molem, ut ita dicam, interdum exstruere; si mors impendet, inania omnia erunt consilia, incassum eam propellere conabimur, omnes urbem, quæ mœnia non habet,

pendait et qu'après la mort on ne fût plus rien. Notre vie n'est rien aux yeux de Dieu; elle n'est rien aux yeux de la raison; elle ne doit rien être aux nôtres, et quand nous laissons notre corps, nous ne faisons que poser un vêtement incommode.» J. J. ROUSSEAU, Nouvelle Héloise, 3me Partie, lettre 21. Ita BERNARDIN DE ST. PIERRE. Paul et Virginie, vers la fin, «La vie de l'homme avec tous ses projets s'élève, comme une petite tour, dont la mort est le couronnement.» Conf. L'Abbé DE LA MENNAIS, Essais sur l'indifférence en matière de Religion, Tom. I. Ch. 8. Paris, 3me édit. 1818.

(1) CICERO Tuscul. I. cap. 39. § 94. ARISTOTELIS locus est Hist. Animal. Lib. V. cap. 19. Tom. I. pag. 851. Duval. Rem eamdem produnt ÆLIANUS in Hist. Anim. V. 43. PLINIUS H. N. Lib. XI. cap. 36. aliique, quos laudat ad Ciceronis locum DAVISIUS. Cum ipsâ sententiâ conf. Dialogi nostri. § 68. « ô Dii boni! Quid est in hominis vitâ diu? Da enim supremum tempus: exspectemus Tartessiorum regis ætatem, etc.»

incolimus. Πρὸς μὲν τὰ ἄλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι· χάριν δὲ θανάτου, πάντες ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν (1).

§ LXI.

Attamen non senibus tantum est deplorandum, ipsis moriendum esse, quum illis hoc malum cum aliis quoque ætatibus sit commune, et præsertim cum adolescentiâ. Adolescentes autem maxime esse morbis obnoxios affirmat Cato, indeque probare studet, potius mortem esse timendam in juventute quam in senectute. « Quin etiam ætas illa (juvenilis) multo plures quam nostra, mortis casus habet: facilius in morbos incidunt adolescentes (2), gravius ægrotant; tristius curantur. (3) » Cap. 19. § 67. Qua in re liceat nobis a præstantissimo viro paullum dissentire. Quamquam enim concesserimus fieri interdum posse ut facilius in morbos incidant juvenes quam senes, hoc tamen accipiendum esse arbitramur de istis maxime juvenibus, qui libidine, iracundiâ aliisque animi perturbationibus continuos fere sibi morbos contrahunt, cum ex altera parte consideranda sit sicca atque virilis illa senectus, quæ adhuc pristinarum virium aliquid retinuit. Si vero suo hanc rem ponderare velimus momento et utramque ætatem ex suâ ac propriâ naturâ inter se

(1) Sunt verba *Metrodori* apud Stobæum. Serm. CXVII. pag. 601. Tigur. Conf. J. J. Rousseau, Lettre à Voltaire sur son Poëme du désastre de Lisbonne.

(2) Sumta hæc esse videntur ex Hippocrate de Victus Ratione Lib. I. pag. 350, init. Foesii: τῶν δὲ ἡλικιέων, νοσερώταται ὁκόσαι νεώτεραί εἰσιν.

(3) Conf. Hippocrates De Morbis Lib. I. pag. 456. lin. 35. Idem Sect. II. Aphorism. 39.

invicem comparare, sane ita erit judicandum. Quid enim frequentius apud senes quam ægrotare, cum totam infirmam debilemque ætatem in continuis sæpe morbis transigant? Sed ne a proposito nostro nimium aberremus, monuisse sufficiat, firmam tantum et validam senectutem cum debili juventute voluptatibus effrenatâ Nostrum comparasse, neque aliter illud esse accipiendum, quod dicit *Gravius eos ægrotare*. Quod autem postremo addit, *Tristius eos curari*, quid his verbis voluerit Cato, non satis constat. Alii enim contendunt illis hoc significari, ab morborum vehementiam, curam eorum magis difficilem esse ac laboriosam, quod gravibus morbis extrema quoque sint remedia adhibenda (1). Sed fatemur minus nobis arridere hanc explicationem. Licet enim juvenes depravati maximis obruantur morbis, natura tamen ipsa virium defectus quodam modo supplere videtur; neque senex, defatigatus maximis laboribus, atque debilitatis jam viribus, amplius quidquam exspectare debet, quod succurrere infirmitati corporis viriumque imbecillitati valeat, ac difficilius profecto eorum morbi curantur. Quapropter iis potius assentimur qui arbitrantur, verba illa non tam ad ægrotantem quam ad ejus consanguineos, amicos totamque familiam referri. Triste enim est spectaculum videre præstantem juvenem, de quo amplissima quæque ab omnibus sperabantur, qui propter morum integritatem, comitatem et benignitatem ab omnibus diligebatur, qui, corpore bene constituto, maximum vitæ spatium lustraturus erat, in ipso ætatis flore exstingui. Lugent enim parentes, deplorant amici, omnes ejus vicem

(1) Τὰ γὰρ ἔσχατα τῶν νοσημάτων ἐσχάτων δεῖται καὶ τῶν φαρμάκων, ut ait Hippocrates Sect. I. Aphorism. 6.

dolent et illi ipsi, qui corporis curam gerere et remedia ægrotanti administrare debent, tristitiâ afficiuntur.

Quidquid tamen ex duplici illa interpretatione consequatur ad commune semper principium nobis est recurrendum investigandumque quo se referre velit Noster, qui omnem arripit ansam qua senectutem, quam sibi laudare proposuit, de meliori commendet.

§ LXII.

Verum enim vero etsi morbi omnibus ætatibus sint communes, etsi unicuique supremum obeundum sit fatum, in hoc maxime præstat senex juveni, quod ille jam diu vixit, huic adhuc vita est exspectanda. Sperat quidem juvenis se longâ fruiturum esse vitâ, quod senex non amplius sperare potest. Sed hic jam consecutus est, quod ille forte incassum exspectat. « At sperat adolescens, diu se victurum; quod sperare idem senex non potest! Insipienter sperat; quid enim stultius quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Senex, ne quod speret quidem, habet. At est eo meliore conditione, quam adolescens: quum id, quod ille sperat, hic jam consecutus est. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. » Cap. 19. § 68. Spes enim sæpius nos fallere potest; nam illud quod alacri animo sæpe adoptamus, in spe ipsâ evanescit. Vera itaque est sententia Luciani, qui existimat spem supra caput agitari, quando vero maxime speremus, nos illam esse comprehensuros, avolantem evanescere. Αἱ ἐλπίδες ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρούμεναι, ὅταν μάλλις' ἄν τις οἴηται ἐπιλήψεσθαι αὐτῶν, οἴχονται ἀποπτάμεναι (1). Idcirco senex, ubi jam suavissimos ex ante actâ vitâ percepit fructus, constantiori animo mox eum adgressuram exspectat mortem, recordatus illa quibus

(1) Lucianus De Sacrificiis Tom. III. pag. 66. sq. Bipont.

in juventute atque in virili ætate omnino oblectatus est, atque mente recolligens terrestrium rerum vanitatem, tranquillo animo mundo valedicit. Juvenis vero in futurum tempus vivens ea quæ nondum consecutus est optat, non tamen eâdem ac senex conditione utens, quoniam et ipse repentinâ sæpe abripitur morte. Atque hanc utriusque sortem considerans quidam philosophus, cursu certantibus navigantibusque eos comparavit: Senex immensum quasi vitæ pelagus cum lustrasset et jussu gubernatoris ad portum aliquem appulisset, e nave, quam conscenderat, egreditur, aut in stadio, pugnâ laudabiliter pugnatâ, coronâ decoratus certaminibus renunciat; juvenis vero in medio mari non assecutus propositum navigationis terminum, quo se perventurum esse sperabat, subito occumbit, vel in stadio currens decidit atque privatus præmio effertur. Δοκεῖ δέ μοι ἑκάτερος αὐτῶν (sc. ὁ νέος καὶ ὁ γέρων) ἐοικέναι τοῖς ἀγωνιζομένοις δρόμον, ἢ τοῖς πλέουσι· καὶ ὁ μὲν διελθὼν τὸ μέγα πέλαγος, ὅπερ εἶναι λέγω τὸν βίον, κατάρας ἐπί τινα λιμένα τοῦ κυβερνήτου κελεύσαντος, ἀπέβη τῆς νεὼς, ἤπου διαγωνισάμενος ἐν τῷ σταδίῳ, καὶ τοῦ στεφάνου τυχὼν ἀποτάσσεται τοῖς ἀγῶσιν· ὁ δ' ἕτερος ἐν μέσῳ τῷ πόρῳ τῆς θαλάττης διεφθάρη, μὴ ἐλθὼν τὸν προκείμενον αὐτῷ πλοῦν, ὑπὲρ οὗ πολλάκις εὔξατο, ἤπου τρέχων ἐν τῷ σταδίῳ, καταπεσὼν, ἀστεφάνωτος ἐξεκομίσθη (1). Similis

(1) *Juncus* De Senectute ap. STOBÆUM Serm. CXIV. pag. 588. lin. 47. Tigur. Simile est *Themistii* illud e Libro De Animâ apud eumdem STOBÆUM Serm. CXIV. pag. 589. lin. 19. Tigur.: *Καίτοι περί γε τῶν γερόντων ὁ Σοφοκλῆς εἴρηκε χαριέντως·*

Σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή,

καταγωγῇ γὰρ ἔοικεν ὁ γεροντικὸς θάνατος· ἐκβολὴ δὲ καὶ ναυάγιόν ἐστιν ὁ τῶν νέων· ἐκπίπτει γὰρ ἡ ψυχὴ βίᾳ συντριβομένου τοῦ σώματος. « Atqui Sophocles de senibus egregie dixit : Infracta corpora parvo momento quiescunt. Mors enim senilis similis est diversorio, juvenilis vero est quasi ejectio et naufragium. Anima enim elabitur violenter contrito corpore. »

allegoria, qua ostenditur discrimen inter mortem senis et juvenis, exstat in nostro dialogo, ubi ait Cato, « Adolescentes mori sic mihi videntur, ut quum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur; senes autem, sicut suâ sponte, nullâ adhibitâ vi consumtus ignis exstinguitur, » Cap. 19. § 71. Et statim infra, « Et quasi poma ex arboribus, si cruda sint, vi avelluntur, si matura et cocta, decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. »

§ LXXIII.

Jure quidem ac merito itaque existimat Cato nullum esse terminum senectutis, cum circa cæteras ætates, quando incipiant quandoque desinant, certi quid constitutum sit. « Omnium ætatum certus est terminus, senectutis autem nullus. » Cap. 19. § 72. Multi tamen scriptores antiqui in eo elaboraverunt ut certo termino ipsam etiam senectutem circumscriberent. Plato enim octoginta et unum statuit annos; Staseas Peripateticus summam voluit esse senectutem annum octogesimum quartum, eamque ejus sententiam alii multi amplexi sunt (1). Davides vero in Psalmis terminum humanæ vitæ septuagesimum dixit esse, ad summum, octogesimum annum. Sed alienum est a nostro consilio varias has inter se conferre sententias, et quæ maxime sit probabilis, dijudicare; monuisse sufficiat quo modo senectutem limitari voluerint antiqui Philosophi, qui fortasse non tam rem ipsam inquisiverunt quam studuerunt eam philosophandi rationi accommodare. Vere igitur dicere licet cum Catone, minime senectutem a naturâ limitatam videri, quamquam senex, sicut juvenis et omnia

(1) Conf. Censorinus De Die Natali Cap. XV. pag. 72. Havercamp. ibique Annott.

quæcumque exstant semel exstingui debeant. « Quid ergo illud est crimen senectutis, mortem scilicet ipsi impendere, quum illud videatis cum adolescentiâ esse commune.» Cap. 19. § 67. Universa enim est vitæ finis neque ulla lex circa illam conscripta, neque ullum a Divinâ Providentiâ tempus statutum. Τὸ κοινὸν τοῦ θανάτου τέλος, καὶ οὐδεὶς ἐπ' αὐτῷ νόμος ἢ χρόνος ὑπὸ τῶν θεῶν γέγραπται (1).

§ LXIV.

Licet vero jam probatum sit, nihil diuturnum esse in quo sit aliquid extremum, addit tamen, satis longam esse vitam ei qui bene eâ uti intelligat. « Breve enim tempus ætatis satis est longum ad bene honesteque vivendum. » Cap. 17. § 70. Nam etsi exiguum vitæ curriculum natura homini concessit, præclaris tamen factis vitâque honestâ longissime protrahi potest; non enim longissima vita optima est sed honestissima. Οὐχ ὁ μακρότατος βίος ἄριστος ἀλλ' ὁ σπουδαιότατος······ τὸ γὰρ καλὸν οὐκ ἐν μήκει χρόνου θετέον, ἀλλ' ἐν ἀρετῇ καὶ τῇ καιρίῳ συμμετρίᾳ (2); et honestate, non temporis diuturnitate vita est metienda: Μετρὸν γὰρ τοῦ βίου τὸ καλὸν, οὐ τοῦ χρόνου μῆκος (3). Eo itaque omni adhibitâ operâ omnique labore est nitendum, ut vitâ honeste et laudabiliter peragendâ angustum ejus spatium, quantum in nobis est, ipsi exstendamus.

(1) *Juncus* De Senectute apud STOBÆUM. Serm. CXIV. p. 588. lin. 36. Tigur.

(2) PLUTARCH. Consolat. ad Appollon. pag. 111. A. Tom. I. pag. 438. Wyttenb. IDEM De Communibus Notitiis Adv. Stoicos pag. 1061. F. Tom. V. pag. 332. Wyttenb. *Aristo Chius* apud DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 160. ad eumque locum MENAGIUS Tom. II. pag. 330. SENECA Epist. LXXIII. pag. 522. et Ep. XCII. pag. 588. Lipsii.

(3) PLUTARCH. Consol. ad Apollon. pag. 111. D. pag. 440. Wyttenb.

Stat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus
Omnibus et vitæ; sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus (1).

Hoc sibi consecutus est Cato noster, qui recordatus vitæ in exercendâ virtute et in patriâ adjuvandâ atque illustrandâ consumtæ, ipsemet fateri non dubitat: «Neque me vixisse pœnitet: quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem.» Cap. 23. § 84. (2). Hoc gloriabatur Solon, qui, cum Atheniensium civitatem optimis legibus ornasset, negabat, «Velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare.» Cap. 20. § 73: quæ sic carmine Græco exstant:

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς (3).

Volebat enim carum se esse civibus suis, in quorum utilitatem totam impenderat vitam. In eamdem gloriæ societatem admit-

(1) VIRGIL. Æneid. X. v. 467, sq. CICERO in Consolat. ait: «Verissime affirmare possum, eos demum annos me vere vixisse, quos in præclaro aliquo patriæ vel commodo vel ornamento consumsi; ac si longius mihi vitam producere liceret, non me alia causa ad diutius vivendum, quam publicæ utilitatis studium curaque adduceret, quæ una cogitatio in homine gloriosa et laudabilis est maxime.» Conf. DUMBECK Clio, Dial. II. cap. 6. § 62.

(2) Conf. CICERO Tuscul. I. cap. 45. § 109. «Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus est munere.» M. ANTONINUS De Rebus Suis Lib. III. § 8. pag. 82. Gatakeri: *Οὐκ ἀσυντελῆ τὸν βίον αὐτοῦ (sc. τοῦ κεκολασμένου καὶ ἐκκεκαθαρμένου) ἡ πεπρωμένη καταλαμβάνει.* SENECA Epp. 41, 70, 77 et 93: et quæ plura indicat GATAKERUS ad loc. Antonini laud.

(3) PLUTARCH. in Comparat. Solonis et Poplicolæ Cap. 1. Tom. I. pag. 272. Schæf. et exiguâ differentiâ STOBÆUS Serm. CXXI. pag. 612. l. 49. Tigur. Conf. MENAGIUS ad Diogenem Laertium Lib. I. segm. 61. Tom. II. pag. 36. In Latinum sermonem conversos hos versus adhibuit CICERO Tuscull. Disputt. Lib. I. cap. 49.

tendi sunt Brutus, Decii, Attilius Regulus, Marcellus, duo Scipiones aliique qui sanguinem pro patriâ effuderunt.

Quo quis autem vehementius vitam exoptat, eo minus eâ fruitur. Etenim, qui ita sunt comparati, non tam rebus quas agunt, animum oblectant, quam iis quas in crastinum moliuntur. In ejusmodi vivendi ratione, ut ait Plutarchus, est vera rerum imperitia et magna imprudentia, quæ divites vexant et pauperes, conjuges cælibesque dolore afficiunt. Propter hæc fugitur forum, et rursus molestum est otium : propter hæc intromitti in aulas conantur, et intromissi statim ægre ferunt: Ταῦτα δ' ἐςὶν ἀπειρία πραγμάτων, ἀλογιςία, τὸ μὴ δύνασθαι μηδ' ἐπίςασθαι χρῆσθαι τοῖς παροῦσιν ὀρθῶς· ταῦτα καὶ πλουσίους χειμάζει καὶ πένητας· ταῦτα καὶ γεγαμηκότας ἀνιᾷ καὶ ἀγάμους· διὰ ταῦτα φεύγουσι τὴν ἀγορὰν, εἶτα τὴν ἡσυχίαν οὐ φέρουσι· διὰ ταῦτα προαγωγὰς ἐν αὐλαῖς διώκουσι, καὶ παρελθόντες, εὐθὺς βαρύνονται (1). Bene itaque Seneca scribit ad amicum: « Ille beatissimus est et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat : quisquis dixit *vixi*, quotidie ad lucrum surgit (2). » Nec minus pulchra sunt quæ scripsit in aliâ Epistolâ, cum amico nunciaret mortem philosophi Metronactis, qui admodum juvenis fato cesserat. « Quemadmodum in minore corporis habitu potest homo esse perfectus, sic et in minore temporis modo potest esse vita perfecta..... Quæris, quod sit amplissimum vitæ spatium? Usque ad sapientiam vi-

(1) PLUTARCHUS De Tranquillitate Animi pag. 466. C. Tom. II. pag. 903. Wyttenb.

(2) SENECA Epist. XII. et Philosophus Gallus: «L'homme qui fait le plus de cas de la vie est celui qui sait le moins en jouir; et celui qui aspire le plus évidemment au bonheur, est toujours le plus misérable.» J. J. ROUSSEAU, Émile, Livre IV.

vere (1).» Quis vero tam sit omnis humanitatis sensu destitutus, ut nobiscum non admiretur divinum illud recentioris auctoris carmen:

Heureux qui, retiré dans le temple des sages,
Voit en paix sous ses pieds se former les orages
Qui contemple de loin les mortels insensés,
De leur jour volontaire esclaves empressés;
Inquiets, incertains du chemin qu'il faut suivre,
Sans penser, sans jouir, ignorent l'art de vivre;
Dans l'agitation consumant leurs beaux jours,
Poursuivant la fortune et rampant dans les cours;
O vérité de l'homme! ô faiblesse! ô misère (2)!

§ LXV.

Atque hunc curriculi terminum qui semel sunt assecuti, eorum studiis satis superque est factum, neque illi idem denuo curriculum emetiri discupiant; quin immo si permissum illis esset vitæ tempus prorogare, valde recusarent. « Si quis, ait Cato, Deus mihi largiatur, ut ex hâc ætate repuerascam, et in cunis vagiam, valde recusem, nec vero velim, quasi decurso spatio ad carceres a calce revocari. » Cap. 23. § 83. Quam opportunitatem nactus, fabulam illam Peliæ paucissimis verbis in memoriam revocat. Pelias enim cum oraculo esset edoctus

(1) SENECA Epist. XCIII. pag. 589. Lipsii. Huc referri potest Similis epitaphium: qui cum magnam ætatem otiosus in urbe peregisset, tandem rus secessit, ibique agro colendo operam navavit: cumque hic septem ultimos vitæ annos feliciter transegisset, inscribi jussit in sepulchro: Hic situs est *Similis*, qui tot annos *fuit*, sed septem *vixit*. Conf. J. J. ROUSSEAU, Lettre à M^r De Malherbes; Œuvres Compl., Tom. XXXIV, pag. 89.

(2) VOLTAIRE, Épître dédicatoire de la tragédie d'Alzire.

se illius manibus esse periturum quem altero pede denudato ad se venientem vidisset, et Jason, Æsonis filius, ad eum venisset, altero calceo, dum Euenum fluvium trajiceret, amisso, de eo interimendo cœpit cogitare. Ei igitur injunxit ut sibi asportaret vellus aureum, quod Phrixus, Thebanorum rex apud Colchos, sacrificio peracto, in templo Martis suspenderat; sperans fore ut in expeditione tam periculosâ interiret. Sed Jason, itinere cum Argonautis peracto in patriam reversus, de parentis nece, quam commiserat interea Pelias, vindictam sumere volens, eam provinciam mandavit Medeæ, quæ singulari artificio ad illud facinus perpetrandum usa est. Contulit enim se in palatium Peliæ, persuasitque ejus filiabus, ut patrem in partes dissecarent elixarentque, in spem eas inducens, illum juvenilem recepturum esse ætatem; atque ut fidem ipsi haberent, ariete in partes dissecato elixatoque, agnum produxit; quâ subitâ mutatione deceptæ, quod illas jussit Medea, fecerunt, insanæ vero patri mortem consciverunt (1). Hæc Cato respiciens ait, « *Neque tanquam Peliam re-*

(1) Apollodorus in Bibl. I. 9. 27. pag. 105, sq. Heynii. Ἡ δὲ (Μήδεια) εἰς τὰ βασίλεια τοῦ Πελίου παρελθοῦσα, πείθει τὰς θυγατέρας αὐτοῦ (sc. Πελίου) τὸν πατέρα κρεουργῆσαι καὶ καθεψῆσαι, διὰ φαρμάκων αὐτὸν ἐπαγγελλομένη ποιήσειν νέον· καὶ, τοῦ πιστεῦσαι χάριν, κριὸν μελίσασα καὶ καθεψήσασα ἐποίησεν ἄρνα. Αἱ δὲ πιστεύσασαι τὸν πατέρα, κρεουργοῦσι καὶ καθεψοῦσιν. Fusius eam rem exponit Diodorus Siculus Lib. IV. cap. 51 et 52. Tom. I. pag. 294, sq. Wesseling. quem confer. Add. Ovidius Metamorph. VII. v. 297, sq. Hygin. Fab. XXIV. ibique Munckeri Annotatt. in *Staverenii* Mythogrr. Latt. pag. 71, sq. Tetigit item hanc fabulam Plato in Euthydemo Cap. 34. et Plautus in Pseudolo A. III. sc. 2. v. 80. ubi coquum ita induxit loquentem :

Quia sorbitione faciam ego te hodie meâ,
Item ut Medea Peliam concoxit senem,
Quem medicamento et suis venenis dicitur
Fecisse rursus ex sene adolescentulum.

coxerit; » hoc est, neque se velle, si quis ei persuaderet posse ipsum ad pristinum ætatis florem revocari, hoc beneficio frui, sed immortalitatis desiderio se mortem contemnere. Nam sibi jam adesse vitæ satietatem, cum adsit studiorum satietas, arbitratur; atque hoc suum argumentum etiam confirmat indole ceterarum ætatum, quarum singula sua ac propria habet studia, quibus expletis ad aliam eamque provectiorem ætatem homo studet transire. Sic nec adolescentem infantiæ, nec hominem virilem juvenilis nec senem virilis ætatis studia aliter delectant quam si eorum quisque cum studiis illius ætatis, quâ ipse est constitutus, illa quodammodo conjungat.

Chaque âge a ses plaisirs, son esprit et ses mœurs (1).

Quorum cum nova sibi acquirere senex non amplius possit, etiam e vitâ exire optat. « Omnino, ut quidem mihi videtur; studiorum omnium satietas, vitæ facit satietatem.... ergo, ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod cum evenit, satietas vitæ tempus maturum mortis affert. » Cap. 20. § 76. conf. § 86. « Habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem peractio ætatis est, tanquam fabulæ : cujus defatigationem fugere debemus præsertim adjunctâ satietate. »

§ LXVI.

Sed licet etiam nova studia senibus essent speranda, inexhaustâque semper liberalitate usa Natura, aliis prioribus satiatum novis usque beneficiis hominem cumularet, quid est cur adeo exoptanda sit vita, cum continuis fere etiam

(1) BOILEAU, Art Poétique, Liv. III, à la fin. St. CYR DELPECH. Mes quatre âges. pr. Poëme didactique. Paris, 1817.

calamitatibus in eâ circumvolvamur (1). (Et hæc quidem tertia ratio est cur senectus misera non sit, quamquam vicina morti habeatur). « Quid enim habet vita commodi, quid non potius laboris. » Cap. 23. § 84. Dolor enim cum ipsâ hominis naturâ conjunctus esse videtur, nullaque stabilis, dum in his corporis includimur compagibus, voluptas est exspectanda. Docet hæc Socrates, dicens : O viri, quam mira videtur esse hæc res, quam homines voluptatem nuncupant, quamque miro modo natura cum mœrore sociata est, a quâ aversari videtur, quippe cum simul homini adesse nolint. Si quis vero persequitur capitque alterum, semper fere alterum quoque accipere cogitur, quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Ὡς ἄτοπον, ὦ ἄνδρες, ἔοικέ τι εἶναι τοῦτο ὃ καλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ἡδύ· ὡς θαυμασίως πέφυκε πρὸς τὸ δοκοῦν ἐναντίον εἶναι τὸ λυπηρόν· τῷ ἅμα μὲν αὐτῷ μὴ θελειν παραγίνεσθαι τῷ ἀνθρώπω· ἐὰν δέ τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ, σχεδόν τι ἀναγκάζεται ἀεὶ λαμβάνειν καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμμένω δύ' ὄντε (2). Ne igitur opine-

(1) PINDARUS in Pyth. III. v. 145.

Ἓν παρ' ἐσλὸν, πήματα σὺν
Δύο δαίονται βροτοῖς
Ἀθάνατοι·

Humanæ vitæ miserias breviter item sic expressit HOMERUS Odyss. XVIII. v. 130.

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο,
Πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.

Priorem versum adhibuit etiam PLUTARCHUS in Consol. ad Apollon. pag. 104. D. Tom. I. pag. 415. WYTTENBACHII : qui conferri etiam jubet. Iliad. XVII. v. 446.

(2) PLATO in Phædone pag. 60. B. Steph. pag. 7. Wyttenb. Platonicum hunc locum in rem suam convertit AULUS GELLIUS N. A. Lib. VI. cap. 1.

mur voluptatem, quæ sic appellari jure mereatur, in hâc vitâ esse quærendam, quæ omni ærumnarum genere sit repleta. Quidquid agas, quacumque vivas ætate, quacumque sis conditione, numquam verum gaudium nullo dolore commixtum nanciscere. Nam, ut ait vetus Poëta apud Ciceronem (1),

> Alterno mixtam luctu mortalibus vitam
> Olim constituit divûm pater atque hominum rex.

Et *Menander* apud Plutarchum (2).

> Ἄρ' ἐςὶ συγγενές τι λύπη καὶ βίος.

Est ergo vitæ consanguinea molestia. Quæcumque insuper Cicero in Consolatione, mortem filiæ Tulliæ lugens,

«Namque itidem sunt bona et mala, felicitas et infortunitas, dolor et voluptas. Alterum enim ex altero, sicuti Plato ait, verticibus inter se contrariis deligatum est; sustuleris unum, abstuleris utrumque.» Conf. M. A. Muretus Var. Lect. XVI. 1. Tom. II. pag. 377, sq. Ruhnk. qui existimat ex eodem hoc Platonico loco hanc sententiam sumsisse Livium Lib. V. cap. 4. «Labor voluptasque dissimillimâ naturâ, societate quadam naturali inter se sunt conjuncta.» Nec minus bene cum nostro loco cohæret quod est apud Philonem *Judæum* De Temulentiâ pag. 241. A. B. ed. Turneb. *Ὥσπερ γὰρ ἡδονὴν καὶ ἀλγηδόνα φύσει μαχομένας, ὡς ὁ παλαιὸς λόγος, εἰς μίαν κορυφὴν συνάψας ὁ Θεὸς, ἑκατέρας αἴσθησιν οὐκ ἐν ταὐτῷ, διαλλάττουσι δὲ χρόνοις ἐνειργάσατο κατὰ τὴν φυγὴν τῆς ἑτέρας κάθοδον τῇ ἐναντίᾳ ψηφισάμενος· οὕτως ἀπὸ μιᾶς ῥίζης τοῦ ἡγεμονικοῦ τά τε ἀρετῆς καὶ κακίας διττὰ ἀνέδραμεν ἔρνη, μήποτε βλαστάνοντα μήτε καρποφοροῦντα ἐν ταὐτῷ.* Conf. Lactantius Ep. XXIX. 5-11, et præsertim quæ plura ex eleganti et exquisitâ suâ doctrinâ ad laud. Platonis locum depromsit Summus Wyttenbachius pag. 121–123. Idem ad Plutarch. De Ser. Num. Vind. pag. 48. Conf. Dumbeck Clio, Dial. I. cap. 4. De Fato §§ 29 et 30. et Cap. 5. De Nemesi §§ 33 et 34.

(1) Cic. Consolat. ed. Bip. pag. 350.

(2) De Tranquillit. Animi pag. 466. B. Tom. II. pag. 903. Wyttenb. quod fragmentum excerptum esse videtur ex Menandri Tibicine. Stob. de Rerum Nat. Tit. X.

disserit, pulcherrima sunt et cum nostro Dialogo omnino conferenda. Præcipue huc pertinet insignis locus, ubi sic loquitur Philosophus : « Quamdiu hac luce utimur, vivere quidem videmur, sed verius assidue morimur, aut saltem vitam verbo retinemus, re ipsâ amisimus. Equidem non video quid in homine valde optandum aut felix esse possit » et paulo post : « Finge enim animo, quidquid homini felix aut beatum ex opinione vulgari possit in vitâ contingere. Congerantur divitiæ, bona valetudo, honores, potentia, etiam voluptates accedant; cum hæc omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris stabile aut firmum, nihil quod non repentinam et assiduam pati mutationem possit. Caduca enim et incerta sunt omnia, non in humanis consiliis aut viribus posita, sed in fortunæ temeritate ac temporum vicissitudine constituta. »

§ LXVII.

Non itaque, cum prospero fortunæ flatu utimur, temere ipsi confidendum est. Omnium enim illa domina est et quemcumque vult, suis variis et caducis muneribus cumulat.

Ἅπαντα γικᾷ καὶ μεταςρέφει Τύχη,
Οὐδεὶς δὲ νικᾷ μὴ θελούσης τῆς τύχης (1).

Turpe est autem homini possessiones in casu positas consequi et ex fortunæ mutatione atque inconstantià pendere. Minime igitur ejus illecebris est serviendum, sed quoniam nihil in vitâ est bonum, nihil constans atque immutabile, fortis animi est, ad omnes calamitates esse præparatum.

(1) Apud Stobæum De Rerum Nat. Tit. X. Conf. Cic. De Off. I. cap. 23. § 80. Horat. II. Od. 19, et I. Ep. 10.

Approche-t-il du but? quitte-t-il ce séjour?
Rien ne trouble sa fin : c'est le soir d'un beau jour (1).

Tota etiam philosophia Epicteti (2) his continebatur verbis: ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Si itaque pessimâ quidem obruitur homo fortunâ atque innumeris circumvolvitur ærumnis, non tamen ipsi licet violentas sibi inferre manus. «Vetat enim Pythagoras injussu Imperatoris, id est Dei, de præsidio vitæ discedere.» Cap. 20. § 73 (3). Homo enim in statione quadem atque custodiâ est collocatus, unde minime decet aufugere: Ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν, οὐδὲ ἀποδιδράσκειν (4).

(1) La Fontaine, Philémon et Baucis, v. 15, sq.

(2) Mirandus est ille senex, ut ait etiam Lucianus, Adv. Indoctum, qui suam ipse historiam scripsit hoc disticho, quod servatur in Brunckii Analectis, Tom. III. v. 272.

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σῶμ' ἀνάπηρος,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Planudes hoc distichon adscribit Leonidæ Alexandrino: sed major fides habenda est A. Gellio, qui in N. A. II. 18. diserte Epictetum ejus perhibet auctorem. Ceterum conf. Jacobsii V. Cl. Animadverss. ad Anthol. Gr. Tom. III. P. II. pag. 187, sq.

(3) La Fontaine, Fable du Bûcheron et de la Mort.

Le trépas vient tout guérir;
Mais ne songeons d'où nous sommes.
Plutôt souffrir que mourir,
C'est la devise des hommes.

(4) Plato in Phædone pag. 62. D. Steph. pag. 10. Wyttenbachii: qui plura eam in rem attulit in doctissimâ annotatione pag. 139, sq. Add. Marc. Antonin. De Rebus Suis Lib. XII. § 36: Τὸ *γὰρ τέλειον* (sc. *τοῦ δράματος*) *ἐκεῖνος ὁρίζει ὁ τότε μὲν τῆς συγκρίσεως, νῦν δὲ τῆς διαλύσεως αἴτιος· σὺ δὲ ἀναίτιος ἀμφοτέρων ἄπιθι οὖν ἵλεως, καὶ γὰρ ὁ ἀπολύων ἵλεως*: ubi vid. Gatakerus (Opp. Critt. pag. 364).

Sic etiam apud CICERONEM in Somnio Scipionis Masinissa dicit Scipioni, « Nisi Deus istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodiâ corporis, nec injussu ejus, a quo ille vobis est datus, ex hominum vitâ migrandum est: ne munus humanum assignatum a deo defugisse videamini (1). Atque hæc etiam Socratis erat doctrina, cui etsi abstrusum atque abditum omnino appareret hoc præceptum, consentaneum tamen videtur naturæ hominis: nam homo in hâc vitâ sui juris non est, neque itaque sibi vim inferendi jus habet: Ὁ μὲν οὖν ἐν ἀποῤῥήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος, ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν, οὐδ' ἀποδιδράσκειν, μέγας τέ τις μοι φαίνεται καὶ οὐ ῥᾴδιος διϊδεῖν· οὐ μέντοι ἀλλὰ τόδε γέ μοι δοκεῖ, ὦ Κέβης, εὖ λέγεσθαι «τὸ θεοὺς εἶναι ἡμῶν τοὺς ἐπιμελουμένους, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἓν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι.» ἢ σοὶ οὐ δοκεῖ οὕτως; Ἔμοιγ', ἔφη ὁ Κέβης· οὐκοῦν, ἦ δ' ὅς, καὶ σὺ ἂν τῶν σαυτοῦ κτημάτων εἴ τι αὐτὸ ἑαυτὸ ἀποκτιννύοι, μὴ σημήναντός σου ὅτι βούλει αὐτὸ τεθνάναι, χαλεπαίνοις ἂν αὐτῷ, καὶ εἴ τινα ἔχοις τιμωρίαν, τιμωροῖο ἄν; Πάνυ γ', ἔφη. Ἴσως τοίνυν ταύτῃ οὐκ ἄλογον, μὴ πρότερον αὐτὸν ἀποκτιννύναι δεῖν, πρὶν ἀνάγκην τινὰ ὁ θεὸς ἐπιπέμψῃ, ὥσπερ καὶ τὴν νῦν ἡμῖν παροῦσαν (2).

§ LXVIII.

Hæc igitur necessitas, de quâ loquitur Socrates et quam in se ipsum e vitâ mox decessurum transfert, talis interdum

(1) Somn. Scipionis Cap. VII. Conf. præcipue Tuscul. Disputt. I. 30.

(2) PLATO in Phædone pag. 62. B. C. Steph. p. 10. 11. Wyttenb.

etiam esse potest, ut homo sponte mortem possit oppetere (1). At contemnendos omnino esse illos qui propter solam adversam fortunam calamitatesque (2) sibi violentas afferunt manus, in eo omnes philosophi, iique ipsi qui αὐτοχειρίαν non improbant, uno ore consentiunt; sed nihilominus juste excedere posse hominem e vitâ vel pro patriâ vel pro amicis existimant ante omnes Stoici : Εὐλόγως τέ φασιν οἱ Στωικοὶ ἐξαξέιν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν καὶ ὑπὲρ πατρίδος καὶ ὑπὲρ φίλων (3) : tum vero etiam si acerbiore dolore, si membrorum mutilationibus quis laborat et morbis incurabilibus, ipsi etiam licere putant e vitâ discedere : κἂν ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγηδόνι, ἢ πηρώσεσιν, ἢ νόσοις ἀνιάτοις : quod præceptum vere est Stoicum. Hoc secutus quoque est SENECA, qui justis illis caussis, quibus sponte mori liceat, addit ipsam senectutem (4). Quæ ultima caussa longe abest ut a Catone comprobetur. Merito tamen laudatur volun-

(1) Conf. LIBANIUS Or. De Vitâ Suâ. Tom. II. pag. 45. HIEROCLES Comm. in Aur. Carm. pag. 160. Needham. PLATO De Legg. X. pag. 671. JULIANI Epistola ad Athenienses pag. 276. Spanhem.

(2) VOLNEY, Les Ruines ou Méditation sur les révolutions des Empires, Ch. 13. « Tel est le cœur humain, un succès l'enivre de confiance, un revers l'abat et le consterne: toujours entier à la sensation du moment, il ne juge point des choses par leur nature, mais par l'élan de sa passion.»

(3) DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 130.

(4) *Senectuti* addit PAULUS ICtus in L. 45. Dig. De Jure Fisci, *Pudorem æris alieni*. ULPIANUS Leg. 6. Dig. De injusto, rupto, irrito facto testamento, dicit: » Quod si quis tædio vitæ vel valetudinis adversæ impatientiâ vel jactatione, ut quidam philosophi, mortem sibi consciverunt, in eâ caussâ sunt ut eorum testamenta valeant. » Conf. INTERPRR. ad Diog. Laërt. Lib. VII. segm. 130. præcipue ÆGID. MENAGIUS.

taria mors Deciorum, qui in confertas hostium copias irruentes pro salute patriæ se devoverunt. Virtus reputatur suicidium Catonis qui, devicto Pompeio perditâque libertate post pugnam Pharsalicam, Uticam venit ibique semetipsum interfecit: de quo ipse Cicero ita loquitur in Tuscull. Disputt. (1): « Cato autem, inquit, sic abiit e vitâ, ut caussam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus, injussu hinc nos suo demigrare. Cum vero caussam justam Deus ipse dederit, ut tum Socrati, nunc Catoni (2), sæpe multis; næ ille, medius fidius, vir sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen illa vincula carceris ru-

(1) Lib. I. cap. 30. § 74. ubi conf. quæ ad hunc locum attulit DAVISIUS. Si justæ adessent caussæ, suicidium apud Romanos, ut constat ex allato Ulpiani fragmento, non penitus damnabatur. Secus vero legibus nostris atque religione Christianâ stabilitum est, quas impugnare studens celeberrimus MONTESQUIEU ita loquitur : « Les lois sont furieuses en Europe contre ceux qui se tuent eux-mêmes. Il me paraît que ces lois sont bien injustes. Quand je suis accablé de douleur, de misère et de mépris, pourquoi veut-on m'empêcher de mettre fin à mes peines, et me priver cruellement d'un remède qui est entre mes mains ; je suis obligé de suivre les lois quand je vis sous les lois; mais quand je n'y vis plus, peuvent-elles me lier encore ? » Lettres Persanes, LXXVI. Conf. J. J. ROUSSEAU, La Nouvelle Héloïse, Lettres 21 et 22 : ubi in priori epistolâ defendit auctor voluntariam mortem, in posteriori vero prioris epistolæ argumenta infringere conatur.

(2) Tuscull. Disputt. Lib. I. cap. 30. § 74. Conf. de Offic. Lib. I. cap. 31. « Sic est faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus; eâ tamen conservatâ propriam naturam sequamur. Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnunquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius in eâdem caussâ non debeat. Num enim aliâ in caussâ M. Cato fuit, in aliâ ceteri, qui se in Africâ Cæsari tradiderunt? Atqui ceteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod lenior eorum vita et mores fuerant faciliores. Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravi-

perit. Leges enim vetant, sed tamquam a magistratu aut ab aliquâ potestate legitimâ, sic a Deo evocatus atque emissus exierit. »

§ LXIX.

Etsi vero nemini liceat, nisi justam habeat caussam, ultro sibi inferre mortem, minime tamen ea extimescenda est. *Tota enim Philosophorum vita commentatio mortis est.* Unde recte Socrates eos qui mortem timeant, non esse φιλοσόφους, sed φιλοσωμάτους putat, id est, qui non sapientiæ student sed corpori inserviunt : Οὐκοῦν ἱκανόν σοι τεκμήριον, ἔφη, τοῦτο ἀνδρὸς, ὃν ἂν ἴδῃς ἀγανακτοῦντα μέλλοντα ἀποθανεῖσθαι, ὅτι οὐκ ἄρ' ἦν φιλόσοφος, ἀλλά τις φιλοσώματος· ὁ αὐτὸς δέ που οὗτος τυγχάνει ὢν καὶ φιλοχρήματος καὶ φιλότιμος· ἤτοι τὰ ἕτερα τούτων, ἢ ἀμφότερα (1).

tatem, eamque ipse perpetuâ constantiâ roborasset, semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potius quam tyranni vultum adspiciendum fuit. » De Stoicorum εὐλόγῳ ἐξαγωγῇ, h. e. *eductione rationali* sive *abitu e vitâ cum ratione consentiente*, conferatur etiam Cicero De Finibus Lib. III. cap. 8. Seneca Epist. XVII et LXX. Idem De Ira Lib. III. cap. 15. Appuleius De Doctr. Platon. Lib. II. pag. 195. Bip. Div. Augustinus De Civ. Dei. Lib. I. cap. 18–23. et quæ plura suppeditabunt Justus Lipsius in Manuduct. ad Philosoph. Stoic. Lib. III. diss. 22. Davisius ad Maximum Tyrium Dissert. I. Reinhardus in Disput. De Morte Voluntaria, Vitebergæ 1778. ac demum G. G. Hermannus in Append. Dissert. De Autochiria et philosophice et ex legibus Romanis considerata, Lips. 1819.

(1) Plato in Phædone pag. 68. B. Steph. pag. 20. Wyttenb. « Idoneum igitur argumentum est cum quem moriturum indignantem conspexeris, eum non esse φιλόσοφον, sed φιλοσώματον quemdam, hoc est, corporis amatorem, atque eumdem fere φιλοχρήματον aut φιλότιμον, h. e. divitiarum honorumque cupiditate flagrantem, aut eum alterutrâ, vel etiam utrâque cupiditate teneri. » Conf. Stobæus Sermon. VII. pag. 97 et 89, et præsertim doctis-

Sed ut omnem ex animo mortis timorem ejiciamus, per totam vitam nobis est illa meditanda. « Hoc meditatum ab adolescentiâ debet esse, mortem ut negligamus, sine quâ meditatione tranquillo esse animo nemo potest. » Cap. 20. § 74. illudque fieri debet Philosophorum more, qui nullum transire diem patiantur, quin eam meditentur. Κινδυνεύουσι γὰρ ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας, λεληθέναι τοὺς ἄλλους, ὅτι οὐδὲν ἄλλο αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι (1). A quocumque autem hoc factum erit, ei mors contemnenda, si omnino exstinguit

sima annotatio WYTTENBACHII ad hunc nostrum Platonis locum, pag. 166, sqq. Recte auctor Gallicus : « La mort est le plus grand des biens ; on doit la désirer. Si la vie est une punition, on doit en souhaiter la fin ; si c'est une épreuve, on doit la demander courte. » BERNARDIN DE ST. PIERRE, Études de la Nature, Tom. 3, pag. 131, vol. 4. Éd. de Brux. 1820. IDEM, Vol. 3, p. 125. « La mort est un bien pour tous les hommes ; elle est la nuit de ce jour inquiet qu'on appelle la vie. C'est dans le sommeil de la mort que reposent à jamais les maladies, les douleurs, les craintes, les chagrins, qui agitent sans cesse les malheureux vivants. »

(1) PLATO in Phædone, pag. 64. A. Steph. pag. 13. Wyttenb. coll. pag. 67. F. Steph. pag. 19. Wyttenb. Τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτό ἐστι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος : et paucis interjectis : οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι καὶ τὸ τεθνάναι ἥκιστ' αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν : quem locum respexerunt APPULEIUS De Habit. Doctr. Platon. pag. 619. THEODORETUS in Therapeut. VIII. pag. 118. HIERONYMUS ad Heliod. de Morte Nepot. pag. 23. IDEM in Epitaph. Marcellæ pag. 122. Pertinet huc etiam CICERONIS illud Tuscul. III. cap. 16. « Nihil est quod tam obtundat levetque ægritudinem, quam perpetua in omni vitâ cogitatio, nihil esse quod accidere non possit, quam meditatio conditionis humanæ, vitæ lex, commentatioque parendi : » et SENECÆ De Brev. Vitæ Cap. 7. pag. 218. Lipsii. « Vivere totâ vitâ discendum est : et quod magis fortasse miraberis, totâ vitâ discendum est mori. » Platonis locum ante oculos forsitan etiam habuerunt NEMESIUS De Nat. Hom. pag. 98. et SYNESIUS in Dione pag. 50. B. Petavii.

animum, aut etiam optanda, si eam consequatur immortalitas. «Aut plane mors negligenda est, si omnino exstinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi futurus sit æternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest.» Cap. 19. §66. (1). Unde duplex oritur disputatio, quarum altera probat, si nullus futurus sit sensus post mortem, minime eam esse timendam; altera vero, si animus immortalis sit futurus, eam esse etiam exoptandam. Quam duplicem Noster sententiam persequens fluctuat, nec certi quidquam circa conditionem hominis post mortem futuram constituit: quamquam majori argumentorum vi posteriorem, hoc est de Immortalitate, sententiam probare conatur (2).

§ LXX.

Non est formidabilis mors, si quidem dissoluto corpore et animo nullus amplius futurus sit sensus. Mors itaque omnino comparari potest somno, quoniam dormientes, nisi somniis atque phantasmatibus circumaguntur, omni sensu carent. Hinc Cicero in Tusculanâ primâ, «Quid autem, inquit, qui ne sentit quidem? Habes somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. Et dubitas quin sensus in morte nullus sit, cum in ejus simulacro videas esse nullum sensum? (3).» Et in Consolat (4): «Dormiens autem, ut nihil sentit, nihil agit, nihil curat; sic mortuus quid agere, quid curare aut sentire possit, haud sane intelligas.... mortem igitur, si quidem

(1) Conf. Cicero Tuscull. Disputt. Lib I. cap. 11 et 34.
(2) Hoc intelligitur etiam ex primâ Disputatione Tusculanâ, cap. 12., sqq.
(3) Cap. 38 § 92.
(4) Pag. 375. ed. Bipont.

somno similis est, singulis noctibus induimus, et cum in somno sensus sit plane nullus, nullum etiam in morte futurum statuere debemus (1).» Ex hoc fuit decantatum illud Epicuri decretum : ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς : *Mors minime ad nos spectat.* Quod versu expressit huic sectæ addictus LUCRETIUS (2):

Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum.

Non tamen omnino hæc Epicureorum sententia Ciceroni probatur, qui eos per ironiam minutos sæpe philosophos appellat, nec multum iis tribuere solet auctoritatis (3). Sic De Nat. Deor. Lib. I. cap. 41. de Epicuro loquens, « qui sustulerit, inquit, omnem funditus religionem, nec mani bus, ut Xerxes, sed rationibus Deorum immortalium templa et aras everterit:» et inferius, Cap. 43. « Epicurus ex animis hominum extraxit

(1) PLUTARCHUS Consolat. ad Apollonium pag. 107. D. Tom. I. pag. 426. Wyttenb. hoc HOMERI adfert testimonium, qui Odyss. XIII. v. 80. dicit:

Νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς :

additque Diogenis Cynici verba, qui cum in eo esset ut moreretur et somnus eum obruisset, a medico excitatus, et, an gravius aliquid accidisset, interrogatus respondit : Οὐδέν· ὁ γὰρ ἀδελφὸς τὸν ἀδελφὸν προλαμβάνει, ὁ ὕπνος τὸν θάνατον. Conf. Lib. V. EJUSDEM De Placitis Philosophor. cap. 32. pag. 909. E. Tom. IV. pag. 671, sqq. Wyttenb. Sed plura in hanc rem adferemus infra § LXXVII. not.

(2) De Rer. Nat. v. 842.

(3) De Nat. Deor. III. cap. 1. De Amicitiâ Cap. 5. § 12. Brut. Cap. 73. De Divinat. I. 30. Conf. Tuscul. I. 23. § 55. Item Celeb. VAN WESELE SCHOLTEN ad Cic. De Divinâ Nat. Diss. pag. 21. De his sic cecinit Poëta Gallicus:

Mais quelle douce voix enchante mon oreille?
Tandis qu'en ces jardins Épicure sommeille,
Que de voluptueux répètent ses leçons,
Mollement étendus sur de tendres gazons!

radicitus religionem, cum Diis immortalibus et opem et gratiam sustulit (1). »

Ideoque hanc fere rejiciens sententiam Cato, scilicet nul-

Malheureux, jouissez promptement de la vie;
Hâtez-vous, le temps fuit, et la parque ennemie,
D'un coup de son ciseau va vous rendre au néant:
Par un plaisir encor volez lui cet instant.

L. RACINE, Poëme de la Religion, Ch. 2.

(1) Maximâ semper cum veneratione de Diis loquitur Cicero: quod præcipue patet ex libris de Nat. Deor. passim, v. c. Lib. II. cap. 2. 6. 7. L. II. 28. 37 et 38. I. c. 2 et 22. Tuscul. I. 13, 28. 29. et Lib. II. De Divinat. cap. 78. De Legg. II. 7. Divina etiam sunt Gallica illa, quæ quominus huc transcribam continere me nequeo:

Consulte Zoroastre, et Minos, et Solon,
Et le sage Socrate, et le grand Cicéron;
Ils ont adoré tous un maître, un juge, un père;
Ce système sublime à l'homme est nécessaire,
C'est le sacré lien de la société,
Le premier fondement de la sainte équité;
Le frein du scélérat, l'espérance du juste.
Si les Cieux, dépouillés de leur empreinte auguste,
Pouvaient cesser jamais de la manifester;
Si Dieu n'existait pas, il faudrait l'inventer.
Que les sages l'annoncent, et que les grands le craignent:
Rois, si vous m'opprimez, si vos grandeurs dédaignent
Les pleurs de l'innocent que vous faites couler,
Mon vengeur est au Ciel, apprenez à trembler.

VOLTAIRE.

C. Leçons françaises de Littérature et de Morale, par NOEL et DE LA PLACE, 10me édit. Tom II, pag. 377. Bruxelles, 1821, P. J. De Mat.

« Il y a un Dieu, mon fils: toute la nature l'annonce, je n'ai pas besoin de vous le prouver. Il n'y a que la méchanceté des hommes qui leur fasse nier une justice qu'ils craignent. Son sentiment est dans votre cœur, ainsi que ses ouvrages sont sous vos yeux. » BERNARDIN DE ST. PIERRE, Études de la Nature, Tome 3, page 127.

lum in morte futurum esse sensum, alteram, post mortem animum futurum æterne beatum amplectitur, eâque cogitatione adeo delectabatur ut ipsemet fateatur. «Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem quo delector, dum vivo, extorqueri volo.» Cap. 23. § 85.



CAPUT OCTAVUM.

DE IMMORTALITATE.

§ LXXI.

Seorsim itaque jam de Immortalitate nobis est tractandum; quam probaturus Noster auctoritate nititur antiquorum philosophorum et cum maxime Pythagoræ. « Audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas pæne nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse quin ex universâ mente divinâ delibatos animos haberemus. » Cap. 21. § 78. Eâdem fere ratione Cicero loquitur in Tusculanâ primâ (1): «Hanc opinionem (de immortalitate) Pythagoras maxime confirmavit; qui cum Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam illam Græciam cum honore discipli-

(1) Cap. 16. § 38. Cum philosophandi rationis, qua usus est Pythagoras, adcuratior expositio nimium nos a proposito nostro abduceret, in eo duximus esse adquiescendum, ut, ad primarios ejus rei auctores quos ipsi adhibuimus, lectores amandaremus. Ad antiquiora opera hæc præcipue

næ, tum etiam auctoritate; multaque sæcula postea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur.» Porro quamquam nostro loco tantum asserat, animos ex universâ mente divinâ delibatos esse, idemque repetat in libris De Legibus (1) et alio Tusculanarum loco (2), ubi animum a Deo in-

pertinent : PYTHAGORÆ Aurea Carmina, TIMÆUS Locrus, OCELLUS LUCANUS, PORPHYRIUS, De Vitâ Pythagoræ, ed. Rittershusius 1616. 8. — JAMBLICHI de Vita Pythagorica Liber, Gr. et Lat. illustratus a Ludolpho Kustero. Acced. Malchus s. Porphyrius de Vita Pythagoræ cum notis Lucæ Holstenii et Conr. Rittershusii. Amstelod. 1707. 4. Editio recentissima cur. a Kieslingio, Lipsiæ 1815. 8. — SOCRATIS et Socraticorum, PYTHAGORÆ et Pythagoricorum quæ feruntur Epistolæ ed. Orellius, Lipsiæ 1815. 8. DIOGENES LAERTIUS Lib. VIII. Seg. 1–15. ibique Interprr. — In recentioribus auctoribus hi potissimum sunt recensendi: BRUCKERI Historia Critica Philosophiæ Tom. I. pag. 982, sqq. edit. prioris. — THOM. STANLEJI Historia Philosophiæ Tom. I. pag. 347. — GUIL. LLOYDII Dissertatio de Pythagoræ ejusque æqualium Vitis, Londini 1699. 8. — Plura insuper suppeditabit HEUMANNUS in Actis Philosoph. Part. I. II. IV et IX.

(1) Lib. I. cap. 8.

(2) Lib. I. cap. 27. ubi vid. DAVISIUS. Conf. Tusc. Lib. V. cap. 13. «Humanus animus decerptus ex mente divinâ cum nullo alio nisi cum ipso Deo comparari potest.» De Divinat. Lib. I. cap. 49. «A Deorum naturâ, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos habemus.» De Nat. Deor. Lib. I. cap. 11. «Nam Pythagoras qui censuit, animum esse per naturam rerum intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione humanorum animorum discerpi et lacerari Deum.» DIOGENES quoque LAERTIUS inter Pythagoræ dogmata refert, Εἶναι τὴν ψυχὴν ἀπόσπασμα αἴθερος — ἀθάνατόν τε εἶναι αὐτὴν, ἐπειδήπερ καὶ τὸ ἀφ' οὗ ἀπέσπασται ἀθάνατόν ἐστι. Lib. VII. segm. 28. Eadem fere reperies apud XENOPHONTEM in Memorab. Socr. Lib. I. cap. 4, § 8. pag. 36. sq. Ernest. Add. præcipue PLUTARCHUS De Placitis Philosophorum, Lib. IV. cap. 7. pag. 626. Wyttenb. et PROCLUS in Theolog. Platon. pag. 92.

generatum esse dicit, tamen etiam infra in nostro Dialogo Cyri verba referens eum ipsum Deum vocat: «Me colitote ut Deum» Cap. 22. § 81. et in Somnio Scipionis (1): «Deum te igitur scito esse, siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui præpositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus.» Quorum verborum hæc est sententia, animum adeo esse perfectum, tantis virtutibus tantisque dotibus ornatum, ut perfectionibus atque virtutibus divinis omnino comparari possit (2).

§ LXXII.

Brevissime vero allatâ auctoritate Pythagoræ, qui Animi Immortalitatem ex divinâ ejus naturâ probaverat, ad Platonem se confert Noster, e cujus dialogis, præsertim vero ex Phædone maxima hujus disputationis pars videtur esse adumbrata. Cap. 21. § 78. Nam ut primum Cato de Morte, tum de Immortalitate disseruit, sic etiam Plato hoc argumentum tractaverat, induxeratque Socratem, ultimo vitæ die in carcere cum Echecrate, Phædone, Apollodoro, Cebete et Simmiâ disserentem. Principium autem dialogi est: Mortem tranquillo animo esse exspectandam neque hanc vitam injussu Dei esse deserendam. Quæ vero sequuntur, septem præcipue nituntur argumentis. Primo ostenditur, philosophiam esse commentatio-

(1) Cap. 8.

(2) Vid. Van Wesele Scholten V. Cl. in Dissertat. Philosoph. Crit. De Philosophiæ Cic. loco qui est de Divina Natura, pag. 63. Just. Lipsius Manuduct. ad Philosoph. Stoic. Lib. III. diss. 8. Barthius ad Statii Thebaid. II. 63. Le présid. Bouhier, Remarques sur Cicéron (Tusculanes I. 26.), pag. 204.

nem ac studium mortis: secundo, animum jam exstitisse ante corpus: quod nititur communi illâ naturæ lege: *quidquid fiat, id ex contrario fieri.* Tertio, naturam docet sui ipsam esse conservatricem, neque pariundo absumi, sed instaurare ex morte vitam et producere e mortuis vivos. Quarto, si ad notionum nostrarum originem spectaverimus, ex his satis luculenter apparere, animam fuisse antequam in corpus veniret: discere enim quod appellemus nihil aliud esse quam recordari. Quinto, animum simplicis et immutabilis naturæ notitiam consequi; illudque ex contrario demonstrat, quoniam corpus sit compositum nec nisi fluxarum et mutabilium rerum notiones hauriat. Sexto, refutat præjudicatam opinionem eorum qui contendant, animam quamdam esse harmoniam, ortam illam ex justo humoris et siccitatis, caloris et frigoris temperamento. Postremo tandem demonstrat, animi eamdem esse naturam ac rerum intelligibilium, id est, Idearum atque Essentiarum; ex quibus omnibus consequatur, animum revera esse immortalem (1).

(1) Primum argumentum exponitur pag. 63. D. 69. E. Steph. in editione Wyttenbachiana pag. 12—22. § ϑ—ιε; secundum, pag. 69. E.—72. A. Steph. pag. 22-26. § ιϛ—ιη Wyttenb.; tertium pag. 72. A—E. Steph. pag. 26 et 27. § ιϑ. Wyttenb.; quartum, pag. 72. E.—77. E. Steph. pag. 27—34. § ιϑ—κδ. Wyttenb.; quintum, pag. 77. E.—84. C. Steph. pag. 34-45. § κδ—λδ Wyttenb.; sextum, pag. 85. E.—95. A. Steph. pag. 48-62. § λζ-μζ. Wyttenb.; septimum, pag. 95. A.—106. D. Steph. pag. 62-80. § μζ-νϑ. Wyttenb. Secutus sum in hac argumenti descriptione Wyttenbachium V. Cl. in Disputat. Teylerianâ de Animorum Immortalitate e sententia Veterum Philosophorum, Sect. V. pag. XXIX—XXXIX, in editione Phædonis; præterquam quod ego Stephanianâ editione sim usus, cum Wyttenbachius, Batavorum secutus consuetudinem, paginas Lugdunensis viri indicasset. Conf. etiam STANLEJI Hist. Philos. pag. 178. et AUL. GELLIUS N. A. II. c. 18.

§ LXXIII.

Quibus propositis adcuratius est investigandum, quatenus Noster Platonem sit imitatus. Defendit autem primum Animi Immortalitatem ex Reminiscentià. « Sic mihi persuasi, sic sentio : quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa; non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem. » Cap. 21. §. 78. Cum enim animus in corpore inclusus reminiscatur earum rerum quas antea noverit atque didicerit, consequitur illum ante exstitisse quam in corpus migraret. Ita vero etiam ratiocinatur Cebes apud PLATONEM, Socratis sermonem excipiens (1) : quæ cum Simmias intellexisset, addit se sæpenumero a Socrate audivisse doctrinam illam ἀναμνήσεως; quamquam vero ipsi libenter fidem habeat, rogat tamen, ut latius eam rem explanet Socrates afferatque rationes quibus hæc doctrina stabiliatur (2); quod ut rursus ille probet, ostendit, ex illis quæ antea noverint homines, quædam altius, quædam levius menti inhærere, prout notaverint in quibus diversa illa discrepent, aut con-

(1) In Phædone pag. 72. E. Steph. pag. 27. § κ. Wyttenb.: Καὶ μὴν, ἔφη ὁ Κέβης ὑπολαβὼν, καὶ κατ' ἐκεῖνόν γε τὸν λόγον, ὦ Σώκρατες, εἰ ἀληθής ἐστιν, ὃν σὺ εἴωθας θάμα λέγειν, ὅτι ἡμῖν ἡ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησις τυγχάνει οὖσα, καὶ κατὰ τοῦτο ἀνάγκη που ἡμᾶς ἐν προτέρῳ τινὶ χρόνῳ μεμαθηκέναι ἃ νῦν ἀναμιμνησκόμεθα. τοῦτο δὲ ἀδύνατον, εἰ μὴ ἦν που ἡμῶν ἡ ψυχὴ πρὶν ἐν τῷδε τῷ ἀνθρωπίνῳ εἴδει γενέσθαι· ὥστε καὶ ταύτῃ ἀθάνατόν τι ἔοικεν ἡ ψυχὴ εἶναι.

(2) Conferatur DUBOIS, de l'Académie Française, Traduction du livre de la Vieillesse. Paris 1698. pag. 107–116.

veniant: quod multis illustrat exemplis. Præterea monet homines res æquales et inæquales cognoscere ex divinâ quadam vi, quam τὸ ἴσον vocat PLATO (1); unde existimat divinam esse in animo potestatem, ex qua memoriæ atque doctrinarum reminiscentiæ facultates exsistant; ideoque, etiamsi animus maxime per sensus agat, sentiendi tamen atque percipiendi vim illam singularem referendam esse ad divinam illam potentiam, τὸ ἴσον.

Sed quid diutius nos moramur in explanandâ Socratis sententiâ, cum hoc nemo melius fecerit ipso Cicerone, qui alio loco (2) de animo loquens, « Habet primum, inquit, memoriam et eam infinitam rerum innumerabilium. Quam quidem Plato recordationem esse vult superioris vitæ. Nam in illo libro qui inscribitur Menon (3), pusionem quemdam Socrates interrogat quædam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer: et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quo si Geometricam didicisset. Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit nisi recordari. Quem locum multo etiam adcuratius explicat in eo sermone quem habuit eo ipso die quo excessit e vitâ (4). Docet enim, quemvis qui omnium rerum

(1) In Phædone pag. 74. C. Steph.

(2) Tuscull. Disputatt. Lib. I. cap. 24.

(3) Locus in Menone qui huc pertinet, legitur pag. 82. B. sqq. ed. Steph. Tom. IV. pag. 352. sqq. Bipont.

(4) Hoc est, in Phædone. Locus autem quem tangit Cicero, exstat pag. 72. E, sqq. Steph. pag. 27. sqq. WYTTENBACHII: quem videatis in Prooemio pag. XVIII. et XXX. itemque in Annotationibus pag. 184. Confer etiam MAXIMUM TYRIUM in Dissertat. XVI. pag. 175., sqq. præcipue cap. 8. pag. 187. Davisii.

rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare se non tam illa discere, sed reminiscendo recognoscere; nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset (1).» Atque eamdem puerorum reminiscentiam ad probandam animi immortalitatem in nostro dialogo adhibet etiam Cato. «Magno est argumento, homines scire pleraque, antequam nati sint, quod jam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur sed reminisci et recordari.» Cap. 21. § 78. Quæ omnino cum Platonis expositâ sententiâ congruunt. Cum enim exemplo quodam Socrates probaverit, ex paris et imparis ratione hominem reminisci, ulterius inde consequitur illa, quæcumque recordetur animus dum est in corpore, eum antea jam novisse: πρὶν γενέσθαι ἄρα, ὡς ἔοικεν, ἀνάγκη ἡμῖν αὐτὴν (sc. τὴν ἐπιστήμην) εἰληφέναι (2). Ante igitur quam nati sumus, necesse est, ut videtur, hominem illius, h. e. æqualis, de quo hic quæritur, scientiam consecutum fuisse.

§ LXXIV.

Nunc vero difficilis admodum et implicata exoritur quæstio, quid sibi voluerit Plato eumque secutus Cicero, animo, ante-

(1) Tuscull. Disputt. Lib. I. cap. 27. § 66. ad quem locum, e Consolatione desumtum, adhibeatur elegans eamdem in rem disputatio *Longini* apud Eusebium in Præparatione Evangelicâ, Lib. XV. cap. 21. pag. 822., sq. Add. Cicero De Finib. Lib. V. cap. 18. et le présid. Bouhier, Remarques sur Cicéron, pag. 201.

(2) Plato in Phædone pag. 75. C. pag. 31. Wyttenb.

quam in corpore degat, cognitionum notionem universam tribuentes, cum ARISTOTELES contra ac post eum innumeri alii philosophi, et in recentioribus LOCKE præcipue, probare conati sint cognitionum initium in sensibus esse positum (1). Nonnulli enim qui verborum Platonicorum vim non rite cepisse videntur, Platonem jam amplexum fuisse contendebant Doctrinam de *Ideis innatis* (2). Sic temere LACTANTIUS (3) « Plato, inquit, de animâ disserens, ex hoc ait posse cognosci animos esse immortales atque divinas, quod in pueris mobilia sint ingenia et ad percipiendum facilia, quod ea quæ discant, ita celeriter rapiant, uti non tunc primum discere illa videantur, sed recognoscere atque reminisci : in quo vir sapiens poëtis ineptissime credidit. » Nec vero tam inepte forsitan quam ille arbitratur. Non enim credidit solummodo, sed probare quoque studet suam sententiam, quæ stabilitur hoc antiquo

(1) Hic vero recte interrogari potest, unde ipsa Idea animi vel cogitationis (*de la pensée*) sit orta; profecto non ex sensibus. Aristotelicam hanc sententiam oblique confutat Plato in Phædone. Nam irridet eos qui animum in quadam corporis affectione et humoris calorisque temperamento situm esse putant; ex quo efficitur illud, cogitandi vim inesse in corpore nequire, quippe cujus omnes actiones atque affectus contineantur partium mutatione ac motu. Conf. WYTTENBACHII V. Cl. Disputatio De Animorum Immortalitate, Sect. V. pag. XXXVIII.

(2) Hanc doctrinam amplexus est in primis *Leibnitz*. At LOCKE totum primum librum operis philosophi quod inscribitur : *An essay concerning human understanding, in four books*, London 1690. fol. et ibidem 1731. 2. voll. 8. in hac de Ideis innatis opinione refutandâ consumsit. Tum vero philosophus Franco-Gallus CONDILLAC in opere cui titulus : Traité des Systèmes, cap. 6. duce Locke, doctissime illam rationem impugnavit. Conf. IDEM Cours d'études; l'art de penser, Cap. I. pag. 13. alias.

(3) In Divinis Institut. Lib. VII. cap. 22. pag. 577. ed. Le Brun.

et recepto inter philosophos principio: animum hominis esse immortalem, alternis vicibus eum in corpore esse, ex eo per mortem migrare et rursus nasci. Nam priusquam divinam animi naturam probat ex illâ singulari ei insitâ rerum notione, alterum ponit argumentum, quod est de doctrinâ Pythagoricâ περὶ μετεμψυχώσεως et μετενσωματώσεως (1) de animorum scilicet in alia corpora migratione, Παλαιὸς μὲν οὖν ἐστι τις ὁ λόγος οὗτος οὗ μεμνήμεθα ὡς εἰσὶν ἐνθένδε ἀφικόμεναι ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνοῦνται καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων· καὶ εἰ τοῦθ᾽ οὕτως ἔχει, πάλιν γίγνεσθαι ἐκ τῶν ἀποθανόντων τοὺς ζῶντας, ἄλλό τι ἢ εἶεν ἂν ἡμῶν αἱ ψυχαὶ ἐκεῖ; οὐ γὰρ ἄν που πάλιν ἐγίγνοντο μὴ οὖσαι (2) : quam rem etiam confirmat inferius: Ὁμολογεῖται ἄρα ἡμῖν καὶ ταύτῃ, τοὺς ζῶντας ἐκ τῶν τεθνεώτων γεγονέναι, οὐδὲν ἧττον ἢ τοὺς τεθνεῶτας ἐκ τῶν ζώντων (3) : eâque explanatâ sententiâ et aliis paucis insertis, ut illam Animorum Migrationem cum Reminiscentiâ quam animo tribuit comparare possit, totius disputationis summam colligit. Posteriori enim ratione probatur animam exstitisse antequam in corpus migraret, priori, eum etiam dissoluto corpore esse

(1) De hac doctrinâ vid. Aristoteles in Physic. Lib. I. cap. 7. et quae disputavit Celeb. Wyttenbachius ad Platonis Phaedonem pag. 176. Menagius ad Diogenem Laërtium Lib. VIII. segm. 27 et 28. et praecipue Guil. Irhovii de Palingenesiâ Veterum seu Metempsychosi sic dictâ Pythagoricâ Libri III. Amstelodami 1733. 4. Virgilius Æneid. Lib. VI. fin.

> Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
> Lethaeum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
> Scilicet immemores supera ut convexa revisant
> Rursus et incipiant in corpora velle reverti.

(2) Plato in Phaedone pag. 70. C. Steph. pag. 25. Wyttenb.

(3) Idem in Phaedone pag. 72. A. pag. 32. Wyttenb.

futurum. Δεῖ δὲ προσαποδεῖξαι ἔτι, εἰ καὶ ἐπειδὰν ἀποθάνωμεν, οὐδὲν ἧττον ἔσαι ἢ πρὶν γενέσθαι, εἰ μέλλει τέλος ἡ ἀπόδειξις ἕξειν (1). Ex his itaque satis intelligitur minime Platonem assentitum fuisse præjudicatæ isti opinioni de Ideis innatis, sed transmigratione illâ Pythagoricâ ejus Reminiscentiæ argumentum, quo probare Animi Immortalitatem studet, esse fundatum.

§ LXXV.

Transit Noster, duce Platone, ad aliud firmius quidem illud et probabilius argumentum, quo ex continuo, sine principio, motu Animi rursus Immortalitatem ostendere conatur. «Quumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat, nec finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus.» Cap. 21. § 97. Quæ Platonica sententia sumta est ex Phædone, maxime autem ex Phædro; ubi definito amore illiusque enumeratis generibus, ut alterum laudabile sit alterum vituperabile (2), certam illorum quæ asserit conatur adferre rationem; quod ut facilius consequatur, rem altius repetit atque cum venuste et ornate de pulchritudine in genere paucis exposuisset, probaturus amorem laudabilem ad felicitatem hominibus obtinendam a Diis esse concessum; primum, ansam nactus animi naturam laudare divinam, eam ex continuo motu ita demonstrat: Πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος· τὸ γὰρ ἀεικίνητον ἀθάνατον, τὸ δ᾽ ἄλλο κινοῦν

(1) Plato in Phædone pag. 77. C. pag. 34. Wyttenb.

(2) Idem in Phædro pag. 244. C. D. Steph. Cap. 22. pag. 20. Astii. Conf. Wyttenbachius V. Cl. in Disputatione De Immortalitate Animi Sect. V. pag. 29. et Menagius ad Diogenem Laërtium Lib. IX. segm. 24.

καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει καὶ ζωῆς. μόνον δὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτό, οὔποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. ἀρχὴ δὲ ἀγένητον· ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνός· εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἐπειδὴ δὲ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι· ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολομένης, οὔτε αὐτή ποτε ἔκ του, οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται, εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι. οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, τοῦτο δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι, οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν, ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γένεσιν ξυμπεσοῦσαν στῆναι, καὶ μήποτε αὖθις ἔχειν, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται. Ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτο αὐτό τις λέγων οὐκ αἰσχυνεῖται. πᾶν γὰρ σῶμα, ᾧ μὲν ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι, ἄψυχον, ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτῷ ἐξ αὐτοῦ, ἔμψυχον, ὡς ταύτης οὔσης φύσεως ψυχῆς. Εἰ δ' ἐστι τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο τι εἶναι τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἢ ψυχήν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη (1). Quæ ad verbum fere Cicero interpretatus est in Somnio Scipionis (2): « Quod semper movetur, æternum est: quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod sese movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri

(1) Plato in Phædro pag. 245. D. E. et 246. A. Steph. Cap. 24. pag. 22. Astii: cujus doctissima conferatur ad hunc locum annotatio, pag. 283, sq. ubi comparat Platonis Ciceronisque verba ad exemplum Mureti Variar. Lectionum Lib. VIII. cap. 3. Tom. II. pag. 174, sqq. Ruhnkenii; eorumque de Animi Immortalitate ex ejus motu quæsitâ philosophandi rationem uberrime illustrat. Conf. præcipue Plato De Legibus Lib. X. pag. 894. C. D. Steph. pag. 388, sq. Astii. Plotinus Ennead. IV. 7. cap. 9. pag. 463. A. Macrobius in Somnium Scipionis II. 15 pag. 181. Add. etiam Volney, Les Ruines ou Méditations sur les révolutions des Empires, Chap. 22. § 7. et præcipue in notâ adjectâ, pag. 398.

(2) Cap. VIII et IX. Tom. XII. pag. 305. edit. Bipont.

quidem desinit: quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons hoc principium est movendi. Principio autem nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia: ipsum aute nullâ ex re aliâ nasci potest: nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde: quod si nunquam oritur, neć occidit quidem unquam. Nam principium exstinctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit; si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest nec mori; vel concidat omne cœlum, omnisque natura, et consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua a primo (1) impulsa moveatur. Cum pateat igitur, æternum id esse, quod a se ipso moveatur; quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore et suo. Nam hæc est natura propria animi, atque vis. Quæ si est una ex omnibus, quæ sese moveat; neque nata est certe, et æterna est.» Novum tamen hoc Platonis de Immortalitate Animi argumentum, quod firmius quidem est quam illud prius memoratum, vel nihil omnino probat vel nimium. Nam primum hominem ab animali irrationali non distinguit, utpote cum motus utrisque sit communis, unde consequeretur bestiarum animas non minus esse immortales quam rationales hominum animos. Deinde posuit animum esse, ut dicunt, *inproductum*, vel, ut cum Scholasticis loquamur, *æternitatem*

(1) Vox *primo* contextui videtur adversari, licet eam retinuerit Ernestius, editor de Cicerone meritissimus. Non enim de *primo* sed de *secundo* motu hic loquitur philosophus: quod constat etiam ex Platonicâ voce *αὖθις*. Recte mihi Muretus correxisse videtur *ut a primo*. Conf. Bouhier, Remarques sur Cicéron (Tusculanes I. 23) pag. 197. Ceterum de hoc Ciceronis loco consulatur etiam Macrobius Lib. I. cap. 2. 13.

priorem antequam corporis inclusus fuerit compagibus, atque *posteriorem*, quando inde emigratus fuerit, ipsi concedit. Postremo tandem ne ex hoc quidem argumento consequitur animum esse *substantiam individuam*, quæ in æternum sine ullâ conversione aut commixtione futura sit. Quin contra ex hac Platonis Ciceronisque sententiâ illud apparet, animos felices e corpore egressos rursus coalituros esse eum animo illo qui dicitur *universalis* et qui ætherem inhabitat. Quod si verum sit, non amplius animus mens illa est quæ fuit cum in corpore erat, quoniam non exstet nisi ut guttula aquæ in immenso mari, unde forsitan aliquando rursus effluxura est in aliam fistulam : ideoque recte potest hinc effici animum non nisi ut materiam æternum futurum esse ; materiæ autem modi temporis circumvolutione immutantur, nulla vero ejus pars in suâ essentiâ perit (1).

§ LXXVI.

Tertium vero illudque firmissimum argumentum quo, e Platonis doctrinâ, animi immortalitatem demonstrare conatur Cato, ex ejus simplicitate est petitum. « Et, quum simplex animi natura esset neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse dividi ; quod si non possit, non posse interire. » Cap. 21. § 78. Illud autem depromtum est ex quinto quod retulimus argumento Platonici Phædonis, cujus princeps atque primaria propositio est, animum esse simplicissimum et ab omni compositione alienum.

(1) Ita ratiocinantur OLIVETUS et BOUHERIUS ad Ciceronis Tusculanam primam, Cap. 23. Conf. STANLEJUS in Hist. Philos. pag. 547. et Tractatus de Metaphysica Lovaniens. Part. I. cap. pag. 10, 174 et 175.

Quod ut bene intelligatur, observandum est Socratis discipulum omnem rerum substantiam multitudinem in duo contraria genera distribuisse, alterum *simplex* (ἀσύνθετον), alterum *compositum* (σύνθετον). Compositum mutationi ac dissolutioni est obnoxium, simplex æternum atque immutabile: hoc dicitur τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον, illud τὸ ἄλλως καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχον (1). Quæ cum exposuisset, rem a fonte repetens sententiam suam aliis rebus tum corporalibus tum incorporalibus accommodat, hisque uberrime tractatis, ad ipsum animum et corpus redit, hoc vero esse conspicabile, illum inconspicabilem docet, additque: ποτέρῳ οὖν αὖ σοι δοκεῖ τῷ εἴδει καὶ ἐκ τῶν πρόσθεν καὶ ἐκ τῶν νῦν λεγομένων, ψυχὴ ὁμοιότερον εἶναι καὶ ξυγγενέστερον; Πᾶς ἄν, ἔμοιγε δοκεῖ, ἦ δ' ὅς, συγχωρῆσαι, ὦ Σώκρατες, ἐκ ταύτης τῆς μεθόδου, καὶ ὁ δυσμαθέστατος, ὅτι ὅλῳ καὶ παντὶ ὁμοιότερόν ἐστι ψυχὴ τῷ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντι μᾶλλον, ἢ τῷ μή. τί δὲ τὸ σῶμα; τῷ ἑτέρῳ (2). Atque sic tandem rationem concludit: Τί οὖν, τούτων οὕτως ἐχόντων, ἆρ' οὐχὶ σώματι μὲν ταχὺ διαλύεσθαι προσήκει· ψυχῇ δὲ αὖ τοπαράπαν ἀδιαλύτῳ εἶναι (3); Quod si concedatur Platoni, inde profecto efficitur, animam esse simplicem et immutabilem, corpus vero interire. Plures tamen philosophorum sectæ, tam antiquiores quam recentiores, hanc Platonicam doctrinam impugnarunt (4). Illarum rationem Cicero,

(1) Hæc loquendi ratio sæpius apud Platonem aliosque occurrit, docente Wyttenbachio V. Cl. ad Phædonem, pag. 198. Conf. Ernesti in Clave Ciceron. s. v. *simplex*, et Tractatus de Metaphysica Lovan. Part. I. cap. 8.

(2) Plato in Phædone pag. 79. Steph. pag. 38. Wyttenb.

(3) Ibidem pag. 80. B. Steph. cap. 29. pag. 39. Wyttenb. « Rebus igitur hunc in modum constitutis, nonne corpori proprium et peculiare est, ut cito dissolvatur; animo autem, ut indissolubilis existat. »

(4) Cicero De Fin. Lib. IV. c. 24. et Tusc. Disputt. Lib. I. c. 29. Hanc sententiam a Stoicis fuisse restrictam, item ab Epicureis et recentioribus Materialistis, docet Wyttenbachius in Dissertatione de Immortalitate Animi l. l. et Van Wesele Scholten in Diss. de Divinâ Naturâ, pag. 64.

Academiæ principis et sui magistri partes suscipiens vehementer reprehendit (1) et cum Platone putat, contrariis contrariarum rerum attributis propositis, si corpus ex variis constet partibus inter se distinctis, animus vero habeat unam, simplicem et immutabilem naturam, animum etiam necessario esse indissolubilem atque immortalem, corpus vero dissolubile atque periturum. : Ἀρ' οὖν τῷ μὲν συντεθέντι τε καὶ συνθέτῳ ὄντι φύσει προσήκει τοῦτο πάσχειν, διαιρεθῆναι ταύτῃ ἧπερ συνετέθη· εἰ δέ τι τυγχάνει ὂν ἀξύνθετον, τούτῳ μόνῳ προσήκει μὴ πάσχειν ταῦτα, εἴπερ τῳ ἄλλῳ; Δοκεῖ μοι, ἔφη, οὕτως ἔχειν, ὁ Κέβης. Οὐκοῦν ἅπερ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχει, ταῦτα μάλιστα εἰκὸς εἶναι τὰ ἀξύνθετα· τὰ δὲ ἄλλοτ' ἄλλως καὶ μηδέποτε κατὰ τὰ αὐτὰ, ταῦτα δὲ εἶναι τὰ ξύνθετα (2).

§ LXXVII.

Ac Platonica quidem hæc de Animorum Immortalitate argumenta leviter tantum Noster perstrinxit, cum nec de industriâ, sed obiter tantum hæc quæstio ei esset tractanda et ipsa argumenta subtiliora sint et plus habeant ad intelligendum difficultatis quam ut ab unoquoque continuo perspiciantur. Addit igitur elegantissimum Xenophontis locum, quo ejusdem quæstionis argumenta, sed perspicua magis illa et ad eorum quoque qui minus in philosophando sunt exercitati, captum accommodatiora continentur. Est autem liberior Latina Ciceronis interpretatio, aliaque ille omisit, alia contraxit, alia vero etiam amplificavit.

Primum itaque in oratione illâ (3) Cyrus adhortatur filios, ut se invicem colant et amore prosequantur neque credant

(1) Cicero, locis pag. præced. laudd.

(2) Plato in Phædone pag. 78. C. Steph. pag. 56. Wyttenb.

(3) In Xenophontis Cyri Disciplinâ Lib. VIII. cap. 7. § 17, sq. pag. 545, sq. Schneideri.

animum propterea esse interiturum quod, corpore mortuo, eum oculis persequi non possint. Ἀλλὰ πρὸς θεῶν πατρῴων, ὦ παῖδες, τιμᾶτε ἀλλήλους, εἴ τι καὶ τοῦ ἐμοὶ χαρίζεσθαι μέλει ὑμῖν· οὐ γὰρ δήπου τοῦτό γε σαφῶς δοκεῖτε εἰδέναι, ὡς οὐδὲν εἰμὶ ἐγὼ ἔτι, ἐπειδὰν τοῦ ἀνθρωπίνου βίου τελευτήσω· οὐδὲ γὰρ νῦν τοι τήν γ' ἐμὴν ψυχὴν ἑωρᾶτε, ἀλλ', οἷς διεπράττετο, τούτοις αὐτὴν ὡς οὖσαν κατεφωρᾶτε (1). Deinde quatuor persequitur argumenta, unde efficiatur animos esse immortales. Et primum quidem ab effectu sumitur, quod non exstinguatur præclarorum virorum memoria. Τὰς δὲ τῶν ἄδικα παθόντων ψυχὰς οὔπω κατενοήσατε, οἵους μὲν φόβους τοῖς μιαιφόνοις ἐμβάλλουσιν; οἵους δὲ παλαμναίους τοῖς ἀνοσίοις ἐπιπέμπουσι; Τοῖς δὲ φθιμένοις τὰς τιμὰς διαμένειν ἔτι ἂν δοκεῖτε, εἰ μηδενὸς αὐτῶν αἱ ψυχαὶ κύριαι ἦσαν; §. 18. «Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus.» Cap. 22. § 80. (2). Alterum argumentum in eo consistit quod animus sit divinus et in corpore tamquam in carcere detineatur, unde aliquando separatus ad altius perfectionis fastigium sit perventurus. Οὔτοι ἔγωγε, ὦ παῖδες, οὐδὲ τοῦτο πώποτε ἐπείσθην, ὡς ἡ ψυχή, ἕως μὲν ἂν ἐν θνητῷ σώματι ᾖ, ζῇ· ὅταν δὲ τούτου ἀπαλλαγῇ, τέθνηκεν. Ὁρῶ γάρ, ὅτι καὶ τὰ θνητὰ σώματα, ὅσον ἂν

(1) XENOPHON l. I. § 17. Conf. PLATO in Phædone pag. 79. Steph. pag. 37. fin. Wyttenb. *Τί οὖν περὶ τῆς ψυχῆς ἐλέγομεν, ὁρατὸν εἶναι, ἢ οὐχ ὁρατόν; οὐχ ὁρατόν, κ. τ. λ.*

(2) Hoc suo ipse exemplo confirmat Cap. 23. § 82. «An censes me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam quibus vitam essem terminaturus?» etc. Conf. supra Cap. 7. § 24. et Tuscull. Disputt. Lib. I. cap. 14 et 15. ac PLATO in Convivio pag. 208. D. Steph. Cap. 33. pag. 74. Astii; ubi Diotima, *Οἴει σὺ*, inquit, *Ἄλκηστιν ὑπὲρ Ἀδμήτου ἀποθανεῖν ἄν, ἢ Ἀχιλλέα Πατρόκλῳ ἐπαποθανεῖν, ἢ προαποθανεῖν ἂν τὸν ὑμέτερον Κόδρον ὑπὲρ τῆς βασιλείας τῶν παίδων, μὴ οἰομένους ἀθάνατον μνήμην ἀρετῆς περὶ αὐτῶν ἔσεσθαι, ἣν νῦν ἡμεῖς ἔχομεν;* Addatur CICERONIS Orat. pro Archiâ poëtâ Cap. 11.

ἐν αὐτοῖς χρόνον ᾖ ἡ ψυχὴ, ζῶντα παρέχεται. Οὐδέ γε ὅπως ἄφρων ἔςαι ἡ ψυχὴ, ἐπειδὰν τοῦ ἄφρονος σώματος δίχα γένηται, οὐδὲ τοῦτο πέπεισμαι· ἀλλ' ὅταν ἄκρατος καὶ καθαρὸς ὁ νοῦς ἐκκριθῇ, τότε καὶ φρονιμώτατον εἰκὸς αὐτὸν εἶναι. «Mihi quidem numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; cum exissent ex iis, emori: nec vero animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse cœpisset, tum esse sapientem». Cap. 22. § 80. Tertio autem eoque subtiliori argumento demonstrat, cum animus neque in corpore humano neque ab eo segregatus *videri* possit, simplicem ejus esse naturam et omnis concretionis expertem, ideoque immortalem: Διαλυομένου δὲ ἀνθρώπου, δῆλά ἐςιν ἕκαςα ἀπιόντα πρὸς τὸ ὁμόφυλον, πλὴν τῆς ψυχῆς· αὕτη δὲ μόνη οὔτε παροῦσα οὔτε ἀπιοῦσα ὁρᾶται. § 20. «Atque etiam, cum hominis natura morte dissolvitur, cæterarum rerum perspicuum est, quo quæque discedant; abeunt enim illuc omnia, unde orta sint: animus autem solus, nec cum adest, nec cum discedit, apparet» (1). Quartum denique argumentum a somni similitudine est repetitum: ut enim dormientis animus; licet corpori adhuc illigatus, jam paulo sit liberior, ita depositis corporeis vinculis animum in plenam quasi libertatem vindicatum iri. Ἐννοήσατε δὲ, ἔφη, ὅτι ἐγγύτερον μὲν τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ οὐδέν ἐςιν ὕπνου· ἡ δὲ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ τότε δήπου θειοτάτη καταφαίνεται καὶ τότε τι τῶν μελλόντων προορᾷ· τότε γὰρ, ὡς ἔοικε, μάλιςα ἐλευθεροῦται. § 21. «Jam vero videtis, nihil esse

(1) Appositi sunt ad explicandum hunc locum versus Euripidis in Supplicibus, 532, sqq.

Ὅθεν δ' ἕκαςον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν· οὔτι γὰρ κεκτήμεθα
Ἡμέτερον αὐτὸ, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον.

morti tam simile, quam somnum(1). Atqui dormientium animi

(1) Mortis et Somni similitudinem eleganter jam expresserat HOMERUS Iliad. XVI. v. 682.

Ὕπνος καὶ θάνατος διδυμάονες,

et Iliad. XIV. v. 231. ubi Somnus dicitur

κασίγνητος Θανάτοιο.

et sic etiam appellatur HESIODO in Theogonia v. 755. Conf. ibidem v. 212. ubi Mors et Somnus e Nocte nati esse perhibentur. Ex ejusmodi autem locis poëtarum antiquissimorum profecerunt posteriores auctores, neque Græci tantum, sed etiam Latini. Vid. HYMNUS ORPHICUS LXXXV, qui est in Somnum v. 8. pag. 350. Hermanni:

Αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς Λήθης Θανάτου τε.

VIRGILIUS Æneid. VI. v. 278.

Et consanguineus Lethi Sopor,

IDEM ibid. v. 522.

Dulcis et alta quies: placidæque simillima morti,

SENECA in Hercule Fur. v. 1065, sqq.

Tuque o domitor
Somne malorum, requies animi,
Frater duræ languide mortis.

Ita ÆLIANO auctore in Var. Hist. Lib. II. cap. 35. Gorgias Leontinus jam moribundus, *ἤδη με*, inquit, *ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ*. Simile est *Diogenis* illud apud PLUTARCHUM in Consolatione ad Apollonium pag. 107. F. Tom. I. pag. 426. Wyttenb. *Πανυσοφῶς ὁ κυνικὸς Διογένης κατενεχθεὶς εἰς ὕπνον καὶ μέλλων ἐκλείπειν τὸν βίον, διεγείραντος αὐτὸν τοῦ ἰατροῦ καὶ πυθομένου μή τι περὶ αὐτὸν εἴη χαλεπὸν, οὐδὲν, ἔφη, ὁ γὰρ ἀδελφὸς τὸν ἀδελφὸν προλαμβάνει, ὁ ὕπνος τὸν θάνατον.* Conf. CLEMENS ALEXANDRINUS in Pædagog. Lib. II. cap. 9. pag. 186. B. Sylburg. *Ἔοικε γὰρ ἡ τοῦ ὕπνου καταφορὰ θανάτῳ δι' ἄνοιαν εἰς ἀναισθησίαν ὑποφερομένη, τῶν βλεφάρων τῇ ἐπιμύσει τὸ φῶς ἀποτεμνομένη.* OVIDIUS in Amor. II. 9. v. 41.

Stulte, quid est somnus gelidæ nisi mortis imago.

Sed eamdem rem jam supra tetigimus § LXX. not.

maxime declarant divinitatem suam (1): multa enim, cum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cum se plane corporis vinculis relaxaverint.»

§ LXXVIII.

Postquam igitur Cyrus hæc quatuor cum maxime de Animi Immortalitate attulerat argumenta, suam ipsius memoriam liberis commendat, persuasum habens animum post mortem etiam esse superstitem futurum. Εἰ μὲν νῦν οὕτως ἔχει ταῦτα, ὥσπερ ἐγὼ οἴομαι, καὶ ἡ ψυχὴ καταλείπει τὸ σῶμα, καὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταιδούμενοι ποιεῖτε, ἃ ἐγὼ δέομαι· εἰ δὲ μὴ οὕτως ἀλλὰ μένουσα ἐν τῷ σώματι ἡ ψυχὴ συναποθνήσκει, ἀλλὰ θεούς γε τοὺς ἀεὶ ὄντας, καὶ πάντ' ἐφορῶντας, καὶ πάντα δυναμένους· οἳ καὶ τήνδε τὴν τῶν ὅλων τάξιν συνέχουσιν ἀτριβῆ καὶ ἀγήρατον καὶ ἀναμάρτητον, καὶ ὑπὸ κάλλους καὶ μεγέθους ἀδιήγητον, τούτους φοβούμενοι, μήποι ἀσεβὲς μηδὲν μηδὲ ἀνόσιον μήτε ποιήσητε μήτε βουλεύσητε (2). « Quare, si hæc ita sunt, sic me colitote, ut Deum: sin unâ est interiturus animus cum corpore, vos tamen, deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis.» Cap. 22. § 81.

(1) Uberius hanc rem exposuit PLATO, Lib. IX. de Republ. init. pag. 571. C. sq. Steph. pag. 258. sq. Astii. Quem locum e verbo fere expressit CICERO De Divinat. Lib. I. cap. 29. et respexit PLUTARCHUS De Virtute et Vitio, pag. 101. A. Tom. I. pag. 398. Wyttenb. Conf. præcipue etiam CICERO De Divinat. Lib. I. cap. 30. § 63. «Cum ergo est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prævidet. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui, viget autem et vivit animus: quod multo magis faciet post mortem, cum omnino corpore excesserit?»

(2) XENOPHON Cyri Discipl. Lib. VIII. cap. 7. § 22.

Neque tamen Ciceronis hæc verba « me colitote ut Deum » Xenophonteis illis: τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταιδούμενοι ποιεῖτε, ἃ ἐγὼ δέομαι, omnino respondent. Quare aut librariorum vitium in hoc loco suspicati sunt viri docti aut Ciceronis in interpretando negligentiam reprehenderunt (1). Quod si autem, ut nobis cum Langio et Wetzelio videtur, germana sunt Ciceronis verba et Xenophontis locus de industriâ paullum est immutatus, triplici illa ratione possunt explicari; vel ex dogmate illo Platonico quo complures esse Deos statuitur indeque probatur animum esse immortalem (2), vel ex eo quod, ut jam monuimus, tam perfectus sit animus, ut ipsis Diis possit æquiparari. Nam *Aristoteles,* teste Sexto Empirico (3) Deum putat esse similem animo, τὸ καθ' ἑαυτὸν ἐοικὸς τῇ ψυχῇ. Sic item Cicero in Tusculanâ primâ (4) « Ergo animus, ut ego dico, divinus est, ut Euripides audet dicere, Deus. » Euripidis autem verba hæc esse videntur :

Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῖν ἐςιν ἐν ἑκάςῳ θεός,

Mortalium cuique sua mens est Deus.

(1) Vid. F. Luisinus Utinensis in Parergis Lib. I. cap. 1.

(2) Conf. Silius Italicus XV. v. 74. qui de heroibus ita canit:

Tribuit namque ipsa minores
Hos terris natura Deos.

Neque est quidquam in his versibus corrigendum, ut judicaverat *Nic. Heinsius.* De Platonicorum autem hoc dogmate conf. Justus Lipsius in Physiologia Stoicorum Tom. III. dissert. 10. pag. 126.

(3) Adversus Mathematicos pag. 566. Fabric.

(4) Cap. 26. § 65.

Quæ sic fere nobis servavit THEON Sophista (1) et in suam Collectionem retulit HUGO GROTIUS (2). Postremo tandem Ciceronis dictum expediri potest ex placito illo antiquorum philosophorum, animum humanum Dei esse partem et ex eo quasi mentem defluxisse. Unde CICERO (3): « Humanus autem ani-

(1) In Progymnasmatt. pag. 60. edit. Camerarii Basil. 1541. pag. 79. edit. Leidens. Vid. tamen de hoc versu LUD. CASP. VALCKENARIUS id Diatribâ Euripideâ, pag. 238.

(2) Excerpta e Tragicis Græcis, pag. 429. Conf. BOUHIER, Remarques sur Cicéron (Tusculanes I. 26.) pag. 204. Simile est *Menandri* in Adelphis apud JUSTINUM De Monarchiâ Dei pag. 109. A.

Θεός ἐστι τοῖς χρηστοῖς ἀεὶ
Ὁ νοῦς ἄρ', ὡς ἔοικε, τοῖς σοφωτάτοις.

Ejusdem apud PLUTARCHUM in Platonicis Quæstt. pag. 909. E. Tom. V. pag. 68. Wytteub.

Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός:

Ad quod fragmentum vid. JO. CLERICUS in Menandri et Philemonis Reliquiis, pag. 263. Conferri etiam potest HIEROCLES ad Aurea Carmina, pag. 24. ed. Needham. *Ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ἐπὶ γῆς θεὸς οὐκ ἔχει.*

(3) Tuscull. Disputt. Lib. V. cap. 13. Sunt autem multi præterea alii loci conferendi, ubi Cicero animum tum Deum tum Divinum nuncupat. Sic in fragmento Timæi Cap. 8. «Animum igitur, cum ille procreator mundi Deus ex suâ mente et divinitate genuisset, etc.» De Divinat. Lib. I. cap. 49. «A naturâ Deorum, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos habemus.» De Finib. Lib. II. cap. 34. «Deum se adhibere testem, id est, ut arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit Deus ipse divinius.» Tuscull. Disputt. Lib. I. cap. 26. De Nat. Deor. Lib. III. cap. 5. De Legibus Lib. I. cap. 22. § 1 et 8. Conf. OVIDIUS in Fastis VI. v. 5.

Est Deus in nobis; agitante calescimus illo:
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

IDEM in A. A. Lib. III.

mus, decerptus ex mente divinâ, cum alio nullo nisi cum ipso Deo (si hoc fas est dictu) comparari potest. » SENECA vero ait (1): « ratio nihil aliud est, quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa » et alias (2): « Quid est cur non existimet, in eâ divini aliquid existere quæ dei pars est? »

§ LXXIX.

Atque sententiis his Pythagoræ, Platonis atque Xenophontis expositis suam ipse tandem subjicit Cato; neque intelligere se posse ait, quomodo præclari viri, quorum maxima sint in rempublicam merita, tot tantosque suscepissent labores ac tam

Est Deus in nobis; sunt et commercia cœli:
Sedibus æthereis Spiritus ille venit.

EPICTETI Dissertat. Lib. II. cap. 8. § 11. Tom. I. pag. 205. Schweighæus. Σὺ δὲ προηγούμενον εἶ· σὺ ἀπόσπασμα εἶ τοῦ θεοῦ· ἔχεις τι ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνου. Τί οὖν ἀγνοεῖς σου τὴν συγγένειαν; Τί οὐκ οἶδας, πόθεν ἐλήλυθας; DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 119. Stoicis placere ait: θείους εἶναι τοὺς σοφούς· ἔχειν γὰρ ἐν ἑαυτοῖς οἱονεὶ θεόν. MARCUS ANTONINUS De Rebus Suis Lib. XII. § 26. Ἐπελάθου δὲ καὶ τοῦ ὅτι ὁ ἑκάστου νοῦς θεὸς καὶ ἐκεῖθεν ἐρρύηκε. SERVIUS ad Virgilii Æneid. VI. 714. Perstringit hoc Ethnicorum philosophorum placitum D. AUGUSTINUS Epist. XXVII. ac De Civitate Dei Lib. IV. cap. 12. et 13. et Lib. VII. cap. 5. Conf. etiam BAYLE in Dict. Hist. Crit. s. v. *Ovide*. VAN WESELE SCHOLTEN in Dissert. de Div. Nat. pag. 63. Unum tamen Stoici agnoscebant solumque immortalem Deum. PLUTARCHUS De Defectu Oraculorum pag. 420. A. Tom. II. pag. 178. Wyttenb. Τοὺς Στωικοὺς γινώσκομεν οὐ μόνον κατὰ δαιμόνων ἣν λέγω δόξαν ἔχοντας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ὄντων τοσούτων τὸ πλῆθος, ἑνὶ χρωμένους ἀϊδίῳ καὶ ἀφθάρτῳ, τοὺς δ' ἄλλους καὶ γεγονέναι καὶ φθαρήσεσθαι νομίζοντας.

(3) Epistolâ LXVI.

(4) Epistolâ XLII.

acriter sæpe pro patriæ libertate pugnassent, nisi præ cæteris etiam hoc in animo infixum habuissent, se sempiternam aliquando consecuturos esse gloriam. «Nemo unquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos avos, Paullum et Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præstantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere.» Cap. 23. § 82. Unde CICERO etiam in Consolatione (1) de fortibus viris loquens, «Mihi vero, inquit, eo justius in cœlo collocati videntur, quo clarior eorum inter homines vel eluxit liberalitas vel victus, etc.» Et prolatis aliorum exemplis suum quoque adjiciens Cato affirmat se numquam tantis corpus fracturum fuisse laboribus vigiliisque, nisi spem maximam semper aluisset, sui memoriam ad posteritatem esse perventuram (2). «An censes, me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? nonne melius multo fuisset, otiosam ætatem et quietam sine ullo labore et contentione traducere?» Quod, ut supra vidimus, simile est secundo quod de Animi Immortalitate Cyrus protulerat, argumento, et quo Socrates quoque utitur de

(1) Tom. IX. pag. 395. edit. Bipont. Conf. DUMBECKII Clio sive De Historia Dialog. II. cap. I. § 9.

(2) Comparetur eximius locus philosophi Franco-Galli: «Non, j'ai trop souffert en cette vie pour ne pas en attendre une autre. Toutes les subtilités de la métaphysique ne me feront pas douter un moment de l'immortalité de l'âme et d'une providence divine. Je la sens, je la crois, je la veux, je l'espère, je la défendrai jusqu'à mon dernier soupir.» J. J. ROUSSEAU, Lettre à Voltaire sur le massacre de Lisbonne.

morte disputans. Existimat enim qui bene in hac vitâ vixisset, eum in alterâ futurum beatum, et quoniam se ipsum fecisse illud ex animi sententiâ poterat affirmare, minime mortem extimescebat. Πολλὴ ἐλπὶς ἀφικομένῳ οἷ ἐγὼ πορεύομαι, ἱκανῶς ἐκεῖ, εἴπερ που ἄλλοθι, κτήσασθαι τοῦτο οὗ ἕνεκα ἡ πολλὴ παργματεία ἡμῖν ἐν τῷ παρόντι βίῳ γέγονεν. ὥστε ἥ γε ἀποδημία ἡ νῦν ἐμοὶ προστεταγμένη μετὰ ἀγαθῆς ἐλπίδος γίγνεται καὶ ἄλλῳ ἀνδρὶ, ὃς ἡγεῖταί οἱ παρεσκευάσθαι τὴν διάνοιαν ὥσπερ κεκαθαρμένην (1). Quocirca etiam Cato ulterius significat, in animo suo, qui a terrenâ confusione se semper ad æternitatis contemplationem retulisset, ipsius naturæ impulsu hoc immortalitatis desiderium exstitisse nec se umquam credidisse vere victurum esse animum, nisi e corpore quasi e carcere effugisset et in sempiternum se domicilium retulisset. « Sed, nescio quomodo, animus, erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, quum excessisset e vitâ, tum denique victurus esset. » Cap. 23. § 82. Quæ etiam magis illustravit CICERO in Consolatione (2), ubi, « Nec umquam, inquit, vivit animus nisi compage solutus corporis, liber æternitate potiatur. » Positâ igitur metaphysicâ, quam dicunt, certitudine de Animi Immortalitate existimat Cato, solum illum quem non pœnitere debeat vitæ ante actæ, sperare posse fore, ut aliquando felicitatem æternam nanciscatur. « Quid quod sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur animus is qui plus cernat et longius, videre, se ad meliora proficisci; ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? » Cap. 23. § 83.

(1) PLATO in Phædone pag. 67. B. C. Steph. pag. 18. Wyttenb.

(2) Tom. IX. pag. 337. Bipont.

§ LXXX.

Difficilior autem est illa et a philosophis varie tractata quæstio de statu animorum post hanc vitam, an scilicet illi, qui bene et honeste eâ usi sint virtutique semper studuerint, æternis præmiis sint remunerandi; qui omnibus scelerum generibus eam contaminarint, supplicia sempiterna sint habituri. Atque ita ubique fere a Cicerone judicatum esse videtur. Cum vero ex ipsius operibus quædam adferri possint testimonia (quæ tamen paucissima sunt), quibus contrarium forsitan nonnulli probaverint, nostri esse duximus rem diligentius explanare atque investigare quibus ex fontibus hæc Cicero hauserit. Apparet autem, in ejusmodi etiam disputationibus divinum Platonem esse a Cicerone expressum, qui hanc philosophiæ partem poëtarum more atque fabulose tractavit in Phædro, in Phædone et præcipue in secundo libro de Republicâ, ubi expositis officiis civitatis ejusque juribus de statu post hanc vitam futuro disseruit; quæ tamen omnia, ut ipse fatetur in Gorgiâ (1) et in libro decimo de Republicâ (2), meræ esse fabulæ ei videntur. Nec constantiori animo Cicero fuit, licet plerumque sententiam de præmiis pœnisque post futuris acriter defenderit; veluti in Consolatione (3): « Nec

(1) Pag. 312. E.

(2) Lib. X. pag. 118. De diversis his fabulis conf. WYTTENBACHII, V. Cl. Disputatio de Placito Immortalitatis Animi, Sect. V. pag. XIX et XXXIX. Abrégé de la Philosophie de *Gassendi*, traduit par M. *Bernier*, Tom. VII. pag. 680. sq.

(3) Tom. IX. pag. 396, edit. Bipont.

enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eumdem cursum in cœlum patere. Nam vitiis et sceleribus contaminatos, deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt: castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, leni quodam ac facili lapsu ad deos, id est, ad naturam sui similem pervolare.» Similia leguntur paullo superius: « Nam si quid in hominum animis pietatis, si quid religionis inerit, certe ob hanc potissimum caussam se a flagitiis ac facinoribus abstinebant, quod impios ac nefarios homines a deorum concilio ac societate arceri judicabant (1).» Adversari autem his videntur quæ sunt in oratione pro Cluentio: « Nam nunc quidem quid tandem ei mali mors attulit? nisi forte ineptiis ac fabulis ducimur, ut existimemus, illum apud inferos impiorum supplicia perferre, ac plures offendisse inimicos, quam hic reliquisse, a socrum, ab uxorum pœnis actum esse præcipitem in sceleratorum sedem atque regionem; quæ si falsa sint, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem mors eripuit præter sensum doloris? » Et in orationibus quidem rite quis dixerit, minime Philosophi

(1) Conf. Somnium Scipionis, passim, ibique MACROBIUS. Fragmenta Ciceronis ed. Ernesti, pag. 1105. VAN WESELE SCHOLTEN in Dissertat. De Div. Nat. pag. 67. SENECA in Consolatione ad Marciam Cap. XIX. pag. 122. A. Lipsii. « Cogita illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse, nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, nec reos ullos in illa libertate tam laxa: nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poëtæ et vanis nos agitavere terroribus. » VIRGILIUS in Georgic. II. v. 490, sqq.

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas,
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!

auctoritatem esse consignatam. In iis enim non tantum rationibus et argumentis subtilioribus quæ tuetur orator probanda sunt, sed etiam illud maxime ei est agendum, ut auditorum animi delectentur et commoveantur. Itaque nihil mirum diversis temporibus diversas a Cicerone prolatas esse sententias. Sed alius ejus exstat locus qui, cum diserte ibi de Philosophiâ tractavit, majorem profecto auctoritatem habere videtur. Epicureorum autem intempestivam in refutandâ fabularum superstitione diligentiam (1) ironice perstringens ita loquitur: « M. Dic, quæso, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus (2), Cocyti (3) fremitus, transvectio Acherontis, mente summam aquam attingens siti enectus Tantalus (4)? num illud quod

Sisiphu' versat
Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum (5)?

(1) Eamdem pluribus locis tetigit CICERO. Conf. solummodo quæ a Velleio disputantur De Nat. Deor. Lib. I. cap. 16. 17. ibique Interprr. DIOGENES LAERTIUS Lib. X. segm. 124.

(2) HESIODUS Deor. Generat. v. 310—312. HOMER. Odyss. XI. v. 622. coll. Iliad. VIII. v. 368. ibiq. Schol. TIBULLUS III. eleg. 4. v. 88. APOLLODORI Biblioth. L. I. c. 5. §. 12. ad eumque HEYNIUS p. 176.

(3) HOMER. Odyss. X. v. 513. HESIOD. Deor. Generat. v. 740. 807. Conf. PLATO Phædon. p. 113., sq. Steph. ad eumque locum DAN. WYTTENBACHIUS V. Cl. in Annotat. p. 315, sq.

(4) Vid. etiam Tuscul. Lib. IV. cap. 16. De Tantali suppliciis loci primarii sunt, Odyss. XI. v. 581. PINDARI Olymp. I. v. 88. LUCRETII De Rer. Nat. III. v. 953. VIRGIL. Æneid. VI. v. 601. VALER. FLACCI Argon. I. v. 817.

(5) Videntur hi versus sive ex *Ennio* sive alio quodam poëtâ antiquo esse desumta. De Sisipho autem noti sunt præstantissimi illi loci HOMERICI, Iliad. VI. v. 153 et Odyss. XI. v. 592.

Hæc fortasse metuis, et idcirco mortem censes esse sempiternum malum. A. Adeone me delirare censes, ut ista credam? M. An tu hæc non credis? etc. (1).» Sed morari hæc nos non ulterius poterimus cum consideraverimus Ciceronem hoc tantum eo loco significare voluisse, inanes fabellas ad justam virtutis vitiorumque remunerationem probandam haud sufficere, sed validiores ad eam rem rationes esse quærendas. Et minime quidem flagitiorum supplicia et virtutis præmia post futura eum negasse, luce clarius apparet ex alio ejusdem operis loco (2), ubi Socratem probat, qui ita disseruerit (3): «duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminassent, et se totos libidinibus dedissent, quibus cæcati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republicâ violandâ fraudes inexpiabiles concepissent, iis divinum quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum; qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocassent essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum, his ad illos a quibus essent profecti, reditum facilem patere.»

Quamquam vero accusetur Cicero, cum dissereret de Animi Immortalitate, sæpius huc illuc fluctuasse aliamque alio tempore secutus esse sententiam, nos quidem vitio hoc ei vertendum minime arbitramur. Noluit enim in abstrusis ejusmodi et difficilioribus philosophiæ materiis certi aliquid sta-

(1) CICERO in Tuscull. Disputatt. Lib. I. cap. 5.

(2) Ibidem Lib. I. cap. 30. § 72.

(3) In Phædone pag. 112–114. Steph. pag. 88–92. Wyttenb. Conf. fragmentum Hortensii, pag. 316. sq. et Consolat. pag. 320. Bip.

tuere, sed probabilia tantum sequi, quæ sæpius inter se differunt. Et qui vituperare ea in re Ciceronem audeant, ipsum audiant de se hoc profitentem in Tusculanâ primâ (1), ubi hanc ipsam materiam tractaturus ita loquitur : « Geram tibi morem, et ea quæ vis, ut potero, explicabo : nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quæ dixero; sed ut homunculus unus e multis, probabilia conjecturâ sequens. Ultra enim quo progrediar, quam ut veri videam similia, non habeo, certa dicent ii; qui et percipi ea posse dicunt et se sapientes esse profitentur. » Eadem fere alio loco (2) professus est : « Nos autem, ut ceteri alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab iis dissentientes alia probabilia, alia non probabilia esse dicimus. »

§ LXXXI.

Sed ut ad finem tandem perducamus nostram disputationem, non dubitamus quominus ex iis quæ dicta sunt a Catone illud efficiatur, revera animum esse immortalem; qua cogitatione ita ille tenetur, ut etiam si in hoc erret, libenter se errare dicat, neque hunc errorem, quo admodum delectetur, dum victurus sit, sibi velit extorqueri (3). Quapropter senex ille egregius, futuram jam et meliorem vitam quasi animo perlus-

(1) Cap. 9. § 17.

(2) De Officiis Lib. II. cap. 2. § 7.

(3) Pulcherrima item sunt illa Philosophi Franco-Galli : « Plus je rentre en moi, plus je me consulte, et plus je lis ces mots écrits dans mon âme : Sois juste, et tu seras heureux. Il n'en est rien pourtant, dis-tu, à considérer l'état présent des choses. Le méchant prospère, et le juste reste opprimé. Voyez aussi quelle indignation s'allume en nous, quand cette attente est

trans (1) et æternitatis desiderium indicans, ut Socrates olim exclamat : « O præclarum diem, quum ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar, quumque ex hâc turbâ et colluvione discedam. Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, sed etiam ad Catonem meum. » Cap. 23. § 84. Eâdem fere ratione Cicero post mortem Tulliæ, se consolaturus ait : « Ad meos autem et affines et amicos ut pervenero, quantopere lætabor? quæ jucundior collocutio, qui suavior vel congressus vel complexus? O vitam vere vi-

frustrée! La conscience s'élève et murmure contre son auteur, elle lui crie en gémissant : Tu m'as trompé! je t'ai trompé, téméraire? et qui te l'a dit? ton âme est-elle anéantie? as-tu cessé d'exister? O Brutus, ô mon fils! ne souille point ta noble vie en la finissant, ne laisse point ton espoir et ta gloire aux champs de Philippes. Pourquoi dis-tu : la vertu n'est rien quand tu vas jouir du prix de la tienne? tu vas mourir, penses-tu? Non, tu vas vivre et c'est alors que je tiendrai tout ce que je t'ai promis. Si l'âme est immatérielle, elle peut survivre au corps, et si elle lui survit, la providence est justifiée. Quand je n'aurois d'autre preuve de l'immortalité de l'âme que le triomphe du méchant et l'oppression du juste en ce monde, cela seul m'empêcherait d'en douter. Une si choquante dissonnance dans l'harmonie universelle me feroit chercher à la résoudre. Je me dirais : tout ne finit pas pour nous avec la vie, tout rentre dans l'ordre avec la mort. » J. J. ROUSSEAU, Profession de foi du Vicaire Savoyard; Émile IV. qui videtur imitatus esse in hac re CICERONEM De Nat. Deor. Lib. III. cap. 81. Ceterum conf. de improborum felicis conditionis vanitate, DUMBECKII Clio sive De Hist. Dialog. II. cap. 6. § 65. Brux. P. J. De Mat.

(1) In opere quod inscribitur, Le Spectateur ou Le Socrate moderne, traduit de l'anglais, Disc. 55. de Ciceroniano hoc libro loquens auctor hæc addit de ipso Catone : « Du bord de la fosse où il avoit déjà un pied, ce vénérable vieillard se transporte, pour ainsi dire, dans une vie à venir et s'élève à la contemplation de cette partie de lui-même et à celle de son existence après la mort. »

talem; ut ait Ennius, omnibus bonis ac gaudiis circumfluentem; sed beatam etiam mortem, quæ ad beatissimam vitam aditum aperiet! »

Atque hæc quidem hactenus. Reliquum est ut, quod Lælio ac Scipioni in fine orationis optavit Cato, ut ipsi aliquando placidam illam senectutem adsecuti, quæ ex eo audiissent, re experti, probare possent; id idem benevolis nostris lectoribus ex animo optemus.

FINIS.

XI.

FRANCISCI JACOBI SCHOLLAERT

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE JURECONSULTORUM PROPOSITAM.

FRANCISCI JACOBI SCHOLLAERT

LUCRENSIS,

JURIS IN ACADEMIA LOVANIENSI STUDIOSI,

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE JURECONSULTORUM PROPOSITAM :

Quid sit Possessio? Quotuplex? Quomodo acquiratur, retineatur, et amittatur? Quænam sint ejus commoda? Confirmentur singula responsa tam ex textibus Juris Romani, quam ex intimâ Juris ratione. Explicetur etiam, quod circâ possessionem Jus Hodiernum continet.

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT VII. IDUS OCTOBR. MDCCCXX.

I.

ERRARE HUMANUM EST.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM.

Varias pro vario sensu significationes habere vocabulum *possessio*, in suspensum teneri haud potest : accipitur enim 1° pro dominio L. 37 ff. de jud. L. 5, § 1 ff. ad leg. jul. de vi publ. L. 78 ff. de V. S.; 2° pro ipsâ re possessâ L. 78 ff. de V. S. L. penult. ff. de alienatione jud. mut. causâ L. 2 C. de serv. L. 115 ff. de V. S.; 3° pro jure possessionis L. 44 pr. ff. h. t. L. 2, § 38 ff. ne quid in loco publ. L. 5, § 1 ff. ad leg. Jul. de vi publ. L. 10 C. h. t.; 4° pro usucapione L. 19, L. 30 ff. in quib. caus. maj.; 5° pro detentione, quæ est significatio, de quâ nobis agendum venit.

CAPUT PRIMUM.

Quid et quotuplex sit possessio ?

SECTIO PRIMA.

De definitione possessionis.

Cum regulam, *omnis definitio in jure periculosa*, haud ignorem; video modo, quantâ prudentiâ debeam procedere, ut ad accurratam possessionis definitionem parvenire queam; quinimo, pervolutis non paucis jamjam auctoribus, non inveni ullam, quæ ut puto omni scrupulo immunis dici potest; quam

ob rem cum peritissimis hominibus, qui olim, ut ex Accursio refert Vinnius quæst. select. l. 2, c. 36, ausi non fuerunt possessionem definire, dubitarem, an quidem plena et perfecta possessionis definitio dari possit, si eam hodie a doctissimis nostris Professoribus propositam non haberem. Quomodo ergo eam definiemus? In L. 1, pr. ff. h. t. vidimus eam a Paulo sic decribi: possessio appellata est a pedibus quasi pedum positio, aut juxta libros Florentinos a sedibus quasi positio, quia is qui possidet, rei insidet, insistit. Græci vero dixerunt eam esse detentionem naturalem, Theophilus in Inst. de interd. definit eam detentionem rei corporalis. At neutram harum definitionum accuratam esse, nemo non sentit, cum ex utrâque nobis, eum, qui rem quamdam eam mox reddendi causâ sine titulo aut animo sibi habendi detinet, possidere, dicendum esset. Quid ergo? Celeberrimus Voetius n. 1, ad h. t. recte, ut opinor, refutans definitionem Vinnii dicit, eam esse detentionem rei corporalis animo sibi habendi; ast nec hæc, licet eam pleniorem quam plures alias habeam, mihi admittenda videtur; etenim ex hac sequitur, res extra commercium constitutas possideri posse, quod tamen ex L. 23, § 2, L. 30, § 1 ff. h. t. omnino negandum est; nam et ei, qui vinxit hominem liberum, aut qui locum religiosum sanctumve detinet animo sibi habendi, tametsi contemnat religionem et pro privato eum teneat, denegatur possessio, quia illæ res sunt prorsus exemptæ commercio, et sic nec possideri possunt. Ideoque arbitrans a Vobis possessionis definitionem in sensu civili et juridico rogari malo eam, ut cum suo definito reciprocetur, hoc modo definire: *possessio est detentio rei corporalis in commercio constitutæ cum animo sibi habendi.* Dicitur 1.° simpliciter *detentio* non addita voce *naturalis* aut *ficta,* quia, cum semel rei cujusdam possessionem adeptus sim, re-

tineo eam, sive præsens sive absens sim; etenim si præsens sim, retineo eam, quia rem naturaliter detineo; si vero absens sim et neminem in possessione reliquerim, ut in L. 6, § 1 ff. h. t., retineo eam quoque, quia fictione legis videor rem adhuc detinere; quare alterutra vox vocabulo *detentio* inepte adjiceretur. Non quælibet tamen detentio ad possessionem sufficit; sed necesse est, ut a lege agnoscatur. Hinc detentio illius, qui in alterius potestate constitutus est, ad possessionem inefficax est L. 23, § 1, L. 49, § 1 ff. h. t.; idem est de detentione illius, qui absente invito domino fundum occupavit L. 6, § 1, L. 25 ff. h. t.; nam licet rem detineat cum animo sibi habendi, possessio ejus a lege infringitur saltem tam diu, quam diu dominus non fere sit repulsus, aut non metuens vim majorem in possessionem reverti fuerit ausus. Cæterum quid sit rem detinere, facile intelligitur; est rem in potestate suâ habere, quod variis pro variâ rerum naturâ modis fieri potest, v. g. domum inhabitando vel locando, fundum colendo, fructus percipiendo et de eo pro lubitu disponendo detineo; sic etiam feras vivariis includendo, pisces in piscinas conjiciendo et alia aliis modis mobilia detineo, quatenus sub custodiâ meâ sint L. 3, § 13 et 14 ff. h. t. Sequitur 2° *rei corporalis,* quia res incorporales naturâ suâ possessionem proprie dictam non recipiunt L. 32, § 1, ff. de serv. præd. urb. L. 4, § 27 ff. de usurp et usuc. L. 43, § 1 ff. de acq. rer. dom. Implicat enim quominus detentio, quæ consistit in factis corporalibus, applicetur rebus incorporalibus, quæ non nisi in intellectu existunt; unde etiam merito ab Imperatore in § 2 Inst. de reb. corp. et incorp. definiuntur *res quæ tangi non possunt* et proinde nec possideri; inepte tamen quis inde inferret, nullam omnino rei incorporalis detentionem dari; datur enim, at hæc non in factis corporalibus, quæ rebus incorporalibus applicari nequeunt,

sed in usu et exercitio juris consistit. V. g. usumfructum detineo fructus percipiendo, servitutem viæ detineo eundo et redeundo per fundum, in quo servitutem habeo; dicit enim JCtus in L. ult. ff. de serv.: ego puto usum ejus juris pro traditione accipiendum esse. Quapropter res incorporales non possideri sed quasi possideri dicuntur L. 23, § 2 ff. ex quib. caus. maj. L. 10 ff. si serv. vind. L. 3, § penult. ff. de vi et vi arm. Hinc etiam interdicta constituta de servitutibus, quæ sunt res incorporales, quasi possessoria vocantur L. ult. ff. de serv. L. 3, § penult. ff. de vi et vi arm. Adjeci definitioni 3° *in commercio constitutæ*, quia ut supra notavimus, res exemptæ commercio possideri nequeunt L. 23, § 2, L. 30, § 1 ff. h. t., id est, quod lex nullam harum rerum possessionem agnoscat. Quod ita verum est, ut lex eum, qui tales res detineret, non solum in detentione ejus non tueretur, si quis eam in controversiam vocaret; sed et statim ac eum cognosceret, detentione ejus dejiceret. Diximus tandem 4° in definitione *cum animo sibi habendi*, quia, si animus hic desit, nulla intelligitur possessio L. 1, § 3, L. 3, § 1, L. 8 ff. h. t. L. 2 C. de præsc. 30 ann. Nec mirum, cum et alias infantes, furiosi, quinimo bruta et lapides possiderent. Hinc notari potest possessionem consistere in his duobus factis in detentione nempe et animo sibi habendi; hinc etiam, qui hujus animi incapaces sunt, aut qui eum non habent, possidere intelligi nequeunt. Tales sunt v. g. coloni, inquilini, depositarii, fructuarii et similes § 4 Inst. per quas pers. L. 1 C. comm. de usucap. L. 25, § 1 ff. h. t. Sunt tamen in possessione; at aliud longe est possidere aliud in possessione esse L. 10 ff. h. t., sicut aliud est servire aliud in servitute esse § ult. Inst. de ingen. Is possidet, cujus nomine possidetur; qui autem in possessione est, alienæ possessioni præstat ministerium L. 18 ff. h. t.; unde iterum constat, eum non possidere, quoniam plures eamdem rem in

solidum possidere non possunt L. 3, § 5 ff. h. t. L. 5, § 15 ff. commod. Idem est de eo, qui precario rem tenet L. 6, § 2 ff. de precario L. 8 ff. commod. Aliud tamen foret, si precario rogaverit, ut possideret L. 4, § 1, L. 15, § 4, L. 17 ff. de precario, L. 10, § 1 ff. h. t. Neque huic obstat, quod plures eamdem rem in solidum possidere non possint; nam is qui precario rem suam possidere permittit, non amplius possidet, cum non aliter id facere possit, quam si rem vacuam tradit, et per consequens id facere numquam poterit, nisi desinat possidere, quia quousque possidet, rem occupat, et licet habeat animum recuperandæ possessionis, non propterea non habet animum dimittendi possessionem, quia aliud est habere animum conservandi possessionem, aliud habere animum eam recuperandi.

Hac ex definitione ita explanatâ patet, possessionem, licet facti tota sit non juris L. 1, § 3 ff. h. t., plurimum tamen ex jure mutuari L. 49, § 1, ff. h. t. Hinc est, quod leges aliquando pro possessore habeant illum, qui revera non possidet, ut videre est in L. 3, § 7, L. 6, § 1, L. 25, § 2 ff. h. t., quodque econtra pro possessore non habeant illum, qui tamen revera possidet, ut is, qui in alterius potestate constitutus est, non habetur pro possessore, tametsi rem detineat quantumvis animo sibi habendi L. 23, § 1 ff. h. t., et hoc sensu intelligendum est quod possessio non tantum corporis sed et juris dicatur L. 49, § 1 ff. h. t.

SECTIO SECUNDA.

De divisione Possessionis.

Apud omnes fere interpretes prima et principalis possessionis divisio hæc est, quod alia naturalis sit alia civilis L. 1, § 15 ff. ad exhib. L. 10 C. h. t. Illa dicitur ordinarie ea esse, quam habet is, qui rem per se ipsum detinet cum animo sibi

habendi, sive dominus sive bonæ sive malæ fidei possessor sit; ex adverso hæc dicitur ea esse, quam habet is, qui rem non per se sed per alium detinet cum animo sibi habendi, sit dominus et bonæ et malæ fidei possessor, fur etiam et prædo per colonum, depositarium, commodarium etc. civiliter possidere dicuntur. Hæc autem divisio nobis non placet; etenim diximus, possessionem esse detentionem seu factum id quo rem detinemus cum animo habendi, quapropter is, qui per alium detinet non minus quam ille, qui per se ipsum detinet naturaliter possidere dicendus est, et revera per servum, colonum procuratoremve possidere intelligimur L. 9, L. 18, L. 25, § 1 ff. h. t., idque naturaliter, eo quod illis personis utamur tamquam instrumento, quocum detinemus.

Qualem ergo possessionis divisionem sistimus? Ex iis quæ in explicatione hujus tituli audivi, puto possessionem ad exemplum obligationis posse dividi in naturalem, naturalem et civilem simul seu mixtam, et civilem tantum. Videamus nunc quid per singulam intelligamus.

Per naturalem intelligimus eam, quam leges non agnoscunt. Talem habet is, qui res extra commercium constitutas detinet L. 23, § 2, L. 30, § 1 ff. h. t., item is, qui in alterius potestate constitutus est, ut servus, licet enim is detineat quantumvis animo sibi habendi, pro possessore non habebitur L. 23, § 1, L. 49 ff. h. t. L. 118 ff. de R. J. Naturalis etiam possessio ea est, quam habet is, qui absente et ignorante domino fundum occupat, manetque naturalis, donec dominus repulsus fuerit aut metuens vim majorem reverti in possessionem ausus non fuerit, eousque enim lex conservans absenti possessionem, eum pro possessore non habet L. 6, § 1, L. 25, § 2 ff. h. t., nam et alias duo darentur possessores in solidum, quod fieri nequit L. 3, § 5 ff. h. t.

Per possessionem naturalem et civilem simul seu mixtam intelligimus eam, quam habet is, cui nihil ex naturalibus possessionis deest. Sic dominus, bonæ et malæ fidei possessor naturaliter et civiliter possident, quando rem corpore suo vel corporis alieni ministerio servi puta coloni procuratorisve detinent; has enim per personas possidere intelligimur L. 9, L. 18, L. 25, § 1 ff. h. t. hanc itaque possessionis speciem et natura et leges agnoscunt, unde eam non immerito mixtam appellasse putamus.

Tandem per possessionem civilem tantum intelligimus eam, quam habet is, cui aliquid ex naturalibus possessionis deest, ut is, qui, cum uspiam emisset sylvam, nullo in eâ relicto custode, domum redit; huic enim deest detentio, sed legis fictione pro possessore habetur arg. L. 3, § 11 ff. h. t. Alia si velis adhuc exempla, vide L. 44, § ult. L. 45 et 46 ff. h. t. item L. 357 L. 6 § 1, L. 25 § 2 eod., quarum omnibus in casibus, licet desit vera detentio, fictione legis possidere intelliguntur, natura itaque eorum possessionem non agnoscit, quare eam civilem tantum nominavimus. Sunt tamen interpretes, inter quos Maurissen, qui putant, possessorem d. L. 3, § 7, L. 6, § 1, L. 25, § 2 ff. h. t. non civilem tantum sed et naturalem habere possessionem, quia dicitur in his legibus, quod retineat possessionem, unde inferunt, ergo eam quam ante habebat, et proinde naturalem. Ast infundate, quia eam non retineat nisi mediante fictione legis; deest enim ipsi naturalis detentio, quæ ad illam possessionis speciem requiritur, desuper esset absurdum dicere; possessorem illarum legum non civilem tantum sed et naturalem possessionem retinere, eo quod per rerum naturam impossibile est, ut quis naturaliter præsens et absens sit uno et eodem tempore.

Ita jam possessione divisâ, quid dicemus de L. 10 C. h. t., in quâ adversarii divisionem suam fundant? Respondemus, quod in illâ lege quidem dicatur, quid sit possessio naturalis et civilis simul, non vero quid possessio civilis tantum. Dicitur enim in d. L.: nemo ambigit possessionis duplicem esse rationem, aliam quæ jure consistit, aliam quæ corpore consistit; jam autem possessio quæ corpore consistit ea est, quâ quis rem naturaliter detinet, sed, ut supra vidimus, is qui per alium detinet, detinet etiam naturaliter; Imperator itaque per possessionem quæ jure consistit, non intelligit eam, quam ministerio alterius detinemus, ut volunt adversarii, sed ad sciendum, quid Imperator per possessionem quæ jure consistit, intelligat, recurrendum est ad ipsam naturam possessionis, juxta quam divisionem nostram, cum per eam omnia rite cohæreant, fundamentis haud carere arbitramur.

Notetur tamen necesse est quoad divisionem, quam de possessione sistimus, leges illos possidendi modos non ita distinguere; nam et ex ipsis diversis legum textibus, quorum unus videtur alteri contrarius, patet, verba *possessio*, *possessio naturalis*, *possessio civilis* in jure confundi; sæpius enim dicitur naturaliter possidere qui corpore et animo domini possidet, aliquando etiam pro simplici detentione dicitur naturaliter possidere, ut in L. 12 ff. h. t. L. 7, § 11 ff. comm. divid. L. 2, § 1 ff. pro hærede, ubi colonus depositarius et commodatarius naturaliter possidere dicuntur, quos tamen omnes non possidere sed detinere constat L. 1 C. comm. de usucap. L. 25, § 1 ff. h. t. Cæterum quod verba illa in jure confundantur, patet etiam ex L. 6, § 1, L. 3, § 7, L. 25, § 2 ff. h. t. et aliis legibus, in quibus ii, qui ex divisione nostrâ civilem tantum possessionem habent, dicuntur simpliciter possidere non addito vocabulo viliter.

Alio etiam sub modo dividitur possessio in naturalem et civilem L. 3, § 3 ff. de vi et vi arm., quo sensu civilis ea est, quâ quis possidet animo domini aut saltem ex prætoris auctoritate L. 11 ff. h. t. L. 15, § 16 ff. de damno infect. Verum autem possessio ut civilis sit necesse est, ut oriatur ex justo titulo, id est ex titulo ad transferendum dominium habili, qualis est emptio, donatio, permutatio etc. Nihil tamen interest, utrum dominium fuerit revera translatum nec ne, si modo rem teneat justâ opinione dominii quæsiti. Cæterum cum civilis hæc possessio oriatur ex juxto titulo, tot diversarum est specierum, quot sunt tituli ex quibus oriri potest. Ex adverso naturalis possessio dicitur hac in divisione ea, quâ possidet quis absque opinione domini. Exemplum occurrit in malâ fide possessore, fure atque prædone L. 15 ff. commodati L. 1, § ult. ff. uti poss. Naturaliter etiam possidet, qui possidet titulo prohibito, ut conjux, qui rem a conjuge acceperit stante matrimonio L. 16 ff. h. t., nec facit quod donatio sit nulla; nam, ut ait POTHIER ad L. 1, § 4 in Pand. Just., jus civile, quo donationes inter virum et uxorem prohibentur, potest quidem infirmare ea, quæ sunt juris, videlicet titulum donationis, at non potest destruere ea, quæ sunt facti, atqui possessio naturalis est quid facti, nec potest efficere quominus mulier, cui res a viro tradita est, eam revera possideat; naturaliter igitur possidet mulier sed nullo jure nullo titulo, cum titulus donationis inter virum et uxorum sit ipso jure nullus. Sic etiam naturaliter possidet, qui possessionem precario rogavit L. 13, § 1 ff. de publ. act., item creditor, cui pignus datum est, illud naturaliter possidet L. 16 ff. de usurp. et usuc.; nam licet hi omnes rem non tamquam suam sed tamquam alienam possideant et proinde animo eam sibi habendi careant, habent saltem animum conservandi sibi rei possessionem donec ipsis a domino auferatur.

Dividitur tandem possessio in justam et injustam L. 3, § 5 ff. h. t. L. 2 et 3 ff. uti possid. Juste possidet, qui justo titulo possessionem acquisivit, injuste vero possidet cujus possessio nullo justo titulo nititur. Sic malæ fidei possessores fures atque prædones injustam possessionem habent, nullus enim ipsis est titulus, quo possident; quin imo ut justam possessionem ex titulo quodam justo v. g. ex emptione acquiras, neque sufficit, ut intervenerit contractus venditionis, quo revera rem emisti, sed insuper opus est, ut res in executionem illius contractus per venditorem aut alium ejus nomine tibi sit tradita; unde si venditor rem tibi non tradidisset, et eo invito possessionem ejus fuisses adeptus, non justam sed injustam possessionem acquisivisses L. 5 ff. h. t. Aliud tamen foret, si recusante venditore prætor te in possessionem rei emptæ misisset, justam enim tunc esses possessionem adeptus, cum juste possideat, qui auctore prætore possidet L. 11, ff. h. t.; vel si sciente et non contradicente venditore possessionem ingressus fuisses, nam et tunc videtur venditor possessionem usurpanti consentire atque ita tradere, cum ad tradendum sit obligatus L. 2, C. h. t. L. 16 ff. si serv. vind. L. 8 ff. pro legato L. 1, § ult. ff. de except. rei vend. et trad.

Sunt tamen interpretes, qui ex L. 3, § 5 ff. h. t. hanc possessionis divisionem quantumvis naturalem a legibus agnosci negant, eâ nempe ratione, quod in dicto § habeatur : quoniam in summâ possessionis non multum interest, juste quis an injuste possideat. At hæc verba id minime probare, facile ostenditur. Imprimis adversarii dicunt : *non multum* id esse quod *nihil*, et proinde divisionem in justam et injustam possessionem merito rejici a Labeone, utpote nulla inter ipsas datur differentia. Sed hoc falsum est, quod nulla inter ipsas detur differen-

tia; etenim 1° malæ fidei possessor non facit fructus suos L. 22 C. de R. V., 2° fur est in perpetuâ morâ, 3° non competit ipsi judicium communi dividundo L. 7, § 4 ff. comm. divid.; quæ omnia contraria sunt in eo, qui bonâ fide possidet. Non nulla igitur justam inter et injustam possessionem existit differentia, ex quâ oritur divisio, quam ut demonstrem in citato § non rejici, dico, ex toto paragrapho luculenter patere, in eo tantum inquiri, utrum plures uno et eodem tempore in solidum possidere possint, quod cum Trebatius, exsitimans posse alium juste alium injuste possidere, contra opinionem Labeonis affirmasset, Labeo eum reprehendit dicendo : quoniam in summâ possessionis non multum interest, juste quis an injuste possideat, id est quoniam in genere possessionis non multum interest, ut etiam habet vetus quædam editio. Verba itaque *in summâ possessionis* non debent intelligi quoad effectus sed quoad genus seu quoad factum possessionis; nam, ut vidimus, plurimum interest, juste quis an injuste possideat. Cæterum nec juris textibus destituta est divisio nostra, etenim in L. 3, § 22 ff. h. t. L. 7, L. 9 C. h. t. JCti de hac mentionem faciunt, item in L. 7, § 4 ff. comm. divid., ubi dicitur, quod inter prædones judicium communi dividundo locum non habeat, eâ scilicet ratione, quod injusta sit earum possessio; lex itaque agnoscit injustam possessionem, et proinde etiam justam. Nec obstat divisioni nostræ, quod lex, ut possessorem interdictis suis tueatur, non respiciat, utrum justa an injusta sit possessoris possessio; quia inde sequitur tantum, quod is, cujus possessio nullo justo titulo nititur, quoque possideat, non vero quod juste possideat. Cæterum non est injustis possessoribus favendi causâ, quod eos in possessione defendat, sed obtinet hoc, quia publici intererat hoc fieri, donec res legitimo tramite ab illis evincantur, ne rixis et tumultibus fenestra aperiatur.

SECTIO TERTIA.

Utrum plures eamdem rem in solidum eodem tempore possidere possint, et in quibus distet possessio a dominio?

Inter JCtos Romanos multum alleviatam fuisse quæstionem, utrum duo possent eamdem rem eodem tempore in solidum singuli possidere, nemo ignorat; et quidem omnes ex naturâ rerum conveniebant, plures eamdem rem in solidum possidere non posse, contra naturam quippe est, ut quum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris L. 3, § 5 ff. h. t. At vero Sabiniani putabant, principium illud distinctionem admittere; nam licet non negarent, plures eamdem speciem possessionis alicujus rei in solidum habere non posse, ut constat ex L. 19 ff. de precario; docebant tamen, alium posse videri juste possidere in solidum eodem tempore, quo alius injuste possideret in solidum; item eum, qui possessionem alteri precario dedit, posse videri civiliter possidere in solidum eodem tempore, quo is, qui rogavit precario, possideret in solidum L. 15, § 4 ff. de precario L. 3 pr. ff. uti possid. Proculeani autem, qui magis conformiter rerum naturæ judicabant, nullomodo distinctionem Sabinianorum admiserunt, quapropter omnem possessionem denegabant et ei, qui possessione dejectus erat, et ei, qui possessionem suam alteri precario dederat, quod evincit cit. L. 3, § 5 ff. h. t., ubi dicitur : Sabinus scribit, eum qui precario dederit, ipsum possidere, et eum qui precario rogaverit; idem Trebatius probabat existimans, posse alium juste alium injuste possidere, duos injuste vel duos juste non posse, quem Labeo (qui erat sectæ proculianeæ) reprehendit, quoniam in summâ possessionis non multum interest, juste quis an injuste

possideat (quæ sententia prævaluit, nam PAULUS statim adjicit), quod est verius; non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo sedeo, insidere videaris. » Et revera quemadmodum is qui sedet, ita rem occupet, ut alius non possit eumdem locum tenere, nisi ipso absente; ita ille, qui possidet, ita rem tenet, ut alius eam occupare non possit nisi ipso absente. Quod tamen plures eamdem rem in solidum possidere non possint, accipit VOET ad h. t. nr. 5 de possessione, quæ corpore constat, quia rationem a JCto allegatam putat pro hac possessione solummodo militare, et hoc fundamento asserit, in L. 3, § 7, L. 6, § 1, L. 25, § 2 ff. h. t. unum naturaliter alterum civiliter possidere. Ast infundate; imprimis enim, quod ratio a JCto allegata non possit restringi ad possessionem, quæ corpore constat, patet ex eo, quod si quis fundi possessionem, quam nos civilem appellavimus, habeat, licet is fundum corporaliter non occupet, eum tamen corporaliter occupare a lege fingitur; unde cum fictio idem operetur in casu ficto, quod veritas in casu vero, sequitur, quod, si duo, quod admittit Voet, non possint naturaliter possidere in solidum, non possint etiam unus civiliter alter vero naturaliter eamdem rem in solidum possidere. Hinc patet etiam, Voetium frustra velle argumentare ex eo, quod Labeo reprehendat Sabinum et Trebatium, cum non magis unus civiliter et alter naturaliter eamdem rem in solidum possidere possint, quam duo naturaliter. Quod vero nunc attinet leges, in quibus JCtos duos ejusdem rei possessores in solidum admisisse putat Voetius, facile ad ipsas respondetur. Imprimis putat, JCtos duos ejusdem rei possessores in solidum admisisse in L. 3, § 7 ff. h. t., sed hoc verum non est; nam PAULUS in hac lege nihil aliud dicit, quam quod possessio solo

animo retineatur, licet alius in fundo sit, non autem asserit, eum, qui in fundo moratur, possidere. Non magis juvat Voetio L 6, § 1 et L. 25, § 2 ff. h. t.; in hac enim lege Pomponius quærit tantum, quousque absens possessionem retineat, an donec alius corpore ingressus sit, ita ut corporalis alterius detentio auferret absenti possessionem, an vero eousque, donec revertentem eum aliquis repellat, quod posterius probat, ita ut hic ex Pomponio minime colligi possit, duos habere ejusdem rei possessores in solidum. Nec facit, quod interea asserat Pomponius, illum, qui in fundo moratur, corporalem possionem habere; nam dando absenti facultatem redeundi et occupatorem expellendi quasi vim sibi inferentem, lex infringit ejus possessionem, ita ut in sensu civili et juridico occupator non possideat, sed tantum detineat, ut etiam respondendum est ad d. L. 6, § 1. Sed dicet quis, facultas illa redeundi, et occupatorem expellendi est ibi vera aggressio, quam leges numquam patiuntur. Verum est, quod sit ibi vera aggressio, sed lex coacta fuit hoc in casu eam fictione aliquâ tamquam defensionem admittere ob utilitatem publicam quæ hoc quam maxime postulabat, quoniam alias nihil facilius fuisset quam usucapientium possessionem interrumpere, unde dominia rerum numquam fere fuissent certa. Posset quis tandem adhuc objicere : si occupator reversum absentem vi dejecerit, tunc vere possidet, atqui vi dejectus etiam possidet, nam perinde haberi debet ac si possideret L. 17 ff. h. t., ergo etc. Respondemus, quod id non alio sensu aliove respectu ibidem asseratur, quam quia, ut ipse Ulpianus addit, interdicto unde vi recuperandæ possessionis facultatem habet d. L. 17, idque secundum regulam, quâ qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur L. 15 ff. de R. J.

Certum itaque est, duos non posse eamdem rem separatim

eodem tempore in solidum possidere, sed, ut reflectit POTHIER(1), possunt duo, quibus rei individuæ possessio communis est, eam rem conjunctam in solidum possidere, utpote non possunt possidere pro parte illud, quod partes non recipit, quod est individuum. V. g. mihi et Petro communis est domus cui servitus debetur, servitus illa cum sit individua, quisque nostrum non vere sed quasi possidet eam in solidum, non quidem separatim sed conjunctim.

In eo, quod diximus, plures eamdem rem in solidum possidere non posse, convenit possessio cum dominio; nam non magis duo ejusdem rei possunt esse domini in solidum, quam duo possessores L. 8, § 5 ult. ff. commodati vel contra. Possessio tamen in variis distat a dominio, quinimo juxta ULPIANUM L. 12, § 1 ff. h. t. proprietas nihil commune habet cum Possessione, et revera possumus rei habere dominium, quin eam possideamus L. 1, § 2 ff. uti poss. L. 13 ff. h. t. Sed videamus, in quo differant. Differunt 1° in eo, quod dominium non nisi ex unâ causâ, possessio vero ex pluribus contingere possit L. 3, § 4 ff. h. t.; nam cum semel dominium ex quâdam causâ acquisierim, non possum illud amplius ex aliâ acquirere, cum impossibile sit ex rerum naturâ, ut adipiscar illud, quod jam inde acquisivi, quod enim meum est, non amplius meum fieri potest; at idem non obtinet circa possessionem, quæ pluribus ex causis contingere potest, nihil enim impedit, quominus unus titulus alteri adjungatur, v. g. possumus titulum pro suo adjungere titulo pro hærede d. L. 3, § 4. Differunt 2°, quod dominium sit juris possessio facti L. 1, § 3, L. 23 ff. h. t.; hinc hæreditate per hæredem aditâ dominia rerum ad

(1) Traité de la Possession, nr. 4.

eum transeunt; at possessio cum facti sit non juris, nisi naturaliter apprehensa ad eum pertinet. 3° possessio differt a dominio in eo, quod possessio solo animo amittatur L. 3, § 6, L. 1, § 4, L. 17, § 1 ff. h. t., dominium vero non nisi corpore et animo L. 17, § 1 ff. h. t., ubi dicitur, quod dominium nihilominus ejus maneat, qui dominus esse non vult, nisi scilicet possessionem quoque abjiciat, nam retentâ possessione dominium amitti non potest, quamvis contra retento dominio possessio sæpe amittitur. Sic enim procedit Ulpianus. in dicto § L. 17: « possessio autem recedit, ut quisque constituit nolle possidere, si quis igitur eâ mente possessionem tradit, ut postea ei restituatur, desinit possidere, » quamvis hoc modo dominium non amitteret; sunt enim certi modi amittendi dominium, nec ad hoc efficax est imaginaria traditio, at amissio possessionis ex solo et mero possidentis arbitrio pendet, quare quum vult vel tantisper et ad momentum desinere possidere, amittit possessionem (1).

(1) Ita Pothier ad dict. L. 17, § 1 in Pand. Inst.

CAPUT SECUNDUM.

De acquisitione possessionis.

SECTIO PRIMA.

Quid ad acquirendam possessionem requiratur?

Cum acquisitio possessionis justæ sive injustæ consistat in apprehensione rei cum animo sibi habendi, requiritur, ut eam acquiramus, corpus et animus, id est, corporalis apprehensio cum animo sibi habendi L. 1, § 3, L. 3, § 1, L. 8 ff. h. t. L. 153 ff. de R. J. § 5 Inst. de interd. Itaque nec animus solus ad eam acquirendam sufficit, nec solo corpore acquiri potest; sed utrumque hic concurrat opus est et animus acquirendi et simul actus aliquis corporalis ex d. L. Hinc qui jure familiaritatis amici fundum ingressus est, non videtur possidere, quia non eo animo ingressus est, ut possideat, licet corpore in fundo sit L. 41 ff. h. t. Hinc etiam is, qui ignorat, in fundo quem possidet, reconditum esse thesaurum, eumdem non possidet, cum ignoranti nullus sit concessus sui animus L. 3, § 3 ff. h. t. Sed et quamvis sciret, thesaurum in suo fundo esse defossum, non prius possessionem ejus acquisiturus est, quam eum loco moverit ex d. L. 3, § 3. (1) Impro-

(1) Male se habere PAULI illam in istâ lege 3 scripturam, patet ex exemplis post positis et sententiâ SABINI oppositâ atque a Paulo probatâ; ideo medicinam quærit NOODT prob. L. 2, c. 6, n. 4, et putat, prius « non » delendum atque legendum : Neratius et Proculus solo animo posse nos acquirere possessionem, si etc. »

bat enim Paulus sententiam Neratii et Proculi existimantium, possessorem fundi et possidere thesaurum, quem ibi defossum haud ignorat, etsi eum non apprehenderit; et merito, cum possessio non acquiratur nisi animo et corpore simul. At vero cum in hac lege non agatur de thesauro proprie dicto, sed de improprio, qualiter definitur in L. 44 ff. h. t. et L. 15 ff. ad exhib., ut patet ex verbis *quia scit alienum esse;* quæri potest, quid dicendum esset, si fingatur quidem, velle me adipisci thesauri istius possessionem, possessore volente. Respondemus, quod, licet ei qui volente possessore possessionem vult acquirere, præcise non opus sit naturali rei apprehensione, ut in sequenti sectione demonstrabimus, nec tunc sufficere arbitremur, me scire, eum alicubi in fundo esse depositum, sed ulterius necessarium esse, ut noscam, quo in fundi angulo is sit reconditus, quia alias incertitudine rei animus deest arg. L. 3, § 13 ff. h. t. item arg. L. 3, § 2, L. 26 ff. eod.

Vidimus itaque, possessionem non acquiri nisi animo et corpore, ita ut possessionis initium non ab animo, sed a corpore incipiat, quo spectat L. 44 pr. item L. 3, § 18 ff. h. t. Nec obstat generalitati hujus regulæ, quod quibusdam in legibus ut in L. 1, § penult. et in L. 51 ff. h. t. nudo animo citra ullum actum corporalem possessio videatur acquiri; nam licet ibi ita fere loquantur JCti, non excludunt tamen omnem actum corporis, sed dumtaxat crassiorem illam apprehensionem, quæ manuum aut pedum operâ interveniente fit, seu loquúntur his in casibus oppositive ad actualem et naturalem apprehensionem eodem sensu, quo dicitur aliquando dominium transferri nudâ voluntate, id est nudâ a verà et naturali traditione. Perperam igitur aliqui interpretes putarunt, regulæ nostræ exceptionem inveniri in L. 9, § 9 ff. de reb. cred., ubi

JCtus asserit, statim ac deponens depositario permiserit pecuniâ depositâ uti, fieri mutuum, etiam antequam moveatur, addens hanc rationem, quia animo cœpit possidere; nam ibi per fictionem brevis manus et vitato circuitu civilis versatur apprehensio.

Cæterum hunc præter animi et corporis concursum sequentia adhuc requiruntur: ut in commercio res sit constituta L. 23, § 2, L. 30, § 1 ff. t. h., et ad possidendum sit habilis persona L. 23, § 1, L. 49, § 1 ff. h. t. Quæ duo requisita, ut patet, sunt juris plane positivi; at cum de ipsis satis superque diximus in definitione, restat nobis tantum agendum de apprehensione et de animo.

SECTIO SECUNDA.

De Apprehensione.

Vidimus in præcedenti sectione, possessionem non acquiri nisi animo et corpore simul, quapropter ad possessionem rei acquirendam haud sufficit, ut velim eam possidere, sed et insuper necesse est, ut eam apprehenderim. Verum autem (ut modo insinuavimus) naturalis rei apprehensio (licet hæc adipiscendæ possessionis maxime naturalis sit ratio L. 1, § 1 ff. h. t.) non ita ad eam acquirendam requiritur, quin ficta aliquando possit sufficere. Unde quæritur, quandonam naturali rei apprehensione opus sit, quandonam vero ficta sufficiat? Ut ad hanc quæstionem respondeatur, necesse est, hos duos casus distingui; scilicet vel agitur de acquirendâ possessione earum rerum, quæ de facto dominum non habent, et in quarum possessione nemo actualiter existit, vel agitur de acquirendâ possessione earum rerum, quæ de facto dominum habent, et

quæ actualiter ab aliquo possidentur. Priori casu, ad quem referri possunt feræ, lapilli et gemmæ in littore maris inventæ, thesaurus proprie dictus, cæteræque res, quas occupatione nostras facimus, ut res pro derelictis habitæ, requiritur vera et naturalis rei apprehensio; nam et harum rerum possessio si acquiratur, locus est occupationi, ad quam, cum definiatur naturalis apprehensio rei quæ nullius est et in commercio constituta cum animo sibi habendi, vera et naturalis apprehensio necesse est § 13 Inst. de rer. divis. Hinc insula Achantos deserta adjudicata fuit olim Chalcidensibus, qui priores intraverant, non vero Andriis, qui priores jaculum immiserant (1). Posteriori vero casu, si agatur nempe de acquirendâ possessione rei quam alius possidet, iterum distinguendum est; vel enim tunc agitur de acquirendâ possessione inter invitos, vel de acquirendâ possessione inter volentes. Si sit inter invitos, vera et naturalis rei apprehensio quoque requiritur; nam lege hoc in casu nihil supplente non prius quam rem corporaliter apprehenderis, eam detinere intelligeris. Hinc si invito possessore possessionem nobis comparare tentemus, vera et naturalis apprehensio requiritur, nilque ultra possidebimus, quam quod naturaliter apprehenderimus et ex quo possessorem excluserimus L. 18, § ult. ff. h. t., ita ut prior possessor omnes illas partes possidere continuet, quas non naturaliter apprehenderimus et ex quibus eum non dejecerimus. Hinc etiam, si rem quam apud te deposui, constituas non reddere, licet a momento, quo inficiandi animum habuisti, possessionem illius rei amittam (ut supra ex L. 47 ff. h. t. probare conabamur), non acquisiturus es eam, antequam rem loco moveris L. 3, § 18 ff. h. t., eâ nempe ratione, quod, cum agatur hic de acquirendâ possessione inter invitos, lex nihil suppleat, et proinde non fictâ sed naturali

(1) Plutarchus quæst. græc. 29.

apprehensione opus est. At vero si agatur de acquirendâ possessione inter volentes, necesse non amplius est vera et naturalis ipsa rei apprehensio; sed sicuti dominium aliquando acquiritur fictâ traditione, ita etiam fictâ apprehensione possessio hic aliquando acquiritur. Apprehensio vero hæc ficta fit commoditatis causâ vel brevi manu, vel longâ manu vel symbolo seu signo aliquo externo. Brevi manu, ut si id quod alieno nomine possides, tuo nomine possidere incipis L. 9, § 9 ff. de reb. cred., seu si constituas te in posterum alieno nomine possidere L. 18 pr ff. h. t., ut si dones rem alteri retento tibi usufructu L. 28 C. h. t., item conducendo rem, quam possides sive a domino sive a non domino, facis illum possessorem. Hoc tamen non indistincte, sed ita demum, si sciveris te possidere L. 19 ff. h. t.; nam si possidere te ignores, ut quia ignoranti tibi acquisita fuit possessio per servum vel filium familias, non amittis possessionem tuam, quia non habes animum eam amittendi. Apprehensio fit longâ manu, quando locum habet actu aliquo corporis seu notâ, ut oculis et affectu, quod præcipue fit in iis rebus, quæ propter magnitudinem ponderis moveri non possunt L. 1, § 21, ff. h. t. Major erit adhuc apprehensæ possessionis nota, si iis rebus custodiam posuissem, donec eas auferam L. 51 ff. h. t. Cæterum apprehensio, quæ fit oculis et affectu, obtinet quoque in fundis; nam si vicinum mihi fundum mercato venditor in meâ turri demonstret, vacuamque possessionem se tradere dicat, non minus possidere cœpi, quam si pedem finibus intulissem L. 18, § 2 ff. h. t. Tandem apprehensio ficta fit symbolo seu signo aliquo externo, ut si venditis tibi mercibus, quæ in horreo sunt, tradam tibi claves illius horrei, traditio illa clavium habebitur pro apprehensione mercium, quæ in horreo sunt, et proinde acceptis clavibus possessionem mercium acquiris L. 1, § 21 ff. h. t.

Hæc tamen traditio clavium ut hunc habeat effectum, fiat oportet (ut patet ex L. 74 ff. de contrahenda empt.) in re præsenti; dicitur enim in d. L. 74: si claves apud horrea traditæ sint. Aliud exemplum apprehensionis symbolicæ est, quando donans tradit donatario instrumenta donationis factæ, nam hoc ipso res donata et tradita videtur L. 1, C. de don. Hæc tamen omnia civili ratione potius quam naturali recepta sunt. Hinc non mirum, quod ex L. 3, § 2 ff. h. t. haud necesse sit, ut qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet, sed sufficiat, quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente et cogitatione hac sit, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere; nam hæc quoque accipienda sunt, si is qui ante possedit, ejus fuerit animi, ut rei totius possessionem amittat. Non nihil itaque interest, utrum volente domino an vero eo invito possessionem acquiram.

Prædicta de rebus corporalibus intelligenda esse, observari necesse est; nulla enim in res incorporales, quæ nisi in intellectu existunt, cadit apprehensio; unde eas non possideri sed quasi possideri diximus L. 4, § 27 ff. de usurp et usuc. L. 10 ff. quemadm. serv. vind., quo fit, quod ad earum quasi-possessionem desideretur actus aliquis naturalem apprehensionem repræsentans, ut cessio in jure, inductio in fundum in servitutibus. Hinc quæritur, quot actus intervenire debeant, ut earum quasi possessio acquisita intelligatur, et an unicus actus aliquando possit sufficere? Et quidem hoc ultimum indistincte affirmandum arbitramur, id est sive præcesserit titulus sive non; nisi tamen hoc in casu, quando nempe nullus titulus præcessit, ageretur de actu vel jure, quod facile ex amicitiâ ac benevolentiâ alteri concedi solet. Nam si v. g. ageretur de jure transeundi per fundum alterius, unicus actus haud suf-

ficeret, ut constat ex L. 1, § 2 ff. de itinere actu. priv., eo quod hoc factum esset insufficiens, ut possimus dicere, eum id fecisse animo habendi. At vero si actus hujus non sit naturæ, dicimus unicum actum sufficere ad acquisitionem quasi-possessionis, tametsi nullus præcesserit titulus, id quod satis probat L. 1, § 22 ff. de aquâ quot. et æstiv., ex quâ, eum qui vel semel tantum aquam duxit, posse uti interdicto de aquâ quotidianâ et æstivâ, constat; jam autem hoc interdictum non competit nisi iis qui possident, ergo etc.

SECTIO TERTIA.

De animo acquirendi.

Præter rei apprehensionem diximus ad acquirendam possessionem opus esse animo sibi habendi, qui si absit, nulla intelligitur possessio. L. 3, § 1 ff. h. t. nititur et hoc partim, quod discimus ex L. 23 ff. de usurp. et usuc. L. 2, § 6 ff. pro empt. Visum nempe fuit Romanis, eum qui universas ædes possidet, non possidere singula, quibus ædes constant, si ea, antequam in ædes conjecerit, jam inde haud possideret L. 30, § 1 ff. de usurp. et usuc. Confirmat illud Priscus Jovolenus auctor L. 23 cit. hoc ratiocinio: si singulæ res possiderentur, tunc non possideretur ipsa domus, quia si singulæ res possiderentur, ut lapides, tigna, possiderentur ut res mobiles, domus vero ex illis exstructa possideretur tamquam immobilis, et diversa forent usucapiendi tempora, quod absurdum et minime juri civili conveniens ait. Ratio ista nobis non placet. Cur non, ut inconveniens illud abesset, ea possidentur uti ipsæ ædes, id est ut immobilia? Sed id nobis negatur L. 7, § 11 ff. de acq. rer. dom. L. 23, § 7 ff. de rei vind., ulterius ea

ratio certe non movit PAULUM, si verum sit, prout sentiunt omnes, quos vidi interpretes, ipsum idem voluisse in L. 30 ff. h. t. ac Priscus noster; dicit enim, idem dici debere de nave et armario, quæ haud immobilia, ast mobilia sunt L. 1, § 7 ff. de vi et vi arm. L. 20, § 4 ff. quod vi aut clam L. 60 ff. de acq. rer. dom. Ne autem laboraret Javoleni jurisprudentia; illius ratio (inquit MAURISSEN Tom. V, p. 123 et 124) consistit in eo, quod is, qui ædes possidet, ut etiam possideret tigna, deberet ipsa considerare ut separatim existentia ab ipsis ædibus, eadem autem sic considerando evanesceret omnis idea ædium, et proinde non posset amplius intelligi ipsas ædes possidere, quia impossibile est, ut uno et eodem tempore ipsa tigna consideret ut separata ab ædibus et ut constituentia ipsas ædes. At profecto nec argumentum illud videtur nobis multum probare, quoniam tigna ita considerando, ædes non desinant existentiam habere. Et revera nonne idem vidimus obtinere in Inst. ad tit. de rer. divis., quando agebatur de casu, ubi ex alienâ materiâ in meo solo ædificaveram; tunc enim unus habet dominium in quiete, alter vero in exercitio. Quare potius dicimus, rationem provenire ex ingenti differentiâ, quæ subsistit inter illum, qui tigna possidet tamquam tigna, et illum qui ea possidet tamquam juncta ædificio. Ideo nempe prior possessor possidet tigna, quia ea maxime habet sub potestate suâ, potest enim de iis tamquam tignis disponere, prout vult; posterior autem possessor possidet quidem tigna, nam, ut supponimus, possidet ædificium quod ex iis constructum est, sed non possidet ea tamquam tigna, quia videri nequit ea tamquam tigna sub potestate habere, qui enim rem detinet suâ sub potestate, de eâ pro lubitu disponere potest, disponere autem in casu de tignis tamquam tignis non potest, cum ædificio inhæreant, poterit hoc ædificio diruto, sed tunc uni-

versas ædes amplius non possidet, deest igitur ipsi detentio, deest ipsi quoque animus sibi habendi, quod evidens fit supponendo, quod quis ipsum roget, utrum tigna possideat, indubitanter responsurus est, quod non possideat tigna. Non immerito igitur leges ei, qui universas ædes possidet possessionem tignorum ex quibus ædes constructæ sunt, denegarunt. Aliter tamen placuit, si tigna, antequam ea in ædes conjecisset, jam inde possideret L. 30, § 1 ff. de usurp et usuc., eo quod videri non potest amisisse tigni possessionem, aut eam sibi intervertisse, dum ea in suas ædes conjecisset.

Ex eo, quod ad acquirendam possessionem requiritur animus sibi habendi, consequens est, omnes eos, qui possidendi animi sunt incapaces, per semet ipsos possidere non posse, licet quam maxime rei insistant, cum alias fatendum foret, possessionem sine animo acquiri posse. Hinc furiosi et pupilli nil per se possidere possunt; hi enim affectionem possidendi non habent L. 1, § 3 ff. h. t. Ob eamdem rationem municipes, collegia aliaque corpora moralia possessionem acquirere nequeunt, eo quod uni, id est universi consentire non possunt L. 1, § 22 ff. h. t.; utilitatis tamen causâ contra strictam juris rationem receptum est, quod illæ personæ, quæ defectu animi per se nihil possidere possunt, ministerio alterius possidere intelligantur. Sic municipes et collegia per servum et per liberam personam ut per actorem, qui ejus nomine possessionem apprehendit, possidere intelliguntur L. 2 ff. h. t. et L. 7, § 3, ff. ad exhib., quæ sic intelligenda est. Hinc etiam furiosi et pupilli tutoris curatorisve auctoritate, quæ infirmum eorum judicium supplet, incipiunt possidere L. 1, § 3, L. 32, § 2 ff. h. t.; censentur enim fictione legis velle omne illud, quod tutores curatoresve eorum nomine et in suâ qualitate

faciunt. Sunt tamen interpretes, qui putant, infantes in donationibus tutoris auctoritate non indigere, quia dicitur in L. 3 C. h. t.: donatarum rerum a quâcumque personâ infanti vacua possessio tradita corpore quæritur. Nos autem, cum natura possessionis obstet quominus sine animo acquiratur, cumque insuper leges conformiter aliis legibus interpretari debeant, putamus cum Pothier et Voetio, legem illam accipiendam esse de acquisitione, quæ fit per infantem, auctore tutore; nam, ut ait Voetius, quamvis nullam auctoritatis tutoriæ mentionem habeat, tamen, cum ibi Imperator Decius asserat, esse quidem eâ de re dissentientes auctorum sententias, sed consultius videri, interim, licet animi plenus non fuisset effectus, possessionem per traditionem esse quæsitam', respexisse omnino videtur ad ea, quæ a Paulo JCto. de hac veterum dissensu et jure singulari circa infantem recepto traduntur in L. 1, § 3, L. 32, § 2 ff. h. t.

Hæc de infantibus, qui affectionem tenendi non habent, verum autem si ejus modo sint ætatis, ut intellectum habeant, possunt possessionem per semet ipsos acquirere L. 1, § 3 cit., et de hoc etiam casu accipiendum est id quod dicitur in fine § 2, L. 32, quia ratio, ob quam tutorem intervenire necesse erat, tunc cessat, cum talis infans detinere possit cum animo sibi habendi, cui et hoc accedit, quod pupillus possit, absque quod necesse sit ipsi tutoris auctoritas, conditionem suam reddere meliorem; potest enim sine tutoris auctoritate donationes accipere, et per traditionem ipsi factam non solum sibi acquirere possessionem sed et proprietatem.

SECTIO QUARTA.

Per quas personas possessionem acquirere possimus?

Acquirimus possessionem non solum per nosmet ipsos, sed et etiam per alios sine distinctione, an sint in potestate nostrâ constituti nec ne. At videamus prius, quomodo acquiratur nobis possessio per eos, quos in potestate habemus.

Adipiscimur possessionem per eos, qui in potestate nostrâ constituti sunt, ut per filium, servum, nec non per eos, quos bonâ fide possidemus, quamvis alieni sint vel liberi L. 1, § 5 et 6 ff. h. t. Cæterum per communem quoque, sicuti per proprium possessionem acquirimus, etiam singuli in solidum, si hoc agat servus, ut uni acquirat sicuti in dominio acquirendo d. L. 1, § 7, item per eum, in quo usumfructum habemus d. L. 1, § 8, at duabus tantum ex causis, suis ex operibus nempe et ex re nostrâ, nisi nostro nomine et ex voluntate nostrâ apprehendat; nam et tunc per eum uti per extraneum ex quâcumque causâ possessionem acquirimus. Non nihil tamen interest, utrum per filium an vero per servum possessionem acquirimus, etenim ut per servum possessionem acquiramus, sufficit, ut eum bonâ fide possideamus, sive noster sit sive non, ut autem per filium acquiramus possessionem, necesse est, ut noster sit, nec sufficit, ut eum bonâ fide possideamus L. 50 ff. h. t. Ratio jam vero disparitatis consistit in eo, quod, si per filium acquiramus possessionem, est jure potestatis, hinc per eum acquirere non possunt, qui illam potestatem non habent; at vero qui per servum acquirunt, acquirunt, quia eum possident, jam autem possumus servum possidere idque bonâ fide, licet sit alienus.

Vidimus itaque, possessionem per filium aut servum patri dominove acquiri, sed quæri solet, utrum his etiam ignorantibus acquiratur? Respondemus, dari interpretes, quibus visum fuit, patri dominoque non solum scienti, sed et ignoranti per filium aut servum possessionem acquiri sine distinctione, utrum causa possessionis ex peculio orta sit, utrum ex aliâ quâlibet re; sed cum illorum interpretum sententia a naturą possessionis deflectere videatur, verius esse putamus cum Vinnio, Hubero et aliis non minus celebribus, haud alias acquiri patri aut domino ignoranti possessionem, quam si peculii nomine aut causâ apprehensa fuerit, quæ distinctio aperte proponitur in L. 1, § 5, L. 3, § 12, L. 24, L. 44, § 1 ff. h. t. Natura enim possessionis hæc est, ut licet corpore alieno, non nisi animo nostro acquiri possit L. 3, § 12 ff. h. t., quia, quod nos volumus, in aliis esse non potest, at quæ corporis ministerio geruntur, nihil interest nostro corpore an alieno utamur L. 18, L. 53 ff. h. t. Jam autem ab hac possessionis naturâ recedere non possumus, nisi contrarium pro aliquo casu aperte videamus receptum, uti obtinet, quando causa possessionis ex peculio orta est; dicitur enim in L. 44, § 1 ff. h. t., utilitatis causâ jure singulari receptum esse, possessionem ejus, quod servus peculii causâ apprehenderit, domino ignoranti acquiri, ne cogerentur per momenta species et causas peculiorum inquirire (L. 1, § 5 ff. h. t. idem habet de filio). Hæc autem ratio sane cessat, si ex aliâ causâ quam ex causâ peculiari possessio per filium aut servum acquiritur. Præterea neque hoc in casu, mature consideratis circumstantiis, prorsus ab ipsâ possessionis naturâ leges recedunt; nam licet ibi possessio animo et corpore filii aut servi patri dominove acquiri videatur, invenitur tamen a parte illorum, si non sit specialis, saltem in genere animus sibi habendi eas res, quarum possessionis causa ex peculio oritur; nam

cum peculii concessio præsupponat quamdam scientiam, patres dominique volunt, ut quidquid filii aut servi ex eo peculio apprehendant, hoc ipsis acquiratur, et hoc est quod dicitur in L. 1, § 5 ff. h. t., quod voluntate nostrâ intelligantur possidere, quibus peculium habere permiserimus. Verum autem si possessio aliâ ex causâ quam peculiari orta ipsis etiam ignorantibus acquireretur, prorsus ab ejus naturâ leges recederent, cum nulla omnino patris dominive voluntas possessionis acquisitionem præcessisset. At vero quod leges id facere noluerint, quam evidentissime probant verba L. 44, § 1 in medio ff. h. t., quæ hæc sunt : si non ex causâ peculiari quæratur aliquid, scientiam domini esse necessariam. Perperam igitur adversarii putant, leges in quibus opinionem nostram fundamus, accipiendas esse de distinctione propositâ in L. 47 ff. de usurp. et usuc.; nam, ut ex ante dictis patet, possessio sine animo saltem in genere acquiri nequit, id quod tamen ex opinione adversariorum necessario contingit, quando possessio aliâ ex causâ quam peculiari oritur. His non obstantibus insistunt et dicunt, quod dominium per filium aut servum quæsitum acquiratur patri dominove ignoranti sine distinctione, an ex causâ peculiari ortum sit, an vero ex aliâ quâlibet causâ, ergo et possessio, cum nulla solida ratio disparitatis inter acquisitionem dominii et possessionis dari queat, quinimo inquiunt : possessionis acquisitio facilior est, cum facti magis sit. Respondemus, quod hi, qui negant ullam hujus disparitatis rationem dari posse, non satis ad diversam dominii scilicet et possessionis naturam reflexerint; facile enim alias cum Pothier in Pand. Just. ad L. 1, § 5 ff. h. t. comperissent, rationem illius disparitatis provenire ex eo, quod dominium non sit facti sed juris, adeoque sine ullo facto nostro nobis etiam ignorantibus per eos, qui juri nostro subjecti sunt, ac-

quiri posse, at possessio est facti, factumque possidendi necessario continet, unde fit, ut sine aliquo facto nostro, adeoque sine aliquâ nostrâ possidendi voluntate possidere intelligi non possimus. Tenendum itaque arbitramur, quod si possessio aliâ ex causâ quam ex peculiari oriatur, specialis patris aut domini voluntas necessaria sit, et sic temperandæ sunt L. 10, § 2 ff. de acq. rer. dom. L. 34, § ult. ff. h. t. aliæque leges, quæ contrarium habere videntur. Cæterum ex eo quod diximus; possessionem ex peculio ortam patri aut domino ignoranti acquiri, quia peculii concessio supponat saltem animum in genere, notari potest, non aliam quam justam ipsi acquiri L. 24 ff. h. t., eo quod dominus non possit intelligi ei concessisse peculium, ut ex maleficio acquireret.

Hæc de acquirendâ possessione per eos, qui potestati nostræ subjecti sunt. Videamus nunc, quid sit de possessionis acquisitione, quæ fit per extraneos.

Quamquam firmissimum apud Romanos obtineret principium, quod uni per alterum non acquiratur; receptum tamen erat, possessionem per alterum acquiri posse. Et revera, cum hoc principium sit partim juris naturæ partim juris positivi, in tantum nempe, quod non possim acquirere per alterum, cui mandatum dedi (naturale enim est: quod per alium facimus non psi facere videmur), cumque præterea hoc principium sit juris, possessio vero facti; facile potuerunt Romani quoad eam ab eo principio exceptionem facere, eam tamen ad actiones, quas ossibus inhærere dicebant, extendere noluerunt (1). Actionibus autem exceptis possessionem per extraneos ut per procuratorem nobis etiam ignorantibus acquiri posse, certum est § 5 Inst. per quas pers. cuique acq. L. 49, § 5 ult. ff. h. t. L. 1, L. 8 C. h. t. At vero, quod hæ leges non

(1) V. Pothier in Pand. Just. ad L. 49, § 2 ff. h. t.

de omnimodâ ignorantiâ accipi possint, plus quam manifestum est, si ante dicta parum attendantur, sed eos intelligi debere hoc sensu, quo nempe non requiritur, ut sciamus præcise momentum, quo procurator rei possessionem apprehendit; alias enim sequeretur, possessionem sine animo acquiri posse, quod, me merito secundum ejus naturam negasse, puto. Cæterum, licet possessio per procuratorem ignoranti acquiratur; mandans tamen non prius incipiet rem usucapere, si ea a non domino tradita sit, quam sciverit, procuratorem ejus nomine rem apprehendisse L. 1 C. h. t., L. 49, § 2 ff. h. t., L. 47 ff. de usurp. et usuc., idque eâ ratione, quod ad usucapionem incipiendam requiritur bona fides positiva, quam certe non habet, antequam sciat, se habere possessionem, ante enim nequit putare, se dominum esse aut se juste possidere.

Multis itaque in locis scriptum est, possessionem per procuratorem ignorantibus acquiri posse; at cum alius procurator sit specialis, alius generalis, quæritur, an sicuti per procuratorem specialem, ita etiam per procuratorem generalem ignorantibus possit acquiri possessio, v. g. cum Titio procuratione generali commiserim liberam bonorum meorum administrationem, emit et apprehendit meo nomine fundum, an statim ac Titius fundum illum apprehenderit, possessionem ejus acquiram, an vero eo tantum momento, quo sciverim, Titium meo nomine fundum apprehendisse. Respondemus: tametsi sint, qui sustinent, per procuratorem generalem etiam ignorantibus possessionem acquiri posse, et proinde me in casu proposito statim ac Titius meo nomine fundum apprehenderit, possessionem adipisci; verius tamen putamus conformiter explicationi doctissimi nostri Professoris De Bruyn, ad acqui-

5.

rendam domino ignoranti possessionem generale mandatum non sufficere, at aut speciale requiri, aut domini ratihabitione opus esse. Nam, ut ait ULPIANUS in L. 42, § 1 ff. h. t., procurator, siquidem mandante domino rem emerit (suppletur « et acceperit »), protinus illi acquirit possessionem, quod, si suâ sponte emerit, non nisi ratam habuerit dominus emptionem. Fundatur quoque sententia nostra arg. L. 3, § 2, L. 26 ff. h. t., L. 32, § ult. ff. de usurp. et usuc., ex quibus nemo potest incertam rei partem possidere, eâ ratione, quod natura possessionis resistat, quominus quis incertam rei partem possideat, quoniam impossibile est, ut quis habeat animum sibi habendi partem rei, quam ignorat, utrum v. g. sit occidentalis an orientalis. Ergo a pari per procuratorem generalem nemo potest possessionem ignorans acquirere, eo quod natura possessionis resistat, quoniam impossibile est, ut, antequam sciverit rem suo nomine esse apprehensam, habeat animum sibi habendi. Finge enim Titium commisisse Mævio liberam rerum suarum administrationem, Mævius hac procuratione munitus emit et apprehendit fundum nomine Titii, hic antequam emptionis illius conscius sit, interrogatur ab amicis, utrum fundum, quem scilicet Mævius ejus nomine apprehenderat, possideat? Nonne naturaliter responsurus est, se illum fundum non possidere? Quomodo ergo dici potest habere animum sibi habendi, qui animus tamen ad acquirendam possessionem necessario requiritur. Sed dicet quis : bene est, quod dominus generali hac procuratione non habeat animum specialem sibi habendi, at saltem animum in genere acquirendi omne illud, quod mandatarius vi mandati ejus nomine apprehendit; jam autem talem animum diximus sufficere in rebus peculiaribus ex L. 44, § 1 ff. h. t.; ergo et hic debet sufficere. Respondemus, ex eo nihil sententiæ nostræ contrarium deduci posse; etenim, licet placuerit legi-

bus, talem animum sufficere ad acquirendam possessionem ex rebus peculiaribus ortam, inde non potest concludi, animum in genere quoque sufficere pro casu quo agitur de acquirendâ possessione per procuratorem generalem, econtra hæc potius pro nobis probant, cum alias leges hoc quoque expressissent et sic citatæ L. 44, § 1. applicandæ sunt regulæ: inclusio unius est exclusio alterius et exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Insuper quod hoc in rebus peculiaribus receptum sit, factum est contra rationem juris, quæ specialem non generalem animum requirit; sed id quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentia L. 141 ff. de R. J., præcipue dum eadem non militat ratio; ratio enim, quod hoc in rebus peculiaribus receptum fuerit, est, ne cogerentur per singula momenta species et causas peculiorum inquirere, hæc autem ratio non ita militat casu procuratoris generalis.

Præter hæc, quæ hucusque de acquirendâ possessione per alterum diximus, notandum est, quod is, per quem volumus acquirere, talis sit oporteat, ut habeat intellectum possidendi L. 1, § 9 ff. h. t., et ideo, si furiosum servum miseris, ut possideas, nequaquam videris apprehendisse possessionem d. L. 1, § 10. Necesse etiam est, ut velit nobis scientibus atque volentibus possessionem acquirere, nam si jubeas servum tuum possidere, et is eo animo intret in possessionem, ut nolit tibi, sed potius Titio acquirere, non est tibi acquisita possessio d. L. 1, § 19; utque, si extranea sit persona, nomine nostro possessionem nanciscatur § 20, L. 1, aut saltem non declaret, se velle sibi alterive acquirere; debet enim intentio tradentis recta prævalere ipsius intentioni pravæ (1); si autem

(1) Huber. ad L. 13 ff. de donat. Prælect. Instit. tit. per quas person. nr. ult.

persona non sit extranea, alterius nomine non apprehendere sufficit (1). Cæterum, quod diximus, necesse esse, ut nobis scientibus et volentibus acquirat possessionem, duas, ut ex ante dictis colligi potest, patitur exceptiones, alteram in rebus peculiaribus, harum enim ignorantes possessionem justam acquirimus L. 1, § 5, L. 24. ff. h. t., alteram in infante, qui per tutorem, in furioso, qui per curatorem possessionem nanciscuntur L. 1, § 20 ff. eod.

(1) Pothier ad L. 1 ff. h. t. in Pand. Just.



CAPUT TERTIUM.

Quomodo retineatur possessio?

Sicuti possessionem non solum per nosmet ipsos, sed etiam per alios acquirimus, ita etiam et per nosmet ipsos et per alios eam retinemus. Hinc divisimus hoc caput in duas sectiones, quarum in priori videbimus de retentione possessionis, quæ fit per nosmet ipsos, in posteriori vero agimus de retentione possessionis, quæ fit per alios.

SECTIO PRIMA.

Quomodo retineatur possessio per nosmet ipsos?

Vidimus ad acquirendam possessionem necessario requiri corpus et animum, ita quidem ut corpus sine animo aut animus sine corpore ad ejus acquisitionem numquam sufficeret. At leges tam rigorosæ non sunt, ut eam retineri intelligamur; nam ad hoc solum animum sufficere, constat ex L. 4 C. h. t. L. 3, § 11. ff. h. t. § 5 Inst. de interd. Dicitur enim in d. L. 4: licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Huncque retinendi possessionem animum præsumimur conservare, donec de contrariâ nostrâ voluntate luculenter pateat. Quapropter Imperator in d. L. 4 ita prosequitur: si ergo prædiorum possessionem desertam non derelinquendi affectione transacto tempore non coluisti, sed metus necessitate culturam eorum distulisti, præjudicium ex transmissi temporis injuriâ generari non potest. Quinimo neque

necesse est ad retinendam possessionem, ut habeamus voluntatem eam retinendi positivam, sed negativa sufficit, id est, quod sufficiat, voluntatem quam in acquirendâ possessione habuimus, non fuisse mutatam; tamdiu enim quamdiu per contrariam voluntatem non fuerit revocata, censemur possessionem per eam retinere, nisi quis alius eam occupassit, qui nos ad eam redeuntes et eam ingredi volentes repulerit L. 3, § 9 ff. h. t. Hinc etiam, quamvis furiosus propter furorem, dormiens propter somnum desinat habere animum sibi habendi, non tamen suam possessionem amittunt, sed nihilominus eam retinent. At vero quæri potest, cur placuerit legibus, possessionem solo animo potius retineri, quam acquiri posse. Respondemus, ideo possessionem solo animo retineri posse, tum quia omni jure facilior est retentio quam acquisitio, tum quia, si ad retentionem possessionis opus esset corpore et animo, id in nimias difficultates incideret, ita ut necessitas exegerit, ut possessio solo animo retineri posset, cum et alias possessionem multarum rerum acquirere haud possemus, quin eam aliarum rerum amitteremus.

Enim vero quod dicitur, possessionem solo animo retineri posse, hoc ita accipi non potest, quasi qualiscumque animus ad possessionis retentionem sufficeret, sed restringatur opus est ad animum efficacem, id est ad animum, qui conjunctus est cum facultate aut spe morali, rem iterum, cum velimus, corpore apprehendendi; eâ enim facultate amissâ certum est, nos etiam invitos possidere desinere. Hinc is, qui nemine in possessione relicto, ad nundinas proficiscitur, retinet possessionem, quamvis alius eam interim occupaverit, eo quod solâ hac ejus occupatione non amittit facultatem aut spem

moralem, fundum iterum, cum velit, corpore apprehendendi; quoniam, concedente lege, potest redire ad fundum et occupatorem ex eo expellere. Si autem ad fundum reversus, fuerit repulsus aut metuens vim majorem reverti in possessionem non fuerit ausus, cum tunc omnem facultatem et spem moralem, fundum iterum corpore apprehendendi amittat, amittit quoque possessionem L. 6, § 1, L. 25, § ult. ff. h. t., licet forte animum possidendi adhuc retinuerit; quia hic animus ad possessionem retinendam est insufficiens, inefficax, quoniam ut maxime velit eam repetere non amplius potest L. 3, § 13 ff. h. t., et proinde animus suus retinendi possessionem conjunctus non est cum facultate illâ aut spe illâ morali, quâ conjunctus sit oportet, ut solo animo possessionem retinere valeamus.

SECTIO SECUNDA.

Quomodo retineatur possessio per alium?

Sicuti possessionem non solum per nosmet ipsos sed et etiam per alios acquiri vidimus, ita etiam non solum per nosmet ipsos, sed etiam per alios eam retinemus; nam et per colonos et inquilinos aut servos nostros possidemus L. 25, § 1 ff. h. t., et generaliter quisquis omnino nostro nomine sit in possessione, veluti procurator, hospes, amicus, nos possidere videmur L. 9, ff. h. t. L. 3, § 12 ff. h. t. L. 6, § 2 ff. de precario, § 5 Inst. de interd. In hoc itaque possessionis retentio convenit cum ejus acquisitione, differt autem ab hac duobus in punctis. Nempe retentio fit solo animo, acquisitio non nisi animo et corpore simul, de quâ differentiâ in præcedente sectione actum est. At est et altera differentia, quæ consistit in eo, quod scilicet, ut possessionem per alterum acquiramus,

necesse sit, ut is, per quem possessionem adipisci intendimus, velit nobis acquirere; verum autem, ut possessionem per alterum retineamus, opus non est, ut is, per quem possidemus, retineat animum nobis conservandi possessionem; nam licet hunc animum habere desinat, non minus possessionem per eum retinemus. Hinc dicitur in L. 25, § 1 ff. h. t., per colonos et inquilinos aut servos nostros possidemus, et si moriantur aut furere incipiant, aut alii locent, intellegimur nos retinere possessionem. Quin etiam, licet colonus aut inquilinus, qui nostro nomine possidet, non nobis amplius sed sibi ipsi vellet possidere, nihilominus possessionem nobis conservare censeretur ex regulâ, juxta quam nemo potest solâ suâ voluntate aut solo lapsu temporis sibi ipsi mutare causam possessionis (1). Nihil etiam refert, utrum is, per quem possidemus, rem per se ipsum an vero per alium detineat, licet quoque ille, per quem detinet, habeat eum loco domini, et proinde ipsi non nobis se credat esse in possessione; nam possidendo nomine illius, qui rem non possidet, cum non possit sibi mutare causam possessionis, nobis saltem indirecte possessionem conservat, quamvis id ignoret L. 30, § 6 ff. h. t. item L. 32, § 1 eod., ubi dicitur : si conductor rem vendidit et eam ab emptore conduxit et utrique mercedem præstitit, prior locator possessionem rectissime retinet. Hinc reflecti potest, quod, licet emptor hoc in casu mercedem illius fundi percipiat, non tamen illius possessor factus sit; non enim duo possunt eamdem rem in solidum possidere L. 3, § 5, ff. h. t., nec colonus, qui priori locatori possidere censetur, non potest alterius nomine in possessione esse.

Diximus, quod si colonus, qui nobis possidet, moriatur,

(1) V. Pothier traité de la Posses. nr. 60.

nihilominus nos retinere possessionem, et revera ex L. 60, § 1 ff. h. t. retinemus hoc in casu possessionem per ejus hæredes, quamvis etiam coloni nostri non essent, vel quia v. g. res ad vitam tantum locata erat, vel quia forte tempus locationis exspiraverat jacente hæreditate; nam, cum hæres succedit possessioni defuncti, non aliam quam hic habere posset, unde, tametsi se crederet possessorem fundi, censeretur nihilominus nobis conservare possessionem, eo quod nemo possit sibi solâ voluntate, aut lapsu temporis mutare causam suæ possessionis L. 1, § 1 ff. pro hæred.

Ex jam dictis facile intelligitur, quod, si colonus qui nostro nomine possidet, possessione discedat non animo ejus deserendæ sed postea ad eam reversurus, nos possessionem retinemus; nam et voluntate ad eam redeundi conservat nobis possessionem L. 31 ff. h. t.

Quæritur autem, quid dicendum sit, si deserendæ possessionis causâ eâ exierit. Respondemus, JCtos, licet omnes possessionem morte coloni non amitti consentirent, eamdem de casu proposito sententiam haud tulisse. Et revera Sabiniani dicebant, dominum hoc in casu statim et illico possessionem amittere L. 40, § 1 item arg. L. 31 ff. h. t. (JCti enim illarum legum erant sectæ Sabinianorum); neque huic obstant verba ultima cit. L. 40, § 1 *hoc ita* etc., nam hæc verba necessario referenda sunt ad priorem partem *si colonus decesserit,* non ad posteriora *si discesserit* (1). Proculiani vero existimabant, dominum possessionem suam retinere L. 31 ff. de dolo malo. L. 3, § 8 ff. h. t.; dicitur enim in d. L. 31 : quum quis persua-

(1) V. Maurissen Tom. V, pag. 134.

6.

serit familiæ meæ, ut de possessione decedat, possessio quidem non amittitur, sed de dolo judicium in eum competit, si quid mihi damni accesserit, v. g. quia fundus meus incultus mansit, aut quia hoc alicui locum dedit, fundum ingrediendi et me ex eo dejiciendi. Revera et hæc est sententia, ut magis conformis rectæ rationi, quam Justinianus, controversiam illam inter JCtos auferendo secutus est in L. ult. C. h. t., ubi dicitur, quod, si is, qui nomine nostro in possessione est, eam dereliquerit aut alii prodiderit, nihil penitus domino præjudicium generetur, ne ex alienâ malignitate alienum damnum emergat. Quæ ratio locum dedit quæstioni, utrum idem dicendum sit, si colonus possessionem alii non prodidisset, i. e. ex eâ discessisset, ut alius eam occuparet, sed alii tradidisset, quod affirmandum putat VINNIUS ad § 5 Institut. de interd. Postquam enim dixerit, contrariam sententiam aliquando in judicando secutam fuisse Curiam provincialem Frisiæ, ita prosequitur : verius tamen esse, quod his constitutionis verbis « vel alii prodiderit » tradens æque ac deserens comprehendatur, evincere enim rationem, quæ mox subjiciatur, ne ex alienâ malignitate alienum damnum emergat. Ast infundate, ut opinamur; nam, ut sæpe reflecti necesse est, rationes, quas Imperator suis decisionibus addidit, non raro sunt non adæquatæ, sed prudentiâ quâdam sæpe allegat rationes potius æquitatis aut convenientiæ quam juris, ne scilicet decisionibus suis applicetur regula : sublatâ ratione legis tollitur et ipsa lex. Et sane ejusmodi rationes numquam in totum possunt improbari, neque in totum concludunt; unde illæ leges ex rationibus in ipsis allegatis non sunt extendendæ. Sed si de extensione aliquâ agatur, ea facienda est secundum vera juris principia, nam et alias extensio sæpe contra mentem et scopum Imperatoris fieret, ut jam obtineret nostro in casu, si

rationem legis ult. C. h. t. non restringamus ad casum, ubi colonus vel alius possessionem prodiderit, sed eam quâdam extensione etiam applicemus casui, quo colonus possessionem alii tradidit; nam et sequitur tunc quoque, quod is, cui res furto ablata est, possessionem retineat, ne scilicet ex alienâ malignitate alienum damnum emergat, cui tamen non puto aliquem consensurum esse, quoniam sic tota jurisprudentia everteretur. Nec facit quod verbum prodere aliquandò etiam in jure significet tradere; nam quod in dictâ L. significationem illam non habeat, patet desuper ex eo, quod Imperatori tantum propositum fuerit decidere quæstionem controversam inter JCtos; jam autem inter ipsos tantum contraversum fuit, utrum in casu proditionis possessio intelligeretur amissa, de altero vero casu, quo colonus possessionem alii tradidit, nulla fuit inter ipsos controversia, ut constat ex L. 33, § 4 ff. de usurp. et usuc., ubi dicitur, hoc palam esse; verius igitur videtur, hunc casum non esse correctum, et proinde ipsi applicandam esse regulam: juri veteri standum est, donec inveniatur expresse correctum. Præterea hisce dictis et hoc accedit, quod, quando dominus in casu proditionis possessionem suam retineat, fiat hoc mediante legis fictione, nempe statim ac colonus vel alius possessione discesserit, fingit lex detentionem ad ipsum dominum redire, cum alias absque ullâ detentione fictâ vel naturali possideret, quod fieri nequit, cum possessio sine detentione saltem fictâ, non magis quam sine animo intelligatur. At vero quando colonus vel alius possessionem alteri tradidit, non poterat illa fictio admitti, quoniam ad eam admittendam res deberet saltem aliquo momento detentore esse vacua, quoniam leges possibilia quidem non vero impossibilia fingunt; jam autem, quod in casu possessionis traditæ res nullo

momento fuerit detentore vacua, plus quam manifestum est, quoniam res eodem momento, quo colonus vel alius qui nostro nomine in possessione erat, eam amisit, acquisita fuit ei, cui tradita est, utpote colonus eam dimittere non voluit, nisi alter eam acquirat L. 18 ff. de vi et vi armatâ, ita ut nullum temporis punctum amissionem inter et acquisitionem rei intercesserit, unde hoc in casu ad fictionem illam admittendam non habebantur termini habiles.

CAPUT QUARTUM.

Quomodo amittatur possessio?

Cum possessio ex ante dictis solo animo retineatur, patet ad eam amittendam haud sufficere, nos rem corporaliter detinere desinere, si illud animo derelinquendi possessionem non fiat, aut si ex eâ dejecti non simus; et hoc sensu dicit JCtus in L. 8 ff. h. t.: quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo et corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in quâ utrumque in contrarium actum est; verum autem sicuti possessio solo animo retinetur, ita etiam solo animo amitti potest, nam in amittendâ possessione affectio illius, qui possidet, intuenda est. Quapropter si in fundo sis et tamen nolis eum possidere, protinus amittis possessionem L. 3, § 6 ff. h. t. Nec obstat huic, quod ex d. L. 8 dixerimus : quemadmodum nulla possessio adquiri nisi animo et corpore potest, ita nulla amittitur nisi in quâ utrumque in contrarium actum est; quoniam hoc non alio sensu dicitur, quam quod sicuti nemo possessionem acquirat per solam ingressionem, nisi habeat animum eam acquirendi, ita etiam nemo possessionem amittat per solam egressionem, nisi habeat animum eam deserendi. Retentio itaque et amissio possessionis differunt ab ejus acquisitione, quod hæc non nisi animo et corpore, illæ animo etiam solo contingere possint. Amissio jam vero possessionis differt ab ejus acquisitione et retentione, quod hæ non nisi nobis volentibus, illa nobis etiam invitis obtineat, ut ex sequentibus patebit.

SECTIO PRIMA.

Quomodo amittatur possessio nobis volentibus?

Volentes amittimus possessionem duabus ex causis, vel quia eam alii tradimus, vel quia eam pro derelictâ habemus.

Per traditionem amittimus volentes possessionem, ut si rem alii tradamus animo transferendi ei alteri rei possessionem; talis enim traditio necessario continet voluntatem amittendi possessionem, utpote alter eam acquirere non potest, nisi possidere desinamus. Amissio vero, quæ hoc contingit modo, fiet animo et corpore, si traditio vera sit, si autem sit ficta, ut conducendo rem tradendam aut usum fructum retinendo L. 18 ff. h. t., C. h. t., amissio fiet solo animo absque corporali discessione.

Cæterum sicuti dominia rerum, quando sub conditione transferuntur, non prius, puta emptori, acquisita et proinde amissa sunt quam existente conditione, ita etiam possessio sub conditione tradita non prius intelligitur amissa quam existente conditione L. 38, § 1 ff. h. t., quin imo licet nulla conditio fuerit traditioni apposita, non prius sum possessionem amissurus, quam quod is, cui traditio facta est, eam acquisiverit; nam ut habet L. 18 ff. de vi et vi arm, non ante amissa possessio videtur, quam si tradita fuisset emptori, quia nemo eo animo esset, ut possessionem amitteret propter emptorem, quam emptor adeptus non fuisset. Contrarium tamen dicitur in L. 18, § 1 ff. h. t., ubi dicitur, quod, si furioso, quem sanæ mentis existimas, eo quod forte in conspectu inumbratæ quietis fuit constitutus, rem tradideris, licet

ille non erit adeptus possessionem, tu possidere desinas. Sed hoc ideo, quia hoc ipso, quo in eum transferre voluisti possessionem, eamdem amittere voluisti, sine animo autem possessio non retinetur L. 17, § 1 ff. h. t., unde eam simpliciter amittere voluisti, nec potuisti subintelligere hanc conditionem, si furioso acquireretur possessio, cum non dubitares, quin eam tradendo acquireret.

Verum autem cujuslibet traditionis effectus non est, ut per eam possessionem amittamus, sed et oportet eam fieri ab eo, qui liberam rerum suarum administrationem habet, quapropter ex L. 11 ff. de acq. rer. dom. pupillus alienare nullam rem potest nisi tutore auctore, et ne quidem possessionem quæ est naturalis. Neque huic obstat, quod in L. 29 ff. h. t. dicitur, possessionem pupillum sine tutoris auctoritate amittere posse; nam hæc lex non de possessione, sed de corporali detentione, quam luce clarius pupillus amittere potest sine tutoris auctoritate, intelligenda est, idque luculenter patet ex eo, quod statim adjicitur, *non ut animo sed ut corpore desinat possidere.* Pupillus itaque, licet rem corporaliter detinere desierit, non desinit eam animo possidere, et hoc etiam modo ratiocinandum esse putamus respectu furiosi, qui non potest desinere animo possidere L. 27 ff. h. t. Illud tamen, quod pupillus rem alteri tradendo sine tutoris auctoritate non amittat possessionem, patitur exceptionem in L. 2, § 15 ff. pro emptore; sed est ibi casus specialis, qui ad consequentia produci non potest, agitur nempe in hac lege de pupillo, qui pro pubere habitus bonæ fidei emptori rem suam tradidit.

Posteriori jam vero ex causâ possessionem volentes amitti-

mus, si, rem pro derelictâ habeamus, ut si quid in plateam jaciamus, quia illud possidere non amplius volumus; quo casu amittitur possessio animo et corpore. At potest etiam hoc modo solo animo amitti possessio, ut si in fundo sis et nolis eum possidere, protinus amittis possessionem L. 3, § 6 ff. h. t. Hinc patet differentia, quæ hunc inter et præcedentem amittendi possessionem modum habetur, quod ille nempe qui rem alii tradit animo transferendi ei possessionem, non alias eam censeatur velle amittere, quam si alter eam acquisiverit, ille autem, qui rem pro derelictâ habet, vult eam simpliciter amittere nullamque conditionem subintelligit.

SECTIO SECUNDA.

Quomodo amittatur possessio nobis invitis?

Vidimus in præcedenti sectione, amissionem possessionis, quæ fit nobis volentibus, duabus tantum ex causis contingere, vel nempe quia rem alii tradimus, vel quia rem pro derelictâ habemus; verum autem amissionem, quæ fit nobis invitis, pluribus ex causis contingere posse, patet ex sequentibus. Imprimis ex definitione, quam de possessione sistimus, sequitur, eam amitti debere statim ac res eximatur commercio, ut si facta sit sacra aut religiosa, item si servus manumittatur, talium enim rerum nulla intelligitur possessio, L. 30, § 1 et 4 ff. h. t., vel si persona possessoris postea ad possidendum fiat inhabilis, puta quod in alterius potestatem pervenerit, nam is, qui ab alio possidetur, non potest videri aliquid possidere L. 30, § 1, L. 23, § 1 ff. h. t. Amittitur etiam possessio, si res fuerit publicata aut in aliam speciem translata, veluti vestimentum ex lanâ factum L. 30, § 4 ff. h. t., item ob

defectum detentionis possessionem inviti amittimus. Huic tamen modo ut locus sit, necesse est, ut rem ita detinere desinamus, ne facultas aut spes moralis rem iterum corpore apprehendendi nobis amplius supersit; alias enim mediante fictione legis possessionem retinemus L. 3, § 13 ff. h. t. Cæterum tamen haud raro obtinet, quod facultatem illam, et in consequentiam possessionem amisisse intelligamur, sic si res in flumen aut mare inciderit L. 13 ff. h. t., vel rem ita perdiderimus, ut ignoremus ubi sit L. 25, L. 3, § 13 ff. h. t., intelligemur possessionem amisisse defectu detentionis, quoniam his in casibus nullam amplius habemus facultatem, rem iterum corpore apprehendendi. At si rem non ita perdidissemus, quin eam diligenti inquisitione possimus invenire, ut si loci, in quo eam conservandi causâ posuimus, solummodo obliti simus, non amittimus ejus possessionem, quia, cum rem diligenti inquisitione possimus invenire, infirmitas memoriæ non debet nobis adferre damnum L. 44, L. 3, § 13 in fine ff. h. t.

Quid juris autem de animalibus? Respondemus : si de possessione ferarum agatur, amittimus eam una cum dominio, statim ac oculos effugerint vel ita sint in conspectu nostro, ut difficilis sit earum persecutio § 12 Inst. de rer. divis., L. 5 ff. de acq. rer. dom. Romani enim hoc in casu deflexerunt a regulâ, secundum quam possessione amissâ non ideo amittitur dominium. Hinc tamen non a jure naturæ recedunt, sed potius ad id accedunt; nam cum dominium ferarum acquiratur per occupationem, locus est juris naturalis regulæ, quod aliquid dissolvatur eodem genere, quo colligatum est. Dominium itaque et possessio, licet nihil inter se commune habeant L 12, § 3 1 ff. h. t., pari passu hic ambulant, id quod

7.

indubitate receptum est publicæ utilitatis causâ, nempe ad evitandas lites, quæ quotidie circa earum dominium essent nascituræ. Idem juris est de feris mansuefactis, cum hac tamen differentiâ, quod hæ eousque nostræ esse intelligantur, donec animum revertendi habeant § 15 Inst. de rer. divis. Quod vero jam attinet animalia mansueta, nulla inter ipsa et alias res mobiles differentia datur, ita ut amissâ eorum possessione non ideo amittatur eorum dominium. Hinc si quis nobis furto aut rapinâ auferat equum, possessionem quidem non autem dominium illius equi sumus amissuri L. 15 ff. h. t.; res enim mobiles furto aut rapinâ nobis ablatas recuperare, cum velimus, non amplius possumus, et proinde earum possessionem necessario amittimus. Aliud tamen foret, si is, qui eas sustulit, potestati nostræ subjectus est; tamdiu enim, quamdiu res apud ipsum sint, earum possessionem retinemus, quia per ejusmodi personas acquiritur nobis possessio, et melior non vero deterior fit conditio nostra. Estque etiam hac ratione, quod servi fugitivi omniumque rerum, quas secum tulit, possessionem non amittimus; nam sicuti aliarum rerum possessionem intervertere non potest, ita etiam nec sui possessione nos privare potest ex d. L. 15, alius tamen si ejus possessionem nactus sit, desinimus eum possidere L. 1, § 14 ff. h. t. At nec tunc possessionem amittimus furto servi, sed quia alius possessionem ejus acquisivit.

Immobilium vero possessionem amittimus inviti, si quis nos vi ex eâ dejiciat L. 3, § 9, nisi esset in potestate nostrâ constitutus; tunc enim nihilominus possessionem retinemus L. 40 ff. h. t., quia per eum possessionem acquirimus et melior non deterior fit conditio nostra. Amittimus etiam possessionem, si ab eo, qui nobis absentibus possessionem occupavit,

ad eam reversi repulsi fuerimus, aut metuentes vim majorem animum detinendi objecerimus L. 3, § 7, 8 et 9, L. 6, § 1, L. 25, § 2 ff. h. t. Solâ itaque ejus occupatione possessionem non amittimus, id quod aliter obtinere vidimus in rebus mobilibus. At ratio disparitatis non est difficilis datu; provenit enim ex diversâ rerum naturâ, et revera diximus, possessionem retineri, donec facultatem rem iterum corpore apprehendendi habeamus, jam autem in rebus immobilibus solâ occupatione facultatem illam non amittimus, utpote possumus fundum adire et occupatorem expellere, quod tamen contingit in rebus mobilibus, nam cum illæ res pro detentoris arbitrio de loco in locum transferri possint, impossibile est, nos eas adire et occupatorem expellere. Unde non mirum, quod, licet immobilium possessio solâ occupatione non amittatur, possessionem mobilium tamen amittamus statim ac quis eas occupaverit, quoniam solâ eorum occupatione desinimus habere facultatem eos etiam corpore apprehendendi.

Alii etiam sunt modi, quibus immobilium possessionem inviti amittimus, ut si fundus a flumine aut mari occupetur L. 3, § 17, ff. h. t.; nam cum sic non amplius pateat nobis regressus ad locum, inundatio licet causam dominii non mutet, possessionem aliaque jura, quæ in facto personæ consistunt, ut usum et usumfructum nobis aufert. His tamen obstare videtur L 30, § 3 ff. h. t., ubi dicitur: possidere *non* desinimus; at legendum est possidere *nos* desinimus, uti plures editiones habent, nisi velimus eam accipere de inundatione ad paucos dies, qualis erat Lovanii 20 Januarii 1820. Tandem amittimus adhuc possessionem inviti, si prætor aliquem mittat in eam secundo decreto L. 15, § 21 ff. de damno infecto

L. 30, § 2 ff. h. t. Hac enim missione considerat prætor me tamquam rem pro derelictâ habentem, eo quod obligationi, quam leges mihi imponunt L. 15, § 1 ff. de damno infecto, satisfacere contrecto; hinc etiam is, qui rem ex secundo decreto possidet, usucapit eam quasi titulo pro derelicto.

Egimus hucusque de amittendâ possessione, quam per nosmet ipsos detinemus, videamus nunc quomodo amittatur possessio, quam per alium tenemus. Et quidem imprimis amittimus illam possessionem, si is, qui nostro nomine in possessione est, ex eâ dejiciatur, illo enim dejecto nos ipsi dejecti videmur L. 1, § 22, L. ult. de vi et vi arm., vel si relictus in possessione eam alii tradat L. 33, § 4 ff. de usurp. et usuc., aut si nos fundum ingredi volentes repellat, aut si furti causâ rem contrectet L. 3, § 18 ff. h. t. Quæritur autem quid dicendum sit, si v. g. depositarius sibi possidere constituerit, at rem nondum loco moverit, an solâ illa inficiatione dominus possessionem suam amittet? Et quidem ex L. 3, § 18 ff. h. t. videtur hoc esse negandum; dicitur enim hac in lege : sed si eam loco non moveris et inficiandi animum haberes, plerique veterum Sabinus et Cassius recte responderunt, possessorem me manere. Econtra vero ex L. 47 ff. h. t. sententia affirmativa ferenda videtur; nam hac in lege dicitur: si rem mobilem apud te depositam aut ex commodato tibi possidere, neque reddere constitueris, confestim amisisse me possessionem vel ignorantem responsum est. Duæ itaque illæ leges sibi invicem contradicere videntur, unde quæritur, qualem in decidendâ quæstione debeamus sequi. Et quidem Huberus nr. 4 ad h. tit. putat, quia corpore acquiritur possessio, sequi, inficiatione rei depositæ aut commodatæ possessionem non amitti, sed re demum motâ. Ast infundate,

ut opinamur; solo enim defectu detentionis possessio amitti potest, eo quod, licet forte animum possidendi non dimiserit, ille animus ad retinendam possessionem est inefficax, nisi sit ipsi adhuc facultas, rem iterum corpore apprehendendi; jam autem nostro in casu deest ipsi omnis detentio nec habet amplius facultatem, rem iterum corpore apprehendendi, utpote est res mobilis, non potest ad eam redire et occupatorem expellere; desiit igitur rem in potestate habere, et proinde etiam possidere. Quapropter agnoscentes antinoniam inter d. L. 47 et d. L. 3, § 18, putamus illam non vero hanc in decidendâ quæstione sequi debere. Nec dicat quis, quod leges conciliandæ sint, quodque L. 47 conciliari possit cum L. 3, § 18, dicendo cum MAURISSEN (1), JCtum in L. 47 supponere, factum, quo depositarius rem loco movisse censeri debet, præcessisse, dum sibi in animum induceret, rem depositam non reddere. Nam quod duæ illæ leges sic conciliari non possint, patet ex eo, quod hoc supponendo fieret depositarius in L. 47 possessor rei depositæ, jam autem quod JCtus tale factum præcessisse non supponat, quodque proinde depositarius non fiat possessor rei depositæ, luculenter patet ex iis, quæ JCtus postea adjicit; comparat enim casum, de quo agitur, cum casu ubi quis amittit possessionem, licet nemo alius eam acquirat, nam ita prosequitur : cujus rei forsitan illa ratio est, quod rerum mobilium neglecta atque amissa custodia, quamvis eas nemo invaserit, veteris possessionis damnum adferre consuevit. Unde manifeste videtur nobis sequi, JCtum non supponere factum præcessisse, dum depositarius constituebat depositum non reddere; cum alias nulla daretur ratio comparandi nostrum casum cum eo, de quo in sequentibus sermo est. Sed quæret quis : an ergo depositarius solâ in-

(1) Tom. V, pag. 132.

ficiatione, si dominus possessionem amittat, eam non acquirit? Negative; potest enim res tum ex rerum naturâ cum ex legum dispositionibus esse possessore vacua. Quid igitur depositarium facere necesse est, ut possessionem rei acquirat? Necesse est, ut eam loco moveat L. 3, § 18 ff. h. t.; nam cum hoc in casu possessio acquiratur inter invitos, leges nihil supplent, ita ut naturali rei apprehensione hic opus sit, ut depositarius rem sub potestate suâ redactam habere videatur, alias enim leges assisterent furto, quod fieri nequit:

Quid juris de possessione rei, quæ sequestratur? An amittitur illa possessio per sequestrationem, et si amittatur an acquiritur sequestri? Et quidem distinguendum est, utrum sit ipsa res, quæ sequestratur, an vero ipsa possessio. Priori casu certum est possessionem non amitti, cum in sequestratione tantum agatur, ut res custodiatur, quod, utpote fit in securitatem actoris, fiat etiam necesse est eum minimo rei damno, jam autem securitas actoris non postulat, ut in sequestrem transeat possessio, quæ præterea reo hoc tempore maxime est utilis, cum in pari causâ melior sit conditio possidentis, quapropter dominus possessionem amittere non debet. Aliud autem est, si sit ipsa possessio, quæ sequestratur, eam enim tunc amitti constat ex L. 39 ff. h. t., item ex L. 17, § 1 ff. depositi, eo quod hoc in casu agitur, ut, partibus litigantibus ac ambigentibus uter rem possideat, neuter eam teneat, quapropter res tantisper ad tertium transfertur, donec lite decisâ pateat, utrius sit jus. Hinc tamen sequester non habet veram et proprie dictam possessionem, cum desit ipsi animus sibi habendi id est animus domini, verum cave inde concludas, sequestrem nullam habere possessionem; nam est ipsi saltem naturalis possessio, quam definimus detentionem absque animo

domini, et cum inter litigantes potissimum actum fuit, ut detentio detinenti non prosit, leges tribuunt ei omnes possessionis effectus. Unde si v. g. duo principes in eâdem sylvâ sibi jus competere litigantes, et cum conditio possessoris melior sit, ambo possessionem sylvæ contendentes conveniant inter se, possessionem sylvæ, ut rixæ inde nascituræ evitentur, apud judicem sequestrari, neuter principum quidem interea temporis poterit in sylvâ venari, sed judici, apud quem possessio sequestrata est, donec inspectâ causâ possessorem assignet, hoc licebit, quoniam leges omnes possessionis effectus ipsi tribuunt.

CAPUT QUINTUM.

De commodis possessionis.

Licet possessio sit facti non juris, plura tamen tribuit possessori commoda, quæ, ut ex sequentibus patebit, ipsi admodum favorabilia sunt; at cum alia cum bonæ tum malæ fidei possessori competant, alia soli bonæ fidei possessori, primum de illis, tunc de his nobis agendum venit.

SECTIO PRIMA.

De possessionis commodis cum bonæ tum malæ fidei possessori competentibus.

Inter commoda possessionis cum bonæ tum malæ fidei possessori competentia præcipuum consistit in eo, quod quilibet possessor per hoc solum, quod possidet, conjiciat onus probandi in adversarium suum; quisque enim censeri debet se nolle occupare possessionem, quam noscit ad se haud pertinere, neque etiam pro communi agendi modo hominum credendum est, dominum se possessione suâ privari passurum esse. Unde merito possessio, ut constat ex L. 2 C. de prob., transfert onus probandi in adversarium; sunt tamen interpretes, qui putant illud accipi debere de justâ non vitiosa possessione. Hæc, inquiunt, non prodest, ut quis commodo possessionis fruatur, sed onus probandi subire cogitur, quem in

finem allegant L. 15, L. 20 C. de prob.; ast infundate, ut opinamur, uti probat expressus textus L. ult. C. de rei vind.; dicitur enim in hac lege, possessorem, quamvis nullam justam tenendi causam habeat, rem a se petitam restituere non debere, nisi actor suam intentionem impleverit, hoc est dominium suum probaverit. Constat igitur ex d. L. ult., quod etiam injusta possessio onus probandi transferat in actorem, eoque onere relevet possessorem, ita ut actore non probante res possessori injusto relinquatur. Nec adversantur L. 15 et L. 20 Cod. de prob., quia in illis agitur de causâ status, quæ favorabilis est, ac semper quis talis esse præsumitur, qualis credebatur tempore commissæ violentiæ, secus vero se res habet, quando non de statu personæ sed de simplici dominio aliarum rerum tractatur.

Insuper nec sufficit, actorem probare, se jus in re habere, sed opus est, ut probet, se plus juris in re habere quam possessorem; alias enim res apud hunc adhuc manet, cum in pari causâ possessor potior haberi debeat L. 126 ff. de R. J., eâ scilicet ratione, quod alias non detur ratio mutandi statum rerum. Hinc si duo rem emerint a non domino, is potior habetur atque tuendus est, cui prius tradita est possessio L. 9, § 4 ff. de publ. in rem act.; qualiscumque enim possessor hoc solo quod possidet plus juris habet, quam qui non possidet L. 2 ff. uti possid. Quæ regula et in delictis procedit; nam cum par sit delictum duorum, melior est causa possessoris, veluti si mulieri quid sit datum, ut copiam sui corporis faceret, cessat soluti repetitio, quia ubi dantis et accipientis turpitudo versatur, melior est causa possidentis L. 4, § 3 ff. de R. J. Hinc etiam pro rei possessore in dubio pronuntiandum est L. 125 ff. de R. J.; proniora enim sunt jura ad absolvendum

quam ad condemnandum, nam etsi reus nihil præstiterit nihil probaverit, actore non probante reus absolvitur.

Præterea non solum quilibet possessor ab onere probandi liberatur, sed nec regulariter tenetur edere titulum suæ possessionis L. 11 C. de petit hæred. Dico regulariter, quia in petitione hæreditatis potest cogi dicere, utrum pro hærede an vero pro possessore possideat d. L. 11 C. Pro possessore vero juxta L. 11, § 1, L. 12 et 13 ff. de petit hæred. dicitur possidere, qui nullum titulum habet, vel quidem habet sed eum allegare non vult, aut etiam quidem titulum allegat sed invalidum. Rationem vero, cur potius in petitione hæreditatis quam in rei vindicatione aut aliâ quâvis actione possessor possit cogi edere titulum suæ possessionis, dat nobis MAURISSEN (1), quia, ait, in cæteris actionibus non interest actoris scire, quo titulo possessor possideat; si enim v. g. agat reivindicatione, debet probare dominium, quocumque titulo possessor possideat, eoque probato rem suam recuperabit, nullo ergo modo ejus interest scire, quo titulo possessor rem teneat. Aliud est in petitione hæreditatis; cum enin hæc tantum detur contra pro hærede vel possessore possidentem, non vero contra alio quovis titulo possidentem v. g. pro emptore donatario etc., contra quos reivindicatio est intentanda, multum interest scire quo titulo possideat; nam in reivindicatione debet probare dominium, quod sæpe admodum difficulter probatur, ubi in petitione hæreditatis sufficit probare actori, se esse hæredem, et rem illam, quam alter possidet, esse ex hæreditate, quod plerumque non ita difficulter probatur.

Ex dictis jamjam patet, quantum favorabile sit possidere,

(1) Tom. I, pag. 130.

quo factum est etiam, quod, ne partes consequendæ possessionis causâ ad arma veniant, cuilibet possessori comparata sint interdicta, quibus mediantibus possessionem, si in eâ turbetur aut etiam eâ spoliatus sit, retinere vel recuperare potest.

Retinendæ possessionis gratiâ comparata sunt interdicta uti possidetis et utrubi, prius est de rebus soli, posterius de rebus mobilibus L. 1 ff. uti possid. L. un. ff. utrubi. Hæc olim non nihil dissimilia erant, at illorum potestas, quantum ad possessionem attinet, ab Imperatore exæquata est § 4 Inst. de interdictis.

Hinc quilibet possessor, qui in possessione suâ turbatur, potest per alterutrum, prout de possessione rei mobilis vel immobilis agitur, agere contra turbantem, ut in posterum turbare desinat, præstetque quanti ipsius interest, possessionem turbatam non esse L. 3, § ult. ff. uti possid. Ad hoc tamen necesse est, ut possessionem nec vi nec clam nec precario ab adversario litis contestatæ tempore detineat § 4 in fine Instit. de interd. L. 1 ff. uti possid. L. un. C. eod., ubi, et his scilicet verbis « nec vi nec clam nec precario » ab adversario excluditur vitiosa possessio. Opus itaque est, ut vitiosa possessio, id est, vel vi vel clam vel precario ab adversario obtineatur; nam si alter non ab altero, sed ab extraneo possideat, licet vi aut clam aut precario, nihilominus Prætor possessorem tuetur L. 1, § ult. et LL. sqq. ff. uti possid., et hoc est quod dicitur in L. ult. ff. de acq. vel amitt. poss., vitiosam possessionem adversus extraneos prodesse solere.

Aliud vero interdictum comparatum est possessori, qui non solum in possessione suâ turbatur, sed ex eâ vi dejicitur. Pro-

ditum nempe est ipsi, ut possessionem suam recuperare possit, interdictum unde vi, quod summam habet æquitatem, cum efficiat, ne violentia unius sit alteri damnosa. Hinc tamen ad qualemcumque possessionem recuperandam hoc interdictum non datur, pertinet ad eos tantum, qui de fundo et ædibus dejiciuntur, ad rerum vero mobilium possessionem recuperandam non pertinet, eo quod pro his sufficit actio furti aut vi bonorum raptorum L. 1, § 3 ff. de vi et vi arm. Si tamen quædam res mobiles in fundo vel in ædibus, unde quis dejectus est, tunc cum dejiceretur, habeantur; placuit earum nomine interdictum competere d. L. 1, § 6 ff. eod., quia verum est vi de eo loco dejectum esse L. 1, § 2 ff. h. t.

Competit jam vero hoc interdictum soli possessori, qui solus possessione dejici intelligitur, nec interest, utrum per se an per alium possidet, quoniam eo, per quem possidet, dejecto ipse possessione dejectus videtur d. L. 1, § 22. Plane fructuario et usuario, licet hi non magis quam colonus vel alius, qui nostro nomine in possessione est, possideant L. 3, § 13 ff. eod., hoc interdictum quoque datur; his enim plus tribui solet, quia emolumentum rei suo jure percipiunt. Juste verum an injuste possederit, non interest; nam et prædoni ac spoliatori hoc interdicto succurritur d. L. 1, § 30 et L. 12 ff. eod., et hoc non tantum si vi aut clam aut precario ab alio possideant, verum etsi ab eo, quem vi dejecerunt, quia hoc in interdicto visum est, dejectum statim et sine exceptione restituendum esse, ne occasio detur tumultui. Datur itaque hoc interdictum cuilibet possessori, idque contra eum, qui vi dejecit L. 2, § 4 C. unde vi, ut possessionem nempe cum fructibus omnique utilitate, quæ ad eum, qui dejectus est, venire potuisset, si dejectus non foret, restituat L. 1, § 40, L. 15 ff.

eod. L. 4 C. eod. Contra tertium autem possessorem non datur L. 7 ff. eod., nec interest utrum malâ fide fuerit nec ne; est enim hoc interdictum personale conceptum in eum, qui vim fecit.

Non solum omni possessori competunt interdicta, quibus possessionem suam vel conservare vel recuperare potest, sed et licet cuilibet possessori privatâ suâ auctoritate resistere iis, qui ipsum de possessione dejicere conantur, et vi repellere eos, qui cum armis veniunt, non ex intervallo sed in continenti et fervente adhuc congressu, quia alias non tam videretur defensio jure naturali permissa, quam offensio et ultio privatis prohibita L. 1, § 23, L. 3, § 9 et 17 ff. de vi et vi arm. Hinc si dejectus in continenti et fervente adhuc congressu dejicientem rursus dejecit, possessio in pristinam causam potius reversa, quam ille vi possidere intelligendus est L. 17 ff. eod.

SECTIO SECUNDA.

De possessionis commodis soli bonæ fidei possessori competentibus.

Inter hæc possessionis commoda primum, quod sibi vindicat locum, illud est, quod possessio, scilicet tempore, quod usucapioni præscriptum est, completo, dominium adjiciat bonæ fidei possessori.

Alterum est, quod fructus faciat percipientis; verum autem quomodo illud sit intelligendum, videamus.

Imprimis non dubitamus, quin bonæ fidei possessor justo

titulo munitus faciat omnes fructus suos, tam naturales, qui solâ operante naturâ absque hominis facto proveniunt, ut sunt pomum, fœnum, sylva cædua, quam industriales, hoc est, qui culturam et curam hominis requirunt, ut sunt frumentum, vinum, oleum etc.; idque tum quia leges tamdiu, quamdiu verus dominus non appareat, tribuunt bonæ fidei possessori idem jus ac domino, qui omnes fructus suos facit L. 25, § 3 ff. de usuris, tum quia ex L. 48 ff. de acq. rer. dom. omnes fructus sibi acquirit, quia quod fructus attinet loco domini pene est; ergo etiam naturales sibi acquirit, cum alias non esset verum dicere, quod omnes fructus sibi acquirat. Nec obstat verbum *pene*, quo utitur L. 48 cit.; nam hoc aliâ ratione adjicitur, quam quod bonæ fidei possessor non irrevocabile fructuum dominium acquirat. Diximus *justo titulo munitus*, quia si possessor, licet bonæ fidei, eo instructus non sit, magis est, ut fructus naturales suos non faciat (1). Plane si justo titulo instructus sit, naturales quoque sibi acquiret, tametsi rem, unde fructus percipiuntur, usucapere non possit L. 48 pr. et § 1 ff. d. t. L. 4, § 19 ff. de usurp. et usuc.

Quæritur autem, quousque faciat fructus suos? Respondemus, eousque mala fides ipsi supervenerit aut lis fuerit ipsi contestata, statim itaque ac sciverit rem esse alienam, desinit fructus suos facere; nam acquisitio fructuum ex bonâ fide proficiscitur L. 23, § 1, L. 48, § ff de acq. rer. dom. Nec obstat quod mala fides, quæ possessori supervenit, cœptam rei usucapionem non interrumpat de jure civili; nam provenit hoc ex eo, quod in rei usucapione agatur tantum de unicâ usucapione, et cum usucapio semel completa operetur cum

(1) V. Voetium nr. 30 ad tit. de A. R. D.

effectu retroactivo ex L. 16 ff. de fundo dotali, fictione legis excluditur mala fides, quæ currente usucapione possessori supervenit, quoniam effectu retroactivo videatur semper bonæ fidei fuisse. At vero in fructibus non agitur de unicâ usucapione sed de tot usucapionibus, quot sunt fructuum perceptiones, ita ut fructus bonâ fide percepti ipsi quoque cedere debeant, licet mala fides ipsi superveniat, cum hos effectu retroactivo, quocum eorum usucapio operatur, videatur bonâ fide acquisivisse; id quod de malâ fide perceptis dici non potest.

Bonæ itaque fidei possessor facit omnes fructus suos tam naturales quàm industriales, at quæritur, an eos irrevocabiliter faciat suos, ita ut domino supervenienti et rem suam repetenti nullos restituere teneatur. Et hoc quidem, licet sint, qui industriales irrevocabiliter cedere possessori volunt, sine ullâ iterum distinctione negandum putamus; sed, modo fructus nec consumpserit nec usuceperit, tenetur eos omnes domino restituere, quo facit § 35 Inst. de rer. divis., qui agens de restitutione industrialium dicit de consumptis non agi, ut videatur indicare de exstantibus agi posse, cum inclusio unius est exclusio alterius, idem habet L. 4, § 2 ff. finium regund., insuper expresse nobis facit L. 22. C. de rei vind., ubi exstantes fructus indistincte dicuntur restituendi: hinc etiam utitur L. 48 ff. de acq. rer. dom. verbis *pene* et *interim*. Præterea et ratio juris hoc postulat, ideo enim bonæ fidei possessor fructus præsertim acquirit, quia interim, donec dominus compareat, ipse pro domino habetur, itaque domino comparente deficit ratio, ex quâ fructus acquirat aut retineat; quapropter eos omnes, nisi usucapti aut consumpti sint, domino debet restituere, consumptos enim excepto casu L. 48 ff. de rei vind. restituere non debet, ta-

metsi inde sit factus locupletior, tum quia consumptos lucrari dicitur L. 4, § 2 ff. finium regund., lucrari autem non videretur, qui restituit, quatenus locupletior est factus, sed magis ei lucrum extorqueretur, tum etiam quia definitum est, de consumptis agi non posse.

Ex dictis patet, nullam de jure Romano faciendam esse distinctionem inter fructus naturales et industriales, sive agatur de eorum acquisitione sive de eorum restitutione, ad quam bonæ fidei possessor domino supervenienti et rem suam repetenti tenetur. Cujus hæc, ut puto, est ratio : ideo nempe Romani nullam inter fructus naturales et industriales distinctionem admiserunt, quia si inter eos distinxissent, debuissent secundum Jus Naturæ seu Gentium dicere, bonæ fidei possessorem fructus industriales facere irrevocabiliter suos, eâ ratione quod curâ et culturâ suâ eos percepit; econtra vero naturales ipsi cedere non potuissent, nam hi nullam curam et culturam desiderantes naturaliter ex re proveniunt, et proinde non nisi domino rei cedere possunt; Romani autem videntes plerumque difficillimum esse discernere, an quidam fructus sint mere naturales, an vero industriales, non ignorarunt illud posse præbere materiam multis litibus, quapropter, ut lites inde nascituros præscinderent, dixerunt : statuamus, ut bonæ fidei possessor restituat domino supervenienti omnes fructus exstantes non usucaptos sine distinctione, an sint industriales an vero naturales; at ne inde nihil injuste oriatur, retineat sibi indistincte omnes consumptos. Patet ergo, illud compensatione quâdam stabilitum esse ad præscindendas lites, quæ in discernendo, an sint fructus naturales an industriales, nascituræ erant; unde et illud observari potest, quod bonæ fidei possessor non faciat omnes fructus eodem jure suos, indus-

triales enim facit suos Jure Gentium, naturales autem Jure Civili, nam ex Jure Gentium necessario pertinent ad dominum rei.

Cum is, qui bonâ fide et justo titulo acquisitam possessionem ante completam usucapionem casu amittit, nullam habeat in rem directam actionem ad eam persequendam, id quod sane durum erat; aliud adhuc bonâ fide et justo titulo possidenti tribuit commodum Publicius Prætor § 4 Inst. de action., dando nempe ei, qui bonâ fide et justo titulo possessionem acquisivit, et postea ante completam usucapionem eam casu amittit, actionem nomine publicianam, quâ mediante possessionem suam a quocumque debiliori titulo possidente recuperare potest; æquius enim est possessionem restituere ei, cujus jus fortius est, quam eam conservare ei, qui nullo vel debiliori jure eam habet. Illud itaque possessionis commodum, ut plerumque actiones prætoriæ, solâ æquitate fundatur, quapropter etiam non competit nisi ei, qui possessionem casu amisit; nam si hoc factum sit facto suo proprio vel culpâ suâ, cum tunc sibi ipsi imputare debeat, quod rem illam non habeat, cessat æquitatis ratio, ob quam ei actione publicianâ succurendum erat.

Diximus autem : qui justo titulo possessionem nactus est, unde quæritur, utrum non sufficiat, possessorem eam acquisivisse titulo putativo. Et quidem licet hic titulus ad usucapionem sit sufficiens L. ult. ff. pro legato, non dubitamus, quin insufficiens sit, ut bonæ fidei possessor hoc possessionis commodo frui valeat L. 2, § 16 ff. pro emptore; nam quod hoc in usucapione receptum est, factum est contra rationem juris, sed quæ contra rationem juris recepta sunt, non pos-

9.

sunt ad consequentia produci L. 141 ff. de R. J., præsertim dum adest ratio disparitatis, uti nostro in casu. Ideo nempe in usucapione titulum putativum sufficere placuit, quia per eam dominia rerum fiunt certa, et lites præscinduntur; at vero si titulus putativus ad publicianam sufficeret, tantum abest, ut per eam lites præscinderentur, ut potius multiplicarentur, dominiaque rerum incerta fierent (1). Publiciana itaque non competit nisi ei qui revera justo titulo possidet, at contra quem datur? Diximus jamjam : contra omnes qui nullo vel debiliori jure aut titulo possident; titulus autem lucrativus hac in materiâ dicitur titulo oneroso debilior, quia, uti vidimus, actio publiciâna solâ æquitate fundatur, et sane æquitate inspectâ potiores esse debent partes illius, qui certat de damno evitando, quam partes illius, qui certat de lucro captando.

Ex dictis patet, actionem publicianam non dari contra dominum aut contra eum, qui æquali vel fortiori jure possidet, at hoc intelligendum est cum effectu; nam ipsò jure datur etiam contra prædictos possessores, sed repellent actorem vel exceptione dominii, vel exceptione, quod fortiori vel æquali jure possideant L. penult. ff. de act. publ. Sunt tamen casus, in quibus hæc actio etiam cum effectu datur contra dominum, et a fortiori contra æquali vel fortiori jure possidentem, v. g. si actualis possessor rem justo titulo ab eodem non domino acquisierit; nam tunc is, qui antiquiorem possessionem habet, debet præferri L. 9, § 4 ff. de publ. act. Casus vero in quibus cum effectu datur contra dominum exhibent nobis L. 7, § 7 ff. de publ. act. L. 72 ff. de rei vind. L. 2 ff. de except. rei vend. et trad. L. 4, § 1 ff. de doli mali except.

(1) V. Maurissen, Tom. I, pag. 388.

CAPUT SEXTUM.

De possessione ex Jure Hodierno.

Cum possessio ex eo, quod per eam res nostras sub potestate habemus, et proinde de iis pro lubitu disponere possumus, naturaliter conjuncta sit cum proprietate, contingit aliquando, quod proprietas quoque verbum possessionis significet; nam sicuti hoc de Jure Romano in eo, qui possessiones suas legasset, responsum est L. 78 ff. de V. S., ita etiam hoc de Jure Hodierno observari potest ex art 670 Cod. Civ. ubi dicitur : « toute haie... est réputée mitoyenne à moins qu'il n'y ait... possession suffisante au contraire; » nam, ut patet, loquitur hic articulus de possessione, quæ jus proprietatis possidenti attribuit, possessio autem proprie dicta, cum facti tota sit non juris, nullum jus proprietatis possidenti attribuere potest. At licet hoc in casu verbum *possession* proprietatem significet, non ideo tamen cum hac confundi potest; sunt enim duæ res valde distinctæ, uti luculenter patet ex eo, quod possumus possessionem alicujus rei habere, absque quod illius dominium habeamus, et vice versâ, v. g. quando quis rem a non domino emptam ac traditam accepit; is enim licet possessionem rei acquisiverit, non tamen illius dominus factus est, utpote ille, a quo rem tenet, dominium ipsi transferre non potuit secundum regulam : nemo potest plus juris in alium transferre quam ipse habet. Hinc non immerito Codex Civilis hodiernus diversis in articulis distinguit possessionem a dominio, uti constat ex art. 578 respectu ususfructus, ex art. 1127,

juxta quem sola rei possessio potest esse objectum alicujus contractus, ex art. 1141, qui, si una et eadem res mobilis vendita est duobus, proprietatem illius rei transfert ei, qui prius, si saltem bonâ fide fuerit, possessionem nactus est. Tandem quod Codex possessionem inter et proprietatem distinquat, patet ex art. 2243, secundum quem omnis possessionis favor aufertur illi, qui abhinc integro anno fuerit possessione suâ privatus.

SECTIO PRIMA.

De definitione et divisione possessionis.

Definitur possessio ex art. 2228 Cod. Civ. *la détention ou la jouissance d'une chose ou d'un droit, que nous tenons ou que nous exerçons par nous-mêmes ou par un autre, qui la tient ou qui l'exerce en notre nom.* Patet hac ex definitione, quod sicuti ex art. 581 et 587 non quasi sed verus ususfructus constituatur in rebus consumptibilibus, ita etiam res incorporales non quasi sed vere possidere hodie intelligamur, articulus enim 2228 dicendo : « la possession est la détention ou la jouissance d'une chose ou d'un droit » quam evidentissime possessionem rerum corporalium cum quasi-possessione rerum incorporalium confundit. Aliud autem, uti vidimus, obtinebat de Jure Romano, solæ res corporales dicebantur ex L. 3 ff. de acq. vel amitt. poss. proprie possideri, incorporales vero aliis ex legibus quasi non proprie possidebantur, eo quod detentio, quæ consistit in factis corporalibus, in res incorporales non nisi in intellectu exsistentes non potest cadere, unde id rerum naturæ multo conformius erat. Cæterum quid sit detinere, quodque id diversis pro diversâ rerum naturâ fieri

possit, explicavimus superius in nostrâ Dissertatione; quare hæc inutiliter hic repetenda esse arbitramur. Nec quidquam illius respectu interest, utrum de rerum corporalium an vero incorporalium possessione agatur; nam sicuti de Jure Romano rem incorporalem quasi possidere videbamur per juris nostri exercitium, ita etiam de Jure Hodierno videmur per idem exercitium rem incorporalem proprie possidere. Hinc proprie possidemus servitutem eâ utendo, licet non possideamus fundum, qui eam debet, sic is qui habet servitutem eundi per fundum sui vicini, possidet illam servitutem eundo per fundum, quem non possidet. Verum autem cum in definitione a Codice Civili datâ non habeatur, quod, ut quis possidere intelligatur, necesse sit, ut habeat animum sibi habendi, utque insuper res, quas vult quis possidere, sint in commercio constitutæ; posset quis dubitare, an quidem de Jure Hodierno duas illas conditiones exsistere oporteat, ut quis civiliter et juridice possidere intelligatur. Sed ne dubitet; nam licet in definitione nulla de istis conditionibus fiat mentio, certum tamen est, quod non minus de Jure Hodierno ac de Jure Romano ad civilem et juridicam possessionem debeant exsistere. Et sane quod attinet animum sibi habendi, art. 2229 Cod. Civ. nullum sententiæ affirmativæ dubium desiderat; etenim dicitur hoc in articulo : « pour pouvoir prescrire il faut une possession continue... et à titre de propriétaire. » Legislator itaque hodiernus fundat possessionem, uti Romani, intentione seu animo domini; nam dicit : *à titre de propriétaire*, quod est: animo domini. Præterea et naturalis ratio ostendit unicuique necessitatem illius animi, ut quis possidere intelligatur; nam et alias animalia quoque, quin imo lapides possidere dicendi essent. Alteram jam vero quod attinet conditionem, non minus certum est, quod, ut quis civiliter et juridice

possidere queat, necesse sit, ut res, quas vult possidere, sint in commercio constitutæ; nam licet quidem naturalis ratio id nobis non dictet, cum hoc nullam inter res in commercio constitutas et ex eo exemptas distinctionem faciat, ostenditur hoc facile ex Jure Civili; etenim dicitur in art. 2226 Cod. civ.: « on ne peut prescrire le domaine des choses qui ne sont point dans le commerce, » ergo nec eas possidere, quoniam per diuturnam possessionem earum dominium acquireremus, quod vetat dictus articulus. Hinc civiliter et juridice possidere non possumus res divini aut publici juris, quales sunt templum, cœmeterium, forum, platea aliaque loca publica, quorum proprietas ex art. 538 Cod. Civ. ad privatum pertinere non potest, quia his est de rebus, de quibus art. 2226 intelligendus. Nec obstat, quod ex art. 2227 possimus contra nationem, corpora moralia publica et civitates præscribere; nam hic articulus accipi debet de rebus, quæ non ita commercio sunt exemptæ, quo minus in eo constitutæ esse valeant, id est, quod non possit accipi de illis rebus, quæ pertinent ad nationem jure summæ potestatis (par droit de souveraineté) (1). Videamus nunc quotuplex sit possessio.

Ex definitione a Codice datâ, respondet JCtus HUTTEAU (2), luculenter patere, duas diversas possessionis dari species, aliam quam per nosmet ipsos detinemus, aliam quam ministerio alterius detinemus, v. g. ministerio coloni depositarii commodatarii etc. Illam naturalem hanc vero civilem nominat. Verum quidem est, quod in nostrâ Dissertatione superius dixerimus, illum, qui ministerio alterius detinet, quoque

(1) V. MALEVILLE ad. dd. art. 2226 et 2227.

(2) Ad nr. 16 du Traité de la Possession, par POTHIER.

naturaliter possidere intelligendum esse; at ad hoc responderi posse putamus, differentiam illam provenire ex eo, quod, cum nullâ ex lege Romanâ pateat, in quo consistat possessio civilis, recurrendum esset nobis, ut illud determinemus, ad naturam possessionis, secundum quam, me merito possessionem, quam ministerio alterius detinemus, naturalem quoque appellasse puto, at vero cum ex Codice hodierno pateat, quod alia sit possessionis species, quam per nosmet ipsos detinemus, alia, quam ministerio alterius, et quod proinde duæ illæ possessionis diversæ species in Jure Hodierno exsistant, necesse est etiam, ut denominationes ipsis congruentes tribuantur, jam vero simpliciores quam quibus usus sum denominationes non inveni. Cæterum tamen fateri debeo, me non nihil de hac divisione dubitare; quapropter, si argumentum ductum a JCto Hutteau ex art. 2228 Cod. Civ. non concluse instituatur, non dubitamus, quin divisio, quam de Jure Romano sistimus, de Jure Hodierno quoque debeat obtinere, cum hanc quam maxime naturæ possessionis conformen arbitremur.

Alio etiam sub modo possessio dividi potest in civilem et naturalem, quo sensu civilis dicitur ea, quam habet is, qui rem detinet animo domini, aut saltem justâ opinione dominii quæsiti. Hinc ad eam requiritur, ut justo titulo fundetur, id est titulo ad transferendum dominium habili, ut emptio, donatio, permutatio etc. Possessio, quæ ex tali titulo oritur, dicitur civilis, nec interest, an possessor ex eo titulo dominium revera acquisierit nec ne, non quia titulus deerat, sed quia ille, a quo rem tenet, dominus non erat, licet de eâ tamquam suâ disposuerit, si modo non appareat possessorem agnovisse rem ad venditorem non pertinere, id est, si rem bonâ

fide acquisiverit, id quod præsumitur, donec constet de contrario art. 2285 et 2268 Cod. Civ. Necesse itaque est, ut is, qui naturam illius possessionis contestare intendit, probet, possessorem agnovisse rem esse alienam, ad venditorem non pertinere.

Ex adverso naturalis possessio dicitur ea, quâ quis possidet absque opinione domini. Hanc, cum vel titulo destituta sit, vel titulo malâ fide infecto, vel titulo irrito, vel tandem titulo ad transferendum dominium inhabili fundetur, dividit Pothier (1), in quatuor species. At vero cum Codex hodiernus, definitione et divisione possessionis datâ, determinet in art. 2262 et 2265 tempus, per quod si possideamus, dominium præscribimus, etiamsi nullum titulum habeamus; inutiliter hic discuteremus diversas illas possessionis naturalis species, eo quod ex systemate circa præscriptionem a Codice adoptato doctrina ipsius Pothier non possit amplius ad Jus Hodiernum applicaro. Observatum tamen vilo, non exiguam inter speciem possessionis titulo ad transferendum dominium inhabili fundatæ et alias possessionis naturalis, quas proponit Pothier, species exsistere differentiam; scilicet possessio naturalis, quæ titulo ad transferendum dominium inhabili fundatur, qualis est possessio precaria, numquam potest ad præscriptionem sufficere, eo quod possessor, cum non possit sibi ipse mutare causam suæ possessionis, uti in tertiâ sectione videbimus, videtur semper eodem titulo et proinde titulo ad transferendum dominium inhabili possidere. At vero qualiscumque alia possessionis naturalis species sufficit ad præscriptionem 30 annorum; possessor enim, qui titulo destitutus est, vel qui qui-

(1) Traité de la Possess. nr. 10 — 14.

dem titulum habet, sed qui malâ fide infectus est vel irritus, potest præscribere art. 2262; nam, ut loquitur hic articulus, præcribit « sans qu'il soit obligé d'en rapporter un titre ou qu'on *puisse lui opposer l'exception déduite de la mauvaise foi.* » Id quod fundatur et præsumptione, quâ ille, qui per 30 annos possedit, videtur habere titulum, ex quo intelligitur bonâ fide possedisse, et rationibus publicis; nam, ut ait in discussionibus Bigot de Préameneu, « dans les prescriptions pour acquérir on n'a point seulement à considérer l'intérêt du propriétaire, il faut aussi avoir égard au possesseur, qui ne doit pas rester dans une éternelle incertitude; son intérêt particulier se trouve lié avec l'intérêt général, quel est celui qui bâtira, qui plantera, qui s'engagera dans des frais de défrichement ou de desséchement, s'il doit s'écouler un trop long temps avant qu'il soit assuré de n'être pas évincé. »

SECTIO SECUNDA.

De diversis possessionis vitiis.

Inter possessiones vitiosas adnumeratur possessio malæ fidei, possessio violenta, possessio clandestina et possessio precaria.

Possessionem malæ fidei habet ille, qui rem acquirit scientiâ rei alienæ, uti patet a contrario ex art. 2265, ex quo bonâ fide possidet ille, qui rem acquirit putans venditorem esse dominum rei; unde si sciat, venditorem non esse dominum rei, possessionem malâ fide infectam acquirit, ut si fundum,

quem scio ad Petrum pertinere, emam et accipiam a Joanne, qui quolibet titulo dicit se illius fundi dominum, malâ fide possessurus sum, id tamen, cum possessio mea justo titulo fundetur, probari debet art. 2268 Cod. Civ. Quin etiam non solum possessio illius, qui titulum habet, ut ego in casu supra posito, non præsumitur malâ fide infecta, sed ne quidem possessio illius, qui præscribit per 30 annos, tametsi nullum possessionis suæ titulum habeat; nam, ut vidimus ex art. 2262, præscribit, « sans qu'on puisse lui opposer l'exception déduite de la mauvaise foi. » Aliud autem quondam obtinebat; nam si quis convictus erat, rem acquisivisse scientiâ rei alienæ, nullam præscriptionem poterat opponere (1). Cæterum licet possessio malâ fide infecta non obstet de Jure Hodierno, quominus per eam lapsu 30 annorum possimus præscribere, pluribus tamen possessionis effectibus impedimento est, uti videbimus in sectione quintâ.

Alia vitiosa possessio est possessio violenta art. 2233 Cod. Civ. Violentia hac in materiâ consistit in quolibet actu, quo quis ad possessionem acquirendam dominum fundo dejicit. Patet hinc, definitionem violentiæ a Codice datam in art. 1112 attendi non debere, eo quod is, qui simplici viâ facti domum vel fundum suum possidere impeditur, violentiam pati hic intelligitur; unde, ut possessio hoc vitio laborare videatur, sufficit, eam esse vi acquisitam. Cæterum, ut quis possessionem vi acquisivisse, et idcirco vi possidere intelligatur, nihil interest, utrum sit ipse dominus, an vero alius, qui ejus nomine possidet, quem dejecit, quia dejecto illo, qui nomine do-

(1) V. Pothier, Traité de la Prescription, nr. 173.

mini possidet, dominus ipse dejectus videtur L. 1, § 22 ff. de vi et vi arm. et art. 2233 Cod. Civ.; nec interest etiam quidquam, utrum egomet an vero alius meo nomine violentiam exercuit, nam quod per alium facimus, nos ipsi facere videmur.

Quæritur autem, an violenta sit possessio illius, qui domini absentis possessionem ingressus, cum intra annum ad possessionem suam revertentem eamque ingredi volentem repellit? Quod affirmandum putamus eâ ratione, quod dominus, qui cum intentione postea redeundi possessione suâ exierit, solo animo eam retinuit, hoc solo quod fuit ad possessionem suam revertens repulsus, eam amisit, quapropter possumus ipsi applicare verba : si quis vi de possessione dejectus est; nam ut alter eum possessionem ingredi prohibere potuerit, necesse fuit eum vim facere, et sic, licet hic sine vi possessionem ingressus sit, non tamen sine vi eam acquisivit. Aliud tamen dicendum est, si dominum possessione vi non expellat, sed eum vi ac minis cogat possessionem ipsi derelinquere, quia is, qui translationi possessionis consentit, qualicumque etiam hoc fit modo, vi dejectus videri non potest, et proinde nec vi possidere ille, qui eam acquisivit. Sed quid interest, dicet quis, utrum hoc in casu videatur vi possidere nec ne, cum utroque in casu possit præscribere per 30 annos art. 2262 Cod. Civ. Hoc scilicet interest, quod si vi possidere videatur, præscriptio incipit tantum currere a momento quo violentia cessavit art. 2233 § 1, quod secundum Delvincourt tunc locum habet, quando novo titulo aliam ejusdem rei possessionem acquisivit; quod si vero possessio ejus vitio violentiæ non laboret, præscriptio incipit currere statim ac possessionem acquisiverit. Et revera possessio ejus gaudet ab initio omnibus qualitatibus art. 2229 ad præscriptionum requisitis, titulus, quo

nititur, est quidem invalidus ex art. 1109, at illud non obstat, quominus præscribat per 30 annos art. 2262.

Vitiosa etiam est possessio, quæ clam acquiritur, uti hoc, si non expresse, saltem quam evidentissime implicite constat ex art 2229 Cod. Civ., qui pacificam, pervulgatam nec non æquivocam possessionem requirit.

Clandestina jam vero possessio ea est, quam habet is, qui ignorante domino ejusque ex conspectu se abdens, ut controversiam ab eo timendam evitet, possessionem furtive ingressus est, seu, ut habet L. 6 ff de acq. vel amitt. poss., clam possidere dicemus eum, qui furtive ingressus est possessionem ignorante eo, quem sibi controversiam facturum suspicabatur, et ne faceret timebat. Patet hinc, ad clandestinam possessionem requiri, ut possessor controversiam timuerit aut saltem timere debuerit; nam licet controversiam non timuisset, si modo fuerit ipsi ratio eam timendi, videbitur clam possidere, ne melioris conditionis sint stulti quàm periti. Requiritur insuper, ut ignorante domino possessionem ingressus sit. Hinc si quis domino sciente ac volente possessionem ingressus sit, non intelligetur clam possidere; quin etiam, ut dominus id voluisse censeatur, sufficit, ut sciverit, tametsi nullo actu externo consensum suum præstiterit. Hinc etiam, ut nemo potest rem suam precario possidere, ita etiam nemo potest rem suam clam possidere; nam is solus dicitur clam possidere, qui ignorante domino possessionem furtive ingressus est.

Verum autem quæritur, quo tempore hoc vitium contrahitur? Contrahitur eodem tempore ac vitium violentiæ, momento itaque quo acquiritur possessio art. 2269, 2230 et 2231 Cod. Civ.; quia non ratio obtinendæ possessionis, sed origo nancis-

cendæ possessionis exquirenda est, quæ regula sancitur duobus ultimo citt. art. Hinc si quis possessionem, quam clandestine non adeptus est, celare incipit, cum agnoverit rem esse alienam, ut hac viâ domino sit impedimento, quominus rei vindicationem, quam ab eo timendam habet, possit intendere, non ideo clam possidebit. V. g. equum tuum a Joanne emi et traditum possedi, deinde cum comperissem tuum esse, eum celare cœpi, non ideo magis clam possidere videbor, quia ut diximus, non ratio obtinendæ possessionis sed origo nanciscendæ possessionis exquirenda est dict. art. At ex adverso si quis possessionem clam acquisierit, non desinit clam possidere, quia postea possessionem domino manifestavit, art. 2267, Cod. Civ. Clandestina itaque possessio convenit cum violentâ in eo, quod utraque non nisi momento possessionis acquisitionis contrahi potest; at præter hanc est et alia adhuc inter eas convenientia, quod scilicet utraque complectatur vitium malæ fidei, quod vitium omni possessionis momento contrahi potest, et in hoc differt malæ fidei possessio ab eâ, quam vi aut clam acquirimus.

Vitiosa tandem possessio est, quæ oritur ex titulo ad transferendum dominium inhabili; talis est possessio precaria, de quâ hic parum agemus.

Precaria possessio ea est, quâ quis possidet non ex proprio suo jure sed ex concessione, quam concedens ad arbitrium et nutum potest revocare. Nititur itaque hæc possessio solâ voluntate et patientiâ domini, unde et opponitur possessioni animo domini. Hinc jam patet, possessionem precariam numquam ad præscriptionem posse sufficere; nam ad omnem præscriptionem requiritur saltem possessio animo domini,

« pour pouvoir prescrire il faut une possession. . . . . à titre » de propriétaire » animo domini, art. 2229 Cod. Civ. Si quis itaque precario possideat, licet per tempus vel longissimum sic possedisset, nullam umquam præscriptionem posset opponere, cum videretur semper eodem titulo, titulo precario possidere, eo quod solo lapsu temporis aut solâ voluntate non potest sibi ipse mutare causam seu titulum suæ possessionis, uti mox videbimus.

Fit etiam mentio de specie possessionis precariæ in art. 2232 Cod. Civ.; dicitur enim in hoc art.: « les actes de pure faculté » et ceux de simple tolérance ne peuvent fonder ni possession » ni prescription. » Is itaque, cujus possessio talis est naturæ, nullum jus habet neque ullum potest per eam acquirere; nam licet illud, quod voluntate et patientiâ domini fit, videatur quidem tacitum quemdam consensum supponere, cum possessio nostra ad arbitrium domini cesset, implicat, quominus per eam aliquod jus acquiramus. Hinc si quis per 30, 50 vel plures annos quotidie apud me prandium sumpsisset, indulgentia ea, quâ eum apparatis epulis quotidie recipiendo per illud tempus usus sum, nullam umquam ipsi suppeditatura est actionem, quâ me possit cogere, ut eum in posterum mensâ accipiam; factum enim illud sumendi apud me prandium numquam exercuit nisi voluntate et patientiâ meâ, et proinde applicandus est ipsi art. 2232 Cod. Civ.

Cæterum tamen dictus art. 2232 patitur exceptionem casu, quo quis contendit, se præscriptione liberatum; licet enim actus jus suum persequendi sit actus summæ facultatis, potest tamen quisque debitor se præscriptione liberare art. 2241 Cod. Civ.

SECTIO TERTIA.

Utrum possit quis sibi ipse mutare titulum et qualitatem suæ possessionis?

Illud a veteribus præceptum est, dicebant Romani, neminem sibi ipsum causam seu titulum possessionis mutare posse L. 3, § 19 ff. de acq. vel amittend. poss.; id quod et hodie adhuc viget ex art. 2240 Cod. Civ., ubi dicitur : « on ne peut » pas prescrire contre son titre en ce sens, que l'on ne peut se » point changer à soi-même la cause et le principe de sa posses- » sion, » hoc est : dum quis rei cujusdam possessionem habet, nullâ extrinsecus accedente causâ statuere secum nequit, ut alio ex titulo possideat, quam ex quo hactenus possedit. Qua ratione ii, qui etiam ex secundo decreto in possessionem bonorum absentis mittuntur, numquam contra absentem præscribere possunt art. 132 Cod. Civ.; cum enim tantum titulo proprietatis revocabilis possidere incoeperint, necesse esset, ut possent secum statuere, possidere in posterum titulo proprietatis irrevocabilis, utpote nemo præscribere potest nisi id, quod animo domini possidet, et hoc sensu intelligendus est art. 2229 Cod. Civ., quando dicit, ad præscriptionem requiri possessionem animo domini « à titre de propriétaire, » id est animo domini illius juris, quod præscribere possumus, alias enim mutaret sibi titulum suæ possessionis.

Nemo itaque potest titulum suæ possessionis mutare, seu, quod idem est, nemo potest præscribere contra titulum suæ

possessionis. At aliud est præscribere contra titulum suæ possessionis, aliud præscribere ultra titulum suæ possessionis. Ultra titulum possessionis quisque potest præscribere, ut v. g. titulo quodam acquisitâ medietate alicujus fundi possum alteram medietatem præscriptione adipisci, nihil enim impedit, quominus novo titulo fiam etiam dominus illius medietatis, nisi tamen contractus esset bilateralis, quia tunc reciprocæ obligationes se invicem sustinent, ita ut alteruter non possit præscribere, quin præscribat contra titulum suæ possessionis (1).

Axioma autem hoc, quod nemo possit sibi mutare titulum suæ possessionis, non solum de iis, qui sibi ipsi possident, sed etiam de iis, qui alieno nomine possident, intelligendum est, et propterea dicitur in art. 2236 : « ceux qui possèdent pour autrui ne prescrivent jamais, par quelque laps de temps que ce soit, » i. e. quod ille, qui rem titulo conductionis vel titulo depositi aut commodati tenet, titulum suæ detentionis mutare non possit confingendo apud se alium titulum possessionis, puta titulum pro hærede, ut possit hujus lucrum facere et eam præscribere art. 2257 in §. Hujus vero dispositionis rationem dat nobis in discussionibus Bigot de Préameneu, ideo nempe non possunt titulum suæ detentionis mutare, quia nemo potest uno et eodem tempore sibi et alii possidere, is, qui nomine alterius possidet, perpetuat renovatque omni momento possessionem illius, cujus nomine possidet, et cum tempus, per quod quis alieno nomine potest possidere, sit indefinitum, non possumus statuere tempus, quo is, qui per alterum possidet, dicendus est possessione suâ spoliatus. Si itaque fundus, quem possideo, videatur mihi aut ei, cui immediate vel mediate successi, ab aliquo fuisse locatus, videbor semper pos-

(1) V. Pailliet ad art. 2241. Cod. Civ.

sidere in qualitate coloni, licet nullâ mercede solutâ 50 quinimo 100 vel plures anni elapsi sint a momento initi contractus locationis conductionis. Eâdem ratione dicit art. 430 Cod. Comm.: « le capitaine ne peut acquérir la propriété du navire par voie de prescription; » possidet enim non suo sed alieno nomine, et hoc sensu dicitur, quod melius sit non habere titulum quam habere vitiosum. Et revera si titulum non habuissem, præscripsissem per 30 annos, art. 2262 Cod. Civ.; quod vero attinet casum, quo possessio alicujus est æquivoca, id est quæ desiderat dubium, utrum sibi an vero alii possideat, vide in repertorio MERLINII (1). Quin etiam non solum potest nemo sibi mutare titulum suæ possessionis, sed nec ejus qualitates aut vitia potest quis mutare; nam, ut jam vidimus, ut natura possessionis determinetur, inspiciendum est ejus initium, ut patet ex art. 2230 et 2231 Cod. Civ., ita ut possimus dicere cum POTHIER (1): « telle elle a commencée telle elle continue toujours. » Is itaque, qui possessionem vi vel clam, vel precario adeptus est, videbitur semper vi vel clam vel precario possidere, licet postea possessio ejus fieret pacata tranquilla nec non pervulgata, quia possessio continuatur uti ea acquiritur d. art. 2230 et 2231. Præterea probatur et illud ex art. 2233, ubi dicitur: « les actes de violences ne peuvent fonder une possession capable d'opérer la prescription, » sufficit itaque possessionem niti actu violentiæ, ut ad præscriptionem sit inefficax, utque proinde videatur semper vi possidere (3); idque non solum respectu illius, qui eam vitiosam adeptus est, sed et respectu omnium

(1) Sub voce *prescription*, sect. I, § 5, art. 3, nr. 5.

(2) Traité de la Possess. nr. 33.

(3) V. DELVINCOURT, Tom. II, p. 857.

suorum hæredum primi et ulterioris gradus in infinitum, tametsi etiam ignorarent, possessionem esse vitiosam, quia non novam possessionem sibi acquirunt, sed continuant tantum eam, quam defunctus habebat, et proinde vitia a defuncto contracta perdurant art. 2287 Cod. Civ. Aliud tamen obtinet, si quis non universali sed particulari titulo, qualis est emptio, donatio etc. succedit ei, qui vitiosam possessionem habet, quia hic, cum autorem suum non repræsentet, possessionem sibi propriam acquirit, quæ cum possessione ejus auctoris nihil commune habens, illius vitiis infecta esse nequit art. 2238 Cod. Civ. At hoc in casu possessor ille non potest uti favore art. 2235, qui tribuit ipsi facultatem conjungendi possessionem sui auctoris simul cum suâ, quia, si hoc faciat, debet eam cum suis qualitatibus et vitiis infectam conjungere.

Ex dictis patet, neminem posse sibi mutare titulum qualitates aut vitia suæ possessionis, at hæc regula habet, ut aliæ, suas exceptiones. Imprimis patitur exceptionem casu, quo quis se præscriptione liberat art. 2241 Cod. Civ.; is enim, qui se præscriptione liberat, mutat sibi titulum suæ possessionis. Altera hujus regulæ exceptio est, quando intervertitur possessio, idque est quod insinuamus supra dicendo, regulam nostram significare, quod, dum quis rei cujusdam possessionem habet, nullâ extrinsecus accedente causâ statuere secum nequeat, ut aliâ ex causâ possideat, quam ex quâ hactenus possedit. Cæterum interversio illa possessionis fit ex art. 2238 Cod. Civ. « soit par une cause venant d'un tiers, soit par la contradiction qu'elles ont opposée au droit du propriétaire. » Causâ extranei intervertitur possessio, quando v. g. fundum, quem a Petro conduxi, emo vel donatum accipio a Joanne, et quod recusans Petro solvere mercedem, declarem, me non

ipsi amplius sed mihi velle possidere, quia hoc in casu transmisit mihi Joannes facultatem præscribendi, quam ipse habebat. Si tamen possit Petrus probare, me emisse conscium, Joannem non esse dominum fundi, putat DELVINCOURT (1), possessionem non esse interversam, et proinde me præscribere non posse, eâ ratione quod evidens sit, Joannem habendum esse loco instrumenti, quo mediante viderer mihi ipse mutasse titulum meæ detentionis, quâ de causâ esset casus articuli 2240. Intervertitur etiam possessio per contradictionem, quam juri proprietarii opposuerunt « par la contradiction qu'ils ont opposée au droit du propriétaire » art. 2238, ut si colonus vel dominus locatorem vel eum, cui locator fundum vendiderat, cum is in possessionem missus esset, non admiserit, vel ingredi volentem prohibuerit, non amplius in qualitate coloni sed tamquam dominus possidebit, quia locatoris possessio interversa est; similique modo si in jus vocatus, ut merce des solvat, neget se eas debere, quia contendit fundum ad se pertinere, intervertitur locatoris possessio, si jus suum non persequatur, nec potest dici conductor sibi ipse mutasse titulum suæ detentionis, nam locator per hoc solum quod jus suum non fuerit persecutus censetur ipsum auxilio juvisse, quia is, qui non prohibet, cum prohibere possit, consentire videtur.

Non nihil tamen interest, utrum possessio intervertatur causâ extranei, an vero contradictione, quam juri proprietarii opponunt; nam hoc in casu cum is, qui possessionem intervertit, necessario sit malâ fide, non poterit præscribere nisi per 30 annos, at vero si causâ extranei intervertatur pos-

(1) Tom. II, p. 8 sq.

sessio, cum colonus bonâ fide sit oporteat, præscribet ille per 10 vel 20 annos.

Cæterum tandem intelligitur facile, principium hic explanatum impedimento non esse, quominus quis illud, quod hactenus suo nomine possedit, velit ac possit alieno nomine possidere, ut si fundum, quem possideo, vendam Joanni, qui eum eodem actu mihi locat, nam tunc non muto mihi titulum meæ possessionis, sed desino possidere et alium possessorem ministerio meo facio L. 18 ff. de acq. vel amitt. possessione.

SECTIO QUARTA.

Quomodo acquiratur, retineatur, et amittatur possessio?

Cum possessio iisdem fere modis acquiratur, retineatur et amittatur, ac de Jure Romano, possemus hic repetere ea, quæ in nostrâ Dissertatione superius de acquisitione de retentione et de amissione possessionis diximus; at vero quoniam repetitionem illam inutilem arbitramur, perbreviter sumus hanc sectionem tractaturi.

Quomodo acquiritur possessio? Cum possessionis acquisitio hodie ut olim consistat in corporali apprehensione rei cum animo sibi habendi, acquiritur possessio de Jure Hodierno, uti de Jure Romano, corpore et animo, id quod probant art. 2228 et 2229. Hic enim requirit animum sibi habendi ex verbis: *à titre de propriétaire,* quibus utitur, ille vero dicendo : *la possession est la détention... d'une chose... que*

nous tenons... par nous-mêmes ou par un autre qui la tient... en notre nom, requirit rei apprehensionem, ita ut ad acquirendam possessionem necesse sit, ut res apprehendatur animo domini, eo quod nec solo animo nec solo corpore possessio acquiri potest.

Ex eo, quod possessio non acquiritur nisi animo et corpore simul, deducebant Romani, hæredem possessionem rerum hæreditariarum non acquirere, nisi eas corporaliter apprehendisset cum animo sibi habendi, at vero de Jure Hodierno, licet hoc quam maxime conforme esset naturæ possessionis, hæc ita non amplius obtinent, sed ob dictum celebre Gallicum : *le mort saisit le vif,* quod fundatum præsumptione, quâ defunctus censetur possessionem suam hæredi donasse, sancitum est art. 724 Cod. Civ., hæreditatis aditione dominia non solum sed et possessiones, quas defunctus tempore mortis reliquit, acquiruntur hæredi ipso jure, id est, quin ullum factum ponat necesse sit, tametsi ignoret hæreditatem ad ipsum venisse; ita ut de Jure Hodierno acquiratur hoc in casu possessio absque corporali apprehensione cum animo habendi. Nihilominus tamen potest regula : *le mort saisit le vif,* conciliari cum principio, ex quo possessio non acquiritur nisi animo et corpore simul, dicendo nempe, hæredem in tantum, in quantum is mediante legis fictione videatur esse continuatio personæ defuncti, non novam possessionem acquirere, sed eam quam defunctus habebat continuare (1).

Non cuilibet tamen successori acquiritur ipso jure possessio

(1) V. Pothier traité de la Possess. nr. 67 et nr. 21 titre des cas possessoires.

defuncti, sed iis tantum qui qualitatem hæredis et saisinam habent, uti luculenter patet ex art. 724 Cod. Civ., ubi dicitur : *les héritiers légitimes sont saisis de plein droit des biens, droits et actions du défunt*; ii itaque, qui qualitatem hæredis non habent, qui simplices successores tantum nominantur, non magis possessionem defuncti sine apprehensione cum animo sibi habendi acquirunt, quam acquirerent qualemcumque aliam possessionem. Prosequitur etiam art. 724 dicendo : *les enfans naturels, l'époux survivant et l'état doivent se faire envoyer en possession;* nam hæ personæ non hæredis sed tantum simplicis successoris qualitatem habent art. 724 et 756 Cod. Civ. Quæritur autem, quid dicendum sit de legatariis? Et quidem, si non haberemus nisi art. 724, deberemus de Jure Hodierno, uti ante Codicem de Jure moribus et institutis civium constituto (droit coutumier), dicere, legatarios possessionem defuncti ipso jure non acquirere, eo quod, cum dicat d. art. 724 *les héritiers légitimes*, luculenter patet, legislatorem in redigendo hoc art. voluisse excludere legatarios, quodque proinde ipsi applicanda sit regula : inclusio unius est exclusio alterius. Contraria tamen sententia nullum desiderat dubium ex art. 1006, ubi id, quod in art. 724 dictum fuit respectu hæredis, dicitur etiam respectu legatarii at universalis tantum non vero aliorum; ita enim ait legislator in hoc articulo : *lorsqu'au décès du testateur il. . . . le légataire universel sera saisi de plein droit par la mort du testateur, sans être tenu de demander la délivrance*. Patet itaque, legatarium universalem saisinam habere, et proinde possessionem ipso jure acquirere; nam in hoc consistit saisina. Unde non inutiliter ordinem, in quo lex saisinam tribuit, hic sumus daturi, qui hic est : scilicet 1° loco conceditur saisina iis hæredibus, quibus lex conservat partem hæreditatis defuncti art. 1004 Cod. Civ. 2° legatariis univer-

salibus art. 1006 et 1011 Cod. Civ. 3° iis hæredibus, quibus lex nullam hæreditatis partem conservat art. 1011 Cod. Civ., ita ut, qui saisinam non habent, tametsi sint legatarii universales vel hæredes, quibus lex non conservat partem hæreditatis, possessionem defuncti non nisi animo et corpore sint acquisituri. At licet tunc possessionem ipso jure non acquirant, acquirunt tamen ipso jure dominium illarum rerum hæreditariarum, quæ ad ipsos pertinere debent, eo quod translatio dominii non est effectus saisinæ, uti hoc patet ex art. 723, 724, 767, 768 et 770 cunjuncto cum art. 773.

Cæterum cum ad possessionis acquisitionem requiratur animus sibi habendi art. 2229, sequitur, uti de Jure Romano, omnes eos, qui hujus animi incapaces sunt, possessionem per semet ipsos acquirere non posse, quales sunt infantes, furiosi etc., qui per tutorem vel curatorem suum possidere intelliguntur. Nec refert de Jure Hodierno, utrum infans ad eam modo provectus sit ætatem, ut intellectum habeat, nec ne; nam neutro in casu tamdiu, quamdiu major factus non est, possessionem per semet ipsum potest acquirere, uti patet ex art. 935 Cod. Civ., qui comparando minorem cum interdicto jubet, donationem minori non emancipato factam accipiendam esse a tutore, unde luculenter patet, quod nemo, antequam in suam tutelam venerit, aliquid per se ipsum possidendi capax a lege agnoscatur (1).

Quæritur autem, quid de muliere sub potestate maritali constitutâ dicendum sit, an hæc potest possessionem acquirere,

(1) V. Merlin, répertoire sub voce : *mineur.*

quin auctoritatem sui mariti vel judicis obtinuerit? Tractat illam quæstionem POTHIER (1) deciditque eam, uti eam et hodie decidendam putamus. Ait nempe, quod mulier nupta possit possessionem acquirere, quin ullam auctoritatem obtinuerit, quia possessio non juris sed facti est; unde merito celeberrimus hic JCtus adjungit, quod, si mulier velit exercere jura ex eâ possessione orientia, necesse sit, ut auctoritatem mariti vel judicis acquirat art. 215 et 217 Cod. Civ. Nec refert quod minor, tametsi animum possidendi jam habeat, non possit possessionem per se ipsum acquirere; rationem enim hujus disparitatis arbitramur provenire ex diverso eorum incapacitatis fundamento. Ideo scilicet minor non potest possessionem per se ipsum acquirere, quia, donec major factus non sit, lex non agnoscit in ipso animum ad possessionem efficacem, at vero necessitas auctoritatis, quâ mulier quidquam acquirendi causâ indiget, non nititur earum infirmitate ætatis, quoniam tunc viduæ et filiæ quoque ad aliquid acquirendum necesse haberent quoddam auxilium, sed nititur *illa* auctoritatis mariti vel judicis necessitas potestate maritali, quæ quidem obstat, quominus mulier sine auctoritate quid juris acquirat, non vero quominus quid facti ut possessionem adipiscatur. Hæc de animo nunc de apprehensione.

Apprehensio, quæ in acquirendâ possessione intervenire debet, corporalis sit oportet ex art. 2228 Cod. Civ. At id, uti de Jure Romano, intelligendum est iis de rebus, quæ ab aliis non traduntur; nam si quis possessionem nobis tradat, aut si eam volente actuali possessore acquiramus, ficta sufficit, uti expressis textibus patet art. 1604, 1605 et 1606 Cod. Civ., in quibus inter facta externa, quibus res apprehensa intelligitur,

(1) Traité de la possession nr. 48.

aut de jure pro apprehensâ habetur, annumeratur etiam factum traditionis clavium. Unde quæri potest, utrum, ut illud factum de Jure Hodierno uti de Jure Romano vices corporalis apprehensionis fungatur, necesse sit, ut claves in re præsenti, id est, apud horreum, in quo res inclusæ sunt, tradantur? Hoc exigebat L. 74 ff. de contr. empt., ubi dicitur : si clavis apud horrea traditæ sint. At vero nullus art. videtur hoc hodie requirere, quare putamus cum Pothier (1), conditionem illam non amplius exsistere debere, ut facto traditionis clavium res pro apprehensâ habeatur, ita ut, licet traditio clavium in re præsenti non fiat, non ideo minus res pro apprehensis sint habendæ.

Cæterum non solum possessionem per nosmet ipsos sed et per alios, ut per tutorem, curatorem procuratoresve acquirere possumus art. 2223 Cod. Civ. Sed ad hoc necesse est, ut habeant animum possessionem nobis acquirendi, at ut quis hujus animi sit capax, necesse est, ut possit mandatum suscipere. Hinc per interdictum, per minorem, tametsi jam habeat intellectum possidendi, non possumus acquirere possessionem, quia mandatum suscipere nequeunt art. 1123 et 1124 Cod. Civ. Aliud autem obtinet de muliere in potestate maritali constitutâ, item de minore emancipato; hi enim ex art. 1990 Cod. Civ. mandatarii esse possunt, et proinde nobis etiam ignorantibus, id est, licet non sciamus momentum quo res apprehenditur, possessionem acquirere art. 2228 Cod. Civ.

Quæritur autem, si quidam amicus apprehendat mihi possessionem, quin ei hoc mandassem, an statim ac rem appre-

(1) Traité du droit de domaine de propr. nr. 199.

henderit meo nomine, possessionem acquiram. Quod negandum putamus eâ ratione, quod art. 2229 Cod. Civ. requirit ad acquirendam possessionem animum sibi habendi; jam autem impossibile est, ut habeam animum habendi illius rei, quæ licet meo nomine apprehensa me ignorante et sine mandato empta est, antequam emptionem illam directe vel indirecte ratam habuerim, cum ab eo tantum sit momento, quo manifestatur animus domini.

Quomodo retinetur possessio? Respondemus : licet possessio non acquiratur ex art. 2228 et 2229 Cod. Civ. nisi animo et corpore simul, retinetur non solum animo et corpore simul art. 2228, sed et animo solo art. 2230, ubi dicitur : *on est toujours présumé posséder pour soi et à titre de propriétaire, s'il n'est prouvé qu'on à commencé à posséder pour un autre.* Hinc hodie, uti de Jure Romano in L. 4 C. de acq. vel amitt. poss., si prædiorum desertam possessionem non derelinquendi affectione transacto tempore non coluisti, sed metus necessitate culturam eorum distulisti, præjudicium ex transmissi temporis injuriâ generari non potest. At vero cum sic 10, 20 quin imo 100 vel plures anni præterlabi possint, antequam prædium iterum corpore apprehendat, quæritur, quamdiu intentionem illam, quâ possessionem suam retinet, conservare præsumi debeat possessor? Tractat illam quæstionem MERLIN (1) et quidem, postquam dixerit possessionem eâ intentione seu animo per 10 annos tantum conservari secundum communem interpretum opinionem, ita prosequitur : *dans l'usage cette question dépend assez de l'arbitrage du juge, c'est à lui a peser les circonstances, dont on prétend inférer, que l'omission absolue*

(1) Répertoire sub voce : *prescription* sect I. § 5. art. 3.

de tout acte de possession naturelle emporte discontinuation de possession civile, et sans doute en appréciant les présomptions, qui peuvent avoir lieu en cette matière, il doit se montrer plus difficile, lorsqu'il s'agit des droits incorporels, qu'on n'a pas l'occasion d'exercer souvent, que lorsqu'il est question d'un objet sur lequel on peut faire de fréquens actes de possession extérieurs et actuels. Id quod quam maxime fundatum arbitramur.

Si vero actualis possessor probet, se et hodie et olim possedisse, præsumetur per totum temporis intervallum possedisse art. 2234 Cod. Civ.; probatis enim extremis præsumitur medium, nisi, ut habet etiam d. art., constet de contrario, *sauf la preuve contraire*, v. g. si quis probet, quod per annum integrum fuerit possessione suâ privatus art. 2243 Cod. Civ., seu quod possessio ejus alio etiam modo, ut ex art. 2244 vel 2248 Cod. Civ., fuerit interrupta. His in casibus non intelligetur possedisse per temporis intervallum; at alias dicendum est : probatis extremis præsumitur medium (1).

Retinemus itaque possessionem solo animo, quem conservare censemur, donec in contrarium itum sit. Hinc non mirum, quod ex art. 2228 non solum possessionem retineamus per nosmet ipsos, sed et per alios, ut per colonum, depositarium etc., qui, sive per se ipsos rem detinent, sive per alios, qui ipsos loco domini habent, nobis conservant possessionem, quin etiam, licet secum statuerent, non nobis sed sibi ipsis in posterum possidere, non minus possessionem nostram per eos sumus retenturi, quia, ut vidimus, non possunt sibi mutare

(1) MALEVILLE, art. 2228 du Code Civil.

causam suæ detentionis, nisi possessionem nostram intervertissent. At quæritur, quid juris sit de casu, quo possessio ab ipsis derelicta ab alio occupatur, aut quo possessionem alii tradidissent. Respondemus : de Jure Romano in priori non vero in posteriori casu retinebatur possessio, uti suo loco vidimus; at vero de Jure Hodierno putamus, possessionem indistincte amitti eâ ratione, quod ex art. 614 et 1768 Cod. Civ. alieno nomine possessor teneatur fundi conservationi invigilare, dominumque sub pænâ omnis interesse monere, si quis fundum, quem ejus nomine detinet, vellet occupare, unde sequitur, ut etiam patet ex art. 2229 Cod. Civ., eum qui fundum tamquam derelictum vel tamquam traditum ab iis, qui eum alieno nomine possidebant, detineat cum animo sibi habendi, non solum possessionem sed et proprietatem per præscriptionem acquirere; ita ut dominus de Jure Hodierno tantum habeat actionem contra eum, qui fundum ejus nomine detinebat.

Quomodo amittitur possessio? Amittitur, ut de Jure romano, vel nobis volentibus vel nobis invitis. Volentes amittimus possessionem, si rem pro derelictâ habeamus, vel si eam aliis tradamus; traditio enim nihil aliud est quam translatio rei venditæ in potestatem et possessionem emptoris art. 1604 Cod. Civ. Inviti vero amittimus possessionem pluribus ex causis, ut, si ex possessione dejiciamur art. 2233 Cod. Civ., si res nostræ a creditoribus vendantur art. 2204, aut si eas ob utilitatem publicam debeamus cedere art. 545, item si fundus a mari vel a flumine occupetur; nam licet De Maleville ad art. 2243 doceat, possessionem casu inundationis animo retineri, malumus dicere cum Pailliet ad eumdem art. 2243, eam, uti de Jure Romano, pro amissâ habendam esse, eo quod nulla adest

ratio, cur potius possessor possessionem suam, quam dominus suâm servitutem possit hoc in casu animo retinere.

SECTIO QUINTA.

De commodis possessionis.

Commoda possessionis sunt duplicia, alia soli bonæ fidei possessori competunt, alia cum bonæ tum malæ fidei possessori competunt. Incipiamus de commodis possessionis soli bonæ fidei possessori competentibus.

Inter commoda possessionis soli bonæ fidei possessori competentia primum est, quod tempore, quod ad præscriptionem definitum est, completo dominium adjiciat possessori.

Alterum bonæ fidei possessionis commodum consistit in eo, quod, si quis bonâ fide et justo titulo possessionem acquisitam casu amittat, antequam rem præscripserit, possit eam a quocumque debiliori jure possidente recuperare actione, quæ venit de Jure Romano nomine actionis publicianæ. Verum quidem est, quod Codex ne verbum de hac habeat; at vero, cum hæc actio, ut fere omnes actiones prætorianæ, principiis æquitatis fundetur, non dubitamus, quin hæc actio de Jure Hodierno quoque sibi vindicet locum. Cæterum hæc actio, cum sit vera actio prætoria, necessaria non est nisi ei, cui actio possessoria deest; unde si quis possessione amissâ habet adhuc actionem possessoriam, si sit ipsi adhuc facultas agendi possessorio modo, fluctuare non debet, ut hoc potius utatur remedio quam viâ actionis publicianæ, eo quod in pos-

sessorio ne titulum quidem suæ possessionis tenetur probare. Eâdem fere ratione interest domini aliquando actione publicianâ uti, quia, si per eam necessitate exhibendi titulum non solvitur, dispensatur saltem a probatione, quâ firmare teneretur, quod is, ex quo titulus suus emanat, esset dominus rei.

Tertium tandem bonæ fidei possessionis commodum est, quod fructus a solo separatos faciat possessoris sine distinctione, an sint fructus naturales an vero industriales art. 549 Cod. Civ., cui, cum nullam inter fructus distinctionem faciat, applicanda est regula : ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec quidquam interest hac in parte inter judicium universale petitionis hæreditatis et reivindicationis, id est, inter bonæ fidei possessorem rei singularis et bonæ fidei possessorem hæreditatis; nam, etsi ex Jure communi possessor hæreditatis, cum desit ipsi titulus, omnes fructus restituere deberet, etiam consumptos ex quibus locupletior factus est, L. 1 C. de petit. hæred. L. 20, § 3 ff. eod., item art. 550 Cod. Civ., decidit art. 138 Cod. Civ., bonæ fidei possessorem hæreditatis omnes fructus facere suos. Nec obstat, quod dict. art. loquatur de hæreditate ad absentem pertinente; nam ea quæ de bonæ fidei possessore hæreditatis ad absentem pertinentis obtinent, quoque obtinere debent de bonæ fidei possesore hæreditatis ad absentem non pertinentis, eo quod inter illos possessores nulla disparitatis ratio exsistit. Hinc reflecti potest, articulum 550 Cod. Civ., qui ex principiis titulum requirit, exceptionem pati in art. 138; nec est ibi quid novi, nam hoc et olim sic se habebat, ut testatur Stockmans (1).

(1) Decis. 27.

Quæritur autem, an bonæ fidei possessor faciat fructus irrevocabiliter suos. Quod affirmandum putamus; dicit enim art. 549 Cod. Civ., fructus ad eum pertinere, quo videtur se referre ad id, quod antea obtinebat. Sed ante Codicem possessor acquirebat sibi fructus irrevocabiliter, teste Pothier (1); ergo et nunc acquirit eos sibi irrevocabiliter, cum toties, quoties quid acquirimus, acquiramus id irrevocabiliter, nisi lex contrarium statuat.

Bonæ itaque fidei possessor facit fructus irrevocabiliter suos; at alia est quæstio, utrum eos ita acquirat, ut nullo in casu possit ad eorum restitutionem teneri. Finge bonæ fidei possessorem ad derelictionem fundi condemnatum petere deductionem impensarum, poteritne dominus contendere, illum perceptorum fructuum valorem debere compensare cum eo, quod sibi impensarum causâ debetur, ita ut dominus teneatur tantum possessori solvere id, quod fructuum valore deducto restat? Et quidem de Jure Romano nullum sententia affirmativa patiebatur dubium; ex L. 48 ff. de reiv. satisfaciebat dominus solvendo possessori illud, quod fructuum valore deducto restabat. Quod vero attinet sententiam de Jure Hodierno ferendam, putamus, quod decisio Juris Romani, licet eam nullo art. Cod. possimus fundare, hodie etiam obtinere debeat, eâ scilicet ratione, quod æquitas et ratio juris id quam maxime postulat; quod enim possessor deducat impensas, est hodie ut olim, ne locupletior fiat dominus cum jacturâ ejus, at summo et stricto jure non poterat deducere, sed ex æquitate tantum, cum autem lucrum possessor habeat

(1) Traité du droit de domaine de propriété nr. 341.

ex fructibus, et res naturaliter fructificet suo domino, hinc fit possessor locupletior cum jacturâ domini, quare cum velit habere illud lucrum ex fructibus, æquitas vult, ne cupiat deducere impensas, ut sic illa sese mutuo compensent. Objiciunt adversarii, quod lex det possessori et jus deducendi impensas, et jus fructus solo separatos irrevocabiliter faciendi suos, quod jus possessori auferri non potest, id quod tamen contingit, si dicamus, dominum fructuum valoris compensationem cum impensis posse contendere. Respondemus : verum est, quod hoc ex opinione nostrà sequatur, sed utrum id invitâ lege fiat nec ne, alia est quæstio, quam negandam esse non dubitamus; deductio enim impensarum hodie ut olim fundatur hoc scilicet principio, quod nemo possit cum damno alterius locupletari, jam autem quando dicimus, quod possessor teneatur impensas compensare cum fructibus, ita ut superfluum tantum possit a domino exigere, nemo locupletatur cum damno alterius, quoniam possessor indemnis est lucro ex fructibus percepto, et proinde objectio illa nihil contra nos probat. Neque obstat, quod ex principiis compensationis non dentur termini habiles ad compensationem, eo quod possessor est quidem creditor impensarum non autem debitor fructuum; non enim contendimus, quod compensatio stricto jure, et secundum ejus principia hoc in casu debeat obtinere, sed quod æquitas eam quam maxime postulet.

Cæterum præter hæc notari potest, possessorem, uti de Jure Romano, desinere facere fructus suos statim ac agnoverit, rem esse alienam, id quod probat art. 550, § 1, ubi dicitur : *le possesseur cesse d'être de bonne foi du moment où ces vices lui sont connus.* Unde clare patet, bonæ fidei possessorem posse fieri malæ fidei, licet nec lis contestata sit, nec ulla interpel-

latio facta sit; at id non præsumitur, sed necesse est ut actor illud probet (1).

Videamus nunc de possessionis commodis tum bonæ tum malæ fidei possessori competentibus.

Inter hæc primum est, quod, qualiscumque possessor, hoc solo quod possidet, conservet sibi rem, donec quis probaverit, se in re plus juris habere; nam, ait art. 2230 Cod. Civ., *la possession vaut titre jusqu'à la preuve du contraire*, eâ scilicet ratione, quod antequam hoc probatum sit, nulla adest ratio mutandi statum rerum. Hinc etiam fruitur possessor omnibus juribus proprietati annexis, et fructus percipit, quos tamen, si malæ fidei sit, debet domino supervenienti et rem suam repetenti restituere.

Præterea cum longe commodius sit possidere quam petere, cum actori incumbat onus probandi, plurimum interest cujuscumque possessoris, possessionem casu perturbationis aut etiam spoliationis posse retinere vel recuperare, ideoque etiam cuilibet possessori comparatæ sunt actiones, quæ non nisi possessionem concernentes appellatæ sunt actiones possessoriæ art. 23 Cod. Proc. Videamus nunc, quid juris de his actionibus obtineat.

(1) Delvincourt, Tom. II, pag. 233 et suiv.

SECTIO SEXTA.

De actionibus possessoriis.

Actio possessoria definiri potest actio, per quam petimus, ut conservetur nobis possessio fundi vel juris realis, quando in eâ turbamur, aut ut eam recuperemus, quando eâ dejicimur.

Sunt, qui huic definitioni adjiciunt hæc verba: aut ut concedatur nobis fiduciaria possessio (ou enfin pour en avoir la possession par provision). At infundate, ut opinamur, eo quod, ut supra probavimus, judex numquam fiduciariam possessionem possit concedere.

Actio itaque possessoria tendit vel ad retinendam possessionem, si in eâ turbemur, vel ad recuperandam possessionem, si ex eâ dejiciamur. Hinc dividi solent in manutenentiam et redintegrationem (la complainte et la réintegrande), quam divisionem, licet Cod. Proc. art. 23 non distinguat inter manutenentiam et redintegrationem, et hodie faciendam arbitramur, eâ scilicet ratione, quod differentia illarum actionum necessario oriatur ex diversâ perturbationis, quam subit possessio, naturâ. Quâ de re elocutionem *actiones possessoriæ* dicimus esse genus, cujus manutenentia et redintegratio duæ sunt species, quarum utraque hoc tum ex Jure Civili tum ex Jure Canonico fundatur principio: spoliatus ante omnia restituendus est, etiamsi, qui spoliatus est, nullum jus in re habeat, quia nemo sibi jus dicere potest et alium de suâ possessione dejicere, alias partes ad arma quotidie prosilirent, sicque pax

et concordia civium turbaretur. Videamus nunc quid sit singula.

Actio possessoria nomine manutenentia (la complainte) definitur actio, per quam petimus a judice, ut conservet nobis possessionem fundi vel juris realis, in quâ turbamur, et imponat alteri, ab omni perturbatione desistere, respondet itaque interdicto Juris Romani uti possidetis.

Actio vero possessoria, quæ vocatur redintegratio (la réintegrande), definitur actio, quam possessione fundi vel juris realis dejecti intendimus contra dejectorem, ut restituat nobis possessionem, quâ nos vi dejecit, respondet igitur interdicto Juris Romani unde vi vel de vi.

Quandonam hæc, quandonam illa vindicet sibi locum, patet jam ex definitione; tunc scilicet habet locum manutenentia, dum quis in possessione suâ turbatur, at cum perturbatio possessionis duplex sit, facti vel juris, videamus quid sit singula.

Perturbatio facti est, quando viâ facti (par voie de fait) impedimur, quominus re nostrâ fruamur, v. g. cum sit mihi jus eundi per tuum fundum fodis fossam, quæ est mihi obstaculum, quominus jure meo eundi per tuum fundum utar; econtra perturbatio juris est, quando viâ juris (par voie de droit) calumniose impedimur, quominus re nostrâ fruamur, v. g. dum quis manus in bona nostra injiciat (quand quelqu'un fait la saisie de nos biens), quo fit nobis impedimento, quominus fructus ex re nostrâ percipiamus. Cæterum tamen nihil interest, utrum perturbatio sit facti vel juris, utraque dat locum manutenentiæ.

At vero ut redintegrationi sit locus, non sufficit, ut in possessione nostrâ turbemur, sed requiritur, ut eâ dejecti simus; tendit enim ad recuperandam possessionem, quâ spoliati sumus. Sed cum redintegratio complectatur manutenentiam, ut patet ex definitione, quam de redintegratione dat nobis Pothier (1) dicens : *on appelle l'action en réintegrande l'action de complainte lorsqu'elle etc.*, ei, cui competit redintegratio, competit quoque manutenentia.

Cæterum notari potest, in casu redintegrationis aliquando locum esse incarcerationi (à la contrainte par corps) art. 2060 nr. 2 Cod. Civ., id quod non obtinet in casu manutenentiæ. Ratio vero disparitatis consistit in eo, quod is, qui vi possessione aliquem dejiciat, possit non ignorare, se factum illicitum committere, is autem, qui solummodo possessorem in ejus possessione turbat, facit hoc forte bonâ fide, potuit credere, sibi jus esse fruendi; quare leges merito cum illo durius quam cum hoc agunt. Cum hæc jam, quæ de actionibus possessoriis nobis adhuc dicenda manent, communia sint manutenentiæ et redintegrationi, non amplius inter eas distinguemus, sed generaliter dicemus : 1° ob quarum rerum possessionem actiones possessoriæ dentur, 2° quibus possessoribus competant, et 3° de formulis, quæ in actionibus possessoris observandæ sunt.

(1) Traité de la possess. nr. 106

§ I.

Ob quarum rerum possessionem actiones possessoriæ dentur?

Patet ex hucusque de actionibus possessoriis dictis, eas non competere nisi de possessione rei immobilis aut illius rei, quæ immobilibus adscribitur; diximus enim, finem illarum actionum esse nobis conservandi vel recuperandi possessionem fundi vel juris realis, quale est ususfructus, habitatio, servitus etc., nam licet hæ res ex naturâ suâ nec mobiles nec immobiles sint, utpote non nisi in intellectu exsistunt, immobilibus tamen adscribuntur art. 526 Cod. Civ. Patet hinc, nullam amplius actionem possessoriam competere ob possessionem redituum, qui ex art. 529 non immobilibus, sed mobilibus adscribuntur. Excipiendum tamen arbitramur reditum, qui, ut utar verbis art. 530 Cod. Civ., *est constituée a perpétuité comme condition de la cession à titre gratuit ou onéreux d'un immeuble;* nam reditus hic, ut celeberrimus noster Professor De Coster nos docuit in explicando art. 530, non a personâ sed a fundo debetur, quem proinde ex art. 526 Cod. Civ. immobilibus annumerandum, putamus actioni possessoriæ locum dare, uti et alias res incorporales, quæ immobilibus annumerantur.

Quin etiam non sufficit ad actiones possessorias, ut agatur de re immobili, sed et insuper requiritur, ut res talis sit, cujus possessio ad præscriptionem est efficax. Hinc ille, (uti etiam judicatum fuit a Curiâ Cassationis 21. Octob. 1807 teste

DENEVERS) (1), qui in possessione servitutis turbatur, non potest actionem possessoriam exercere, nisi servitus ejus sit apparens simul et continua; omnium enim aliarum servitutum possessio, cum sint necessario continuæ non apparentes, vel discontinuæ apparentes aut non apparentes, ad præscriptionem est inhabilis art. 690 et 691 Cod. Civ. Unde, cum præcipuus actionis possessoriæ effectus est conservandi detentori possessionem, sententia in possessorio ferenda esset directe contra dispositionem legis; nam dict. art. 691 non patitur alias servitutes quam apparentes simul et continuas diuturnâ possessione seu præscriptione acquiri, hæc ita, si is, qui in servitutis possessione turbatur, non habeat titulum, at si titulo munitus est, tametsi agatur de servitute aliâ quam apparente simul et continuâ, potest actionem possessoriam exercere, si in eâ turbetur aut etiam eâ spoliatus sit (2).

Diximus, actiones possessorias non dari nisi ob possessionem rei immobilis, hinc eas possessori rerum mobilium numquam competere. Et revera dicitur in art. 2279 *en fait de meuble la possession vaut titre*, quæ verba non solum significant, quod possessori res mobilis conservetur, donec quis probet, se in re plus juris habere (nam et hoc quoque obtinet in rebus immobilibus, si saltem per annum possederit), sed et etiam quod ita res mobilis ipsi conservetur, ne quis, præter casus § art. 2279 et art. 2280 Cod. Civ. exceptos, possit eas vindicare, quod et favore commercii rapidâ illarum rerum circulatione fundatur. Jam vero ex d. § art. 2279 et art. 2280 constat, actiones possessorias ne quidem casu furti vel jacturæ (de perte)

(1) An. 1807. pag. 105.

(2) V. Jurisprudence du Cod. Civ. Tom. XV, pag. 362 et SIREY, Tom. X, pag. 323.

competere possessori rerum mobilium; unde, cum sint ibi casus valde favorabiles, numquam ob possessionem rerum mobilium competere actiones possessorias merito concludi posse non dubitamus. Cæterum hæc erat etiam dispositio Constitutionis Regiæ anni 1760.

Verum autem quæritur, utrum idem dicendum sit casu, quo non agitur de re mobili particulari sed de universitate rerum mobilium. Quæstio hæc, quæ ex dict. Const. Regiâ nullum desiderabat dubium, cum diceretur in Tit. VIII art. 1: *pour une universalité de meubles,* majorem patitur de Jure Hodierno difficultatem, quoniam Cod. Proc. dispositionem illam non repetiit, sed tamen, cum nonnulla differentia habeatur inter rem mobilem particularem et universitatem mobilium, quæ elocutio secundum omnium interpretum opinionem designat universitatem mobilium ab hæreditate quâdam dependentium, quæ, ut loquitur Bourjon (1), videtur repræsentare speciem rei immobilis, putamus, dispositionem illam de Jure Hodierno quoque servandam esse. Quod vero attinet objectionem, quæ potest deduci ex eo, quod Codex non repetiit dispositionem Constitutionis anni 1760, respondemus cum Pailliet (2), quod inde nihil possit concludere, quam quod Codex voluerit actionum possessoriarum exercitium permittere toties, quoties possimus acquirere per præscriptionem rem corporalem vel incorporalem aliam quam mobilem; nam, ut ait art. 2279 Cod. Civ., *en fait de meubles la possession vaut titre,* quæ disposi-

(1) Droit commun de la France, Tom. II, Tit. 4, Sect. 3.

(2) Ad art. 23, Cod. Proc.

tio, uti etiam observat Bigot de Préameneu, universitati mobilium applicari non potest, et ita sentit Merlin (1).

§ II.

Quibus possessoribus actiones possessoriæ competant?

Competunt actiones possessoriæ omnibus iis, qui titulo non precario pacate per annum integrum possident art. 23 Cod. Proc., sine distinctione, justa an injusta fuerit eorum possessio; nam cum hisce in actionibus solummodo inquiratur factum possessionis, nullo proprietatis aut etiam juris possidendi respectu habito, natura illarum actionum obstat, quominus ad eas requiratur justa possessio. Præterea si natura possessionis esset hic inquirenda, accumularetur petitorium cum possessorio, id quod vetat art. 25 Cod. Proc.

Actiones itaque possessoriæ competunt iis, qui possident titulo non precario art. 23 Cod. Proc., titulo autem non precario possidere intelliguntur soli ii, qui possident animo domini; nam ut fere omnes, quos vidi, sentiunt interpretes, verba « possidere titulo non precario » nihil aliud significant, quam possidere animo domini à (titre de propriétaire), ita ut nemo possit has actiones exercere, nisi habeat possessionem animo domini, quæ sola ex art. 2229 Cod. Civ. ad præscriptionem est habilis. Et ita contra opinionem auctorum quorumdam (2) sentiunt Pailliet (3), Merlin (4), Del-

(1) Tom. II, pag. 657.

(2) Du Praticien français, Tom. I, pag. 180.

(3) Ad art. 23, Cod. Proc.

(4) Répertoire, sub voce : *complainte*, Sect. 1.

VINCOURT (1) et alii. Patet hinc, actiones possessorias non habere colonum, depositarium, commodatarium et similes; hi enim non possident animo domini, econtra sunt tantum in possessione, idque nomine illius, quem loco domini habent, et sic non mirum, quod non competant ipsis actiones possessoriæ, quæ nisi possessionem, quam non habent, concernunt. Estque eâ ratione, quod dicitur in art. 1768 Cod. Civ.: *le preneur d'un bien rural est tenu, sous peine de tous dépens, dommages et intérêts, d'avertir le propriétaire des usurpations, qui peuvent être commises sur le fonds.* Nihil obstat tamen, quominus coloni et alii, qui non possident animo domini, intendant actionem ad resarcitionem damni fundo fructibus vel eorum perceptioni importati, sed hæc actio non erit possessoria, quæ nisi possessoribus animo domini competunt.

Sed quid de fructuario? An is saltem si colono et similibus non competant actiones possessoriæ, eas potest exercere? Et quidem non dubitamus, quin hoc affirmandum sit, non quidem respectu fundi, quem tantum detinet nomine domini, sed respectu sui ususfructus, cujus veram possessionem habet; possidet enim cum animo domini seu titulo non precario, et ex art. 526 Cod. Civ. ejus ususfructus immobilibus adscribitur, ita ut nihil obstet, quominus usufructuario competant actiones possessoriæ. Ideoque etiam Codex non definit in art. 814 tempus, intra quod fructuarius tenetur domino denuntiare damna, quæ quis ejus juri proprietatis attulisset, uti facit in art. 1868 respectu coloni, nec utitur verbis in dict. art. 614: *les usurpations commises sur le fonds*, ut in art. 1768, sed dicit: *les atteintes faites au*

(1) Tom. II, pag. 854.

droit du propriétaire; unde clare patet, fructuarium, qui v. g. in usufructu suo turbatur, posse judicium queribundum intendere, sed hoc solummodo in suo favore, et unice ut conservetur ipsi suus ususfructus, ita ut judicium, quod vel ipsi vel contra ipsum ferendum est, sit respectu proprietarii fundi res inter alios judicata (1).

Cæterum actiones possessoriæ non solum competunt possessori animo domini sed et ejus hæredibus, tametsi possessionem nondum naturaliter apprehenderint; nam, ut supra vidimus, art. 724, defuncti possessionem in hæredem derivari sine ullo facto ejus, decernit secundum vulgatam regulam: *le mort saisit le vif*, eumque quoad juris auxilia et actiones pro possessore agnosci. Quapropter, si hæres prohibeatur possessione domus vel fundi, quem defunctus tempore mortis possederat, hoc remedio possessionem in eum derivatam recuperare poterit. At quæritur, quid dicendum esset de hærede fructuarii, qui possessione suâ spoliatus moritur, an competunt ipsi actiones possessoriæ? Ratio dubitandi consistit in eo, quod ususfructus, cum sit jus mere personale, exstinguatur morte fructuarii, quo fit, quod actio, quam defunctus ad recuperandam possessionem suam habebat, videatur quoque exstincta, quæ proinde videtur hæredi competere non posse. His tamen non obstantibus non dubitamus, quin actio possessoria competat hæredi fructuarii, eâ scilicet ratione, quod fructuarius eam ad suum hæredem transmisit, habebat enim eam in suo patrimonio, quod jam eo mortuo integrum acquisitum est suo hæredi, cui proinde etiam acquisita est actio

(1) Pothier, Coutume d'Orléans, Tit. XXII, Sect. 3, § 2.

possessoria, non quidem ut possit recuperare possessionem ususfructus, nam hic morte sui auctoris fuit necessario exstinctus, sed ut possit recuperare omnia commoda, quibus defunctus per deturbationem e possessione fuit privatus (1).

Verum autem, ut quis actiones possessorias possit exercere, non sufficit, ut animo domini possideat, sed et insuper, uti diximus, requiritur, ut saltem per annum integrum pacate possederit.

Pacate vero possedisse intelligitur ille, cujus possessio nec contestata nec interrupta fuit, id quod tamen de interruptione succinctâ intelligendum est; nam si interruptio esset tantum momentanea, non videretur possessio interrupta. Lex præsumit, quod is, qui possessionem occupavit, id fecerit errore ductus, quodque is, qui possessionem habebat, eam iterum apprehenderit, aut quod se occupationi opposuerit, statim ac eam noverit, id quod utilitas publica quam maxime postulabat; nam si occupatio fundi etiam momentanea sufficeret, ut quis possessionis suæ effectibus privetur, rixis et tumultibus fenestra aperiretur, quilibet possessor committeretur singulis momentis periculo sequendi lites ad jus suum proprietatis probandum. Hinc necesse fuit definire tempus, quo elapso is, qui ante possedit, censetur possessionis effectus amisisse, et novus possessor eos videtur acquisivisse, quod factum art. 23 Cod. Proc., e quo, ut lex aliquem in possessione ejus tueatur, necesse est, ut saltem per annum integrum possederit. At vero exsurgit inde quæstio, quid dicendum esset, si is, qui in pos-

(1) V. Pothier, Traité de la Possess. nr. 117.

sessione suâ turbatur, per annum integrum nondum possederit, possitne hic actionem possessoriam exercere. Respondemus, quod, si ex art. 2235 Cod. Civ. possit uti accessione possessionis temporis, quo auctor ejus possedit, nullum sit dubium, quin possit actionem possessoriam exercere, quoniam tunc potest annalem suam possessionem complere; difficultas itaque tantum nascitur casu, quo illius articuli favore uti non potest. Et quidem tunc concludendum videtur ex art. 23 Cod. Proc., quod is, qui per annum integrum non possedit, possit in possessione suâ turbari, aut etiam eâ spoliari, quin adversus turbantem detur actio possessoria ad perturbationem amovendam; id quod minime credendum nobis videtur, quoniam inde contingeret, quod turbæ et spoliationes essent lege connivente concessæ aut saltem non reprimendæ. Qua propter si is, qui facultatem complendi annalem suam possessionem non habet, in eâ turbetur aut etiam eâ spolietur, antequam per annum integrum possederit, distinguendum esse arbitramur. Si in possessione suâ turbetur a præcedente possessore, qui, postquam per annum integrum possederit, nondum abhinc anno fuit possessione suâ spoliatus, non dubitamus, quin actio possessoria ipsi deneganda sit, quoniam ea competit ejus adversario, cui, ut supponimus, nondum præscripta est; nec est ipsi quidquam, de quo queri potest, cum per tempus ad præscriptionem illius actionis requisitum nondum possederit. Sin vero in possessione suâ turbetur ab extraneo, qui numquam possedit, vel qui quidem possedit, sed cui actio possessoria præscripta est, putamus, hoc in casu actionem possessoriam ipsi dandam esse, licet per annum integrum nondum possederit, quia alias, ut diximus, posset quisque possessionem ejus impune occupare, cum turbæ et spoliationes essent lege connivente con-

cessæ aut saltem non reprimendæ. Hinc patet, viam facti licite committi a præcedente possessore contra eum, a quo in possessione suà fuerit turbatus vel eà dejectus, licet tamen ob difficultates, quæ inde oriri possunt, multo securius ageret recurrendo ad judicem (1).

§. III.

De formulis, quæ in actionibus possessoriis observandæ sunt.

Persequimur et ordinamus actiones possessorias ut alias actiones. Deferantur necesse est intra annum ad judicem pacis illius loci, in quo fundus, de cujus possessione agitur, situm habet, ex lege 24 Augusti 1790, item art. 3 Cod. Proc., ubi dicitur: *les actions possessoires ne seront recevables, qu'autant qu'elles auront été formées dans l'année du trouble.* Hoc anno elapso præsumit lex, quod se possessionis commodis voluerit orbare, hoc autem non impedit, quominus, si quid juris in re sibi competere putet, petitorio modo agat corum judice ordinario, nec concernit præscriptio illa actiones criminales, quibus ex art. 446, 456 et 466 Cod. Proc. aliquando locus est, sed solummodo actiones possessorias.

Verum autem quæritur, a quo tempore præscriptio illa incipiat currere. Respondet Pailliet (2): *le délai d'un an, pour*

(1) Pailliet ad art. 3, nr. 4 Cod. Proc. Pigeau, Procédure Civ. Tom. II, p. 476. Item Merlin, Répertoire sub voce *question préjudicielle*, Tom. X, pag. 518 et sqq. et sub voce : *voie de fait*, T. XIV, p. 552 et sqq.

(2) Ad art. 1768 Cod. Civ. Item ad art. 23 Cod. Proc.

intenter l'action possessoire, court du jour du trouble, et non du jour où le trouble a été connu, bien qu'il s'agisse d'un trouble de droit plus que d'un trouble de fait, et encore que le trouble ait eu lieu non contre le propriétaire, mais contre un fermier par qui le propriétaire n'en a pas eu avis. Id tamen, quod affirmandum putamus, patitur exceptionem casu, quo quis possessione vi dejicitur; nam, ut habet art. 2233 Cod. Civ., *les actes de violence ne peuvent fonder non plus une possession capable d'opérer la prescription.* Hæc cum ita sint, necesse est, ut is, qui possessione suâ vi dejicitur, admittatur ad actionem possessoriam intentandam, licet abhinc integro anno perturbatio locum habuerit, quoniam ex art. 23 Cod. Proc. actio possessoria contra præcedentem possessorem exerceri non possit, si novus possessor per annum integrum pacate non possederit. Aliud foret, si abhinc integro anno possessio fuerit interversa, quia a momento interversionis possessio occupatoris incipit ad præscriptionem esse efficax (1).

Si actione possessoriâ intensâ denegetur possessio, ut si reus sustineat, possessorem nondum per annum integrum possedisse, aut si perturbatio denegetur, vel quia reus se eam commisisse negat, vel quia ipsemet actor dedit ei locum, constituatnr necesse est quæstio (une enquête), quæ nullo modo jus proprietatis concernit, sed factum possessionis turbationis vel spoliationis per testes probari potest art. 24 Cod. Proc. Hinc si reus in actione possessoriâ excipiat de jure suo proprietatis, exceptio illa non nisi proprietatem concernens non impediet, quominus factum possessionis primum judicetur, salvo tamen adversarii jure agendi petitorio modo,

(1) V. Delvincourt, Tom. II, pag. 857.

postquam perturbatio cessaverit, aut postquam possessio; fructus ac omne damnum et interesse, si locus sit, fuerit possessori restitutum, ex axiomate: spoliatus ante omnia restituendus est, et regula: petitorium non potest cum possessorio accumulari art. 25 Cod. Proc. Ex dictis regulis sequitur et hoc, quod possessor, scilicet si perturbator ad prævertendum judicium petitorium, quod a possessore timendum habet, directe intendat actionem petitoriam, possit hoc non obstante confestim actionem suam possessoriam exercere, ut hac mediante perturbatori impedimento sit, quominus actionem petitoriam exercere possit, antequam judicium possessorium sit latum.

Quæritur autem, si per vim, quæ ab utrâque parte locum habuit, incertum sit, cui litigantium possessio fundi, quam quisque sibi contendit, attribuenda sit, an judex hoc in casu nihil circa possessionem statuendo possit litigantes ad petitorium remittere. Putat hoc Pothier (1), item alii auctores (2); nobis autem mature considerato eo, quod observat Pailliet (3), contraria præplacet sententia, quia, ut ait hic JCtus, nihil circa possessionem statuere et litigantes ad petitorium remittere est accumulare petitorium cum possessorio, id quod vetat art. 25 Cod. Proc. Quâ de causâ in definitione actionis possessoriæ diximus, judicem numquam fiduciariam possessionem posse concedere, sed ipsi definitivam semper attribuendam esse ei, cujus possessio vel ex actibus possessoriis vel ex anti-

(1) Traité de la Possess. nr. 105.

(2) Du Praticien français, Tom. I, pag. 185.

(3) Ad art. 3, nr. 4, Cod. Proc.

quitate seu titulis possessionis videtur ipsi magis fundata, eo quod putamus cum DUMOULIN, in conflictu probationum titulatam vel antiquiorem possessionem vincere.

Hisce in præscribendis formulis prosequitur Cod. Proc. statuendo in art. 25, possessorium cum petitorio numquam posse accumulari, id est, quod judex, ad quem actio possessoria delata est, non possit examinare jus proprietatis, antequam sententia de possessione sit lata. Aliud tamen secundum veriorem opinionem obtinebat de Jure Romano, poterat tunc possessorium cum petitorio accumulari, nec erat ibi quidquam, quod mirari debemus, nihil enim ex naturâ rei obstare videtur, quominus adipiscendæ vel recuperandæ possessionis judicium cumuletur cum petitorio, nam quid obstat, quin et rem et possessionem ejus petam, seu quin agam ad recuperandam possessionem rei quâ me spoliasti, et simul intendam rem esse meam. Hæc autem licet ita sint, vetat expressus textus art. 25, possessorium cum petitorio accumulari, eo quod judicium possessorium illud est, cujus exitus disponit ordinem petitorii, discernens, uter in eo actoris, uter rei partibus sit functurus; nam et ei soli, qui in possessorio litem perdidit, incumbit in petitorio onus probandi, alter possessione suâ nitens ab omni probatione liberatur.

Quin etiam non solum vetat art. 25 Cod. Proc. possessorium cum petitorio accumulare corum eodem judice, sed nec patitur art. 27 Cod. actionem possessoriam simul cum actione petitoriâ deferre ad diversos judices; ait enim: *le défendeur au possessoire ne pourra se pourvoir au pétitoire, qu'après que l'instance sur le possessoire sera terminée.* Necesse itaque est,

si reus in possessorio velit actionem petitoriam intendere, ut incepta possessorii discussio sit terminata, quin imo nec sufficit hoc aliquando, ut in petitorio debeat admitti; nam si in possessorio litem perdiderit, requiritur et insuper, ut omne illud, ad quod ex possessorio fuit condemnatus, persolverit, *il ne pourra,* prosequitur dict. art. 27, *s'il a succombé, se pourvoir qu'après qu'il aura pleinement satisfait aux condamnations prononcées contre lui,* idque est, in quo consistit pœna, quam incurrit auctor perturbationis, qui voluit sibi ipsi jus dicere. Verum autem cum fieri possit, quod condemnationes, quas vi judicii possessorii persolvere tenetur, non sint liquidæ, et quod ille, qui eas obtinuit, earum expeditioni nectat moras, ut possessionem possit protendere; quoniam per hoc adversario suo est impedimento, quominus actionem petitoriam possit intendere, sapienter statutum est § dicti art. 27, quod reus, qui ob moras possessoris hucusque condemnationes non potuit persolvere, hoc casu facultatem habeat petendi a judice, ut definiat tempus, quo elapso possit de jure, quod in re contendit, experiri. Idque æquitas quam maxime postulabat; nam possessor, cujus non amplius interest litigare, non debet per moras suas posse impedire, quominus adversarius suus de jure suo experiri valeat.

Ex dictis patet, quod is, qui in actione possessoriâ primum intensâ succumbit, possit ad petitorium recurrere. At vero cum ex art. 25 et 26 Cod. Proc. sit ipsi facultas, vel primum agendi possessorio modo, vel primum agendi petitorio modo; quæritur, utrum, si in actione petitoriâ primum intensâ succumbat, possit ad possessorium recurrere, uti potuisset ad petitorium, si in actione possessoriâ primum intensâ succubuisset.

Quod ex art. 26 Cod. Proc. omnino negandum est, ubi dicitur: *le demandeur au pétitoire ne sera plus recevable à agir au possessoire*. Et revera noto possessore non ideo noscitur dominus; at noto domino noscitur quoque possessor, quoniam possessio naturaliter conjuncta est cum proprietate, quæ sine eâ inutilis est.

Certum itaque est, judicio petitorio lato non posse ad possessorium recurri; sed an saltem non possumus actionem possessoriam exercere pendente adhuc judicio petitorio? Respondemus, quod ne quidem hoc in casu possit possessorio modo agi, quia dicitur in dict. art. 26: *le demandeur au petitoire ne sera plus recevable à agir au possessoire*. Et revera is, qui se condemnatum habet, aut qui saltem commoda possessionis relinquit, ut illico possit agere petitorio modo, quam evidentissime ostendit per illam agendi rationem qualitates litigantium, quippe sibi ipsi incommodiores eligit; assumit enim eas, quæ necessitatem probandi secum trahunt, quapropter non immerito nequit amplius qualitatem, quam sibi elegit, mutare, et decidendum relinquere, quod proprio suo facto decidit. Si tamen actione petitoriâ intensâ reus petitioni non acquievisset, aut si non intervenisset judicium condemnatorium, cum contractus judicialis non foret perfectus, putat PIGEAU (1), actorem a petitorio posse desistere et ad possessorium recurrere, arg. art. 1211 Cod. Civ., uti ex L. 12 § 1 ff. de acq. vel amitt. poss. in omni casu obtinebat de Jure Romano; nam tunc temporis potius ex ignorantiâ et justo errore quam animo renuntiandi possessioni id factum esse præsumebatur. At con-

(1) Procédure Civile, Tom. II, pag. 1176.

traria præsumptio præplacuit hodiedum in art. 26 Cod. Proc. Verum tamen quæri potest, utrum art. hic 26 non solum de facto possessionis sed et etiam de jure possidendi sit intelligendus, ita ut v. g. fructuarius, qui dominium fundi sibi contendens in petitorio succubuit, non possit amplius agere possessorio modo, ut possessionem sui ususfructus consequatur. Quod negandum putamus, quia est ibi nova instantia, quæ cum priori nihil commune habet; non potest itaque fructuario, licet jam in petitorio succubuerit, facultas probandi jus suum possidendi auferri. Actio non erit amplius possessoria, quippe in eâ discuteretur jus ad possessionem, id quod constituit qualitatem exclusoriam actionis possessoriæ, quibus et id accedit, quod durum et iniquum esset contrarium decidere, quippe auferretur fructuario jus, de quo sibi, antequam id in controversiam vocaretur, cavere non potuit.

XII.

ANDREAE COHEN KHONRAAD,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM MEDICAM.

ANDREAE COHEN KHONRAAD,

EX BERGIS AD ZOMAM,

MEDICINAE IN ACADEMIA LOVANIENSI
STUDIOSI,

RESPONSIO

AD

QUÆSTIONEM AB ORDINE MEDICORUM PROPOSITAM:

Quid sunt affectus animi? Undenam oriuntur? Qui sunt eorum in corpus humanum effectus? An medicus interdum in ægris eos excitare debet et quomodo? Quâ ratione alias ipsos præcavere, aut et alias præsentes tollere vel saltem moderare?

QUÆ PRÆMIO ORNATA EST VIII. IDUS OCTOBR.
M DCCC XXI.

Le dessein en est grand, le succès mal-aisé ;
Si je m'y perds, au moins j'aurai beaucoup osé.

LA FONTAINE.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM MEDICAM.

PARS PRIMA.

QUID SUNT AFFECTUS ANIMI?

Arctissimus existit animam inter et corpus nexus, quo perficitur ut mutuo in se agant, et unius mutato statu alterius quoque convertantur conditiones. Anima per se libera, a materia diversissima, connubio cum corpore organismi legibus adstringitur hujusque conditionibus sese submittit aliquatenus. In genere dum exhauriuntur vires vitales, potentia istius itidem cadit, si elevantur, idem observatur in facultatibus animæ. Cæterum ætas, sexus, temperamentum, statu

morbosus animæ facultates et affectiones aperte commutant, atque de corporis in eam influxu omnem dubitationem tollunt. Animæ actio in corpus perspicua est, dum attendimus ad id quod fit sub affectibus illius; cibi palato arridentis cogitatio efficit ut saliva cum impetu ex ductibus suis prosiliat et extrudatur, ac si ipse cibus in ore adesset exoptatus, ejusque parietes stimularet. Idea etiam fastidiosi nutrimenti ventriculi contractiones sollicitare valet.

Medium, quod mirificum junctionis animæ corporisque constituit vinculum, perspectum plane quamquam non habeamus, attamen nexum illum ponere videtur nervosum systema, quod totam concatenat corporis officinam, organorumque exercitio præsidet.

Discernitur illud in encephalicum sive cerebro-spinale et systema seu nervos gangliorum.

Hi nervi tenues, molliores, multiplices, absque ordine in trisplanchnicis diffusi cavitatibus, functionibus internis adsimilationis inserviunt; actio eorum haud interrumpitur, omnique in vitæ momento, in fœtu, per somnum et vigilias exeritur. Per innumeras inosculationes inter se et nervos encephalicos, mirabiles in corpore suscitantur motus symphatici, vitaque organica animali jungitur.

Alterum systema nerveum coagmentatur ex encephalo et nervis ex hoc proficiscentibus, quibus addi possunt partes peculiaris structuræ, sensus organa vocatæ. Hujusce systematis conjuncti intermedio, homo cum rebus extra se positis init commercium, ideas adipiscitur suas et cognitionem.

Inferioris ordinis animalia in quibus vix est evolutem cerebrum, et filamenta aliquot nervea occurrunt tantum, in-

stinctu solummodo reguntur, id est, legibus quæ servationi eorum præsunt, absque meditatione aut voluntaria determinatione: ad certas peragendas actiones incitantur, necessitate quadam incognita, cæco impetu. Symmetria ac geometrica accuratio qua apes alveolas construunt, non majus exhibet artificium quam phœnomena crystallisationis aut operationis chemicæ cujuscumque. Prout ad animantia altioris ordinis ascendimus, organa vitæ relationis adaugeri, et magis explicari intellectum videmus.

Sed omnium animalium systemate nervoso perfectissimo, cerebro maximo instructus est homo : intellectum habet integerrimum. Ratio facultas est ejus qua ab animalibus distinguitur, eisque longe superior redditur. Demum ducem non habet instinctum.

Plurimos etiam percipit sensus quorum fons duplex est, alii nempe in corpore excitantur, alii a rebus externis.

Isti proficiscuntur ex actione organorum, talesque sunt : sensus famis et sitis, dolor sub affectione pathologica, nisus ad solvendam alvum, urinam excernendam, lassitudo post vehemens exercitium, somni sensus, anxietas respiratione aeris oxygene nimis orbati orta. Ad hunc ordinem referri licet sensus qui nascuntur grati, dum his vitæ necessariis satisdamus. Sic sensus satietatis post cibum assumptum, voluptatis species, cessante dolore, somno dulci et jucundo, quiete, per quam defatigato corpore, dum redintegratur sanitas post longum morbum. Physiologi aliqui hos sensus, ut ita dicam, corporeos in numerum pathematum animi retulerunt : sed ab his longe distant ut in posterum demonstrabitur.

Alii oriuntur sensus uberiores ex objectis extra nos positis. Hæc afficiunt organa sensuum; dein impressiones a nervis ad cerebrum, centrum vitæ relationis, deferuntur, ubi percipiuntur, ideæ fiunt et vario modo animæ operationes in actum ducuntur.

Anima tot obruta ideis in unam quam sibi eligit incumbere, *attentione*, absentes, quæ jam occupatam tenebant eam, revocare *Memoria*, duas vel plures discernere ideas et de congruentia earum aut inconvenientia inter se ferre sententiam vel in unam componere, vel qualitatem objecti cum aliis ejusdem objecti sejungere, *Judicio*, novas tandem sponte sua creare *Imaginatione* potest. Hæ facultates conjunctim nomine intellectus humani salutantur, qui crescit cum idearum numero, debito exercitio ac explicatione cujuslibet istarum facultatum harumque concentu.

Alia hisce facultatibus accedit suprema, scilicet *Ratio*, judicium perfectissimum quod hominem brutis excelsiorem reddit, vitæ modum nostrum dirigit ac voluntatem, educatione excolitur et augetur ratione perfectionis animæ operationum directa, instinctui resistit, ab eo abhorret, impulsionibus corporis se objicit admodum, hostemque opponit animi pathematum furori formidandum.

Objecta externa aliàs simpliciter afficiunt animam per qualitates suas physicas in ipsis inhærentes, actione in sensus organa inevitabili, ideasque simplas excitant, aliàs animæ operationes movent, comparantur, dijudicantur et referuntur ad alia objecta vel ad nos.

Primo in casu, inserviunt ad cognitionem rerum, veritatis inquisitionem et artium scientiarumque culturam.

In altero, qualitates in nos utiles et noxiæ deprehenduntur, et decernitur num emolumentis nostris respondeant nec ne, dein ita se gerit anima ut quæ in beneficio suo agunt appetat, quæ autem in damno, avertere a se studeat.

Inter multiplices quæ animæ infiguntur impressiones, si ad intellectum spectent tantummodo, sit, v. g., cognitio alicujus facti, studium rei quæ meditationem poscit ut problema mathematicum, aspectus domi, anima indifferens est neç movetur, sed dum simul relatio habetur inter objectum et personam quæ illud percipit, id est : si objectum hoc emolumento suo aut detrimento quid conferre posse judicet, illud in harmonia esse cum voluntate sua, vel contrarium animadvertat, sublevatur anima, in eamdem ideam specialiter arripitur, quæ sine conatu removeri nequit, aliisque sensationibus, data occasione, viam occludit. Status ille *affectus animi* vocatur. Dum pervertitur vero judicium, libertas tollitur et succumbit ratio, *animi pathema* seu *passio* adesse dicitur.

Differentia animi adfectum inter et passionem est, quod in illa sensatio sola prævalet, in hoc reactio voluntatis major est. Gradu differunt tantum, itaque voce affectu et passione promiscue utar in hac dissertatione, attendens tamen, passionem majorem reactionem involvere quam animi adfectum.

Omnes animi adfectus referri possunt ad dolorem sive ad voluptatem. Ille oritur dum anima bonum, vel quod sibi gratum est, percipit, hæc vero dum malum, vel quod sibi displicet. Boni acquirendi desiderium, illique se uniendi, *amorem*, boni possessio *gaudium* excitat; fugiendi mali desiderium *odium*, illius exspectatio *metum* incutit. Præsens malum *mœrorem* gignit. *Ira* malo se opponendi desiderium est.

Hi affectus primarii dici possunt, quippe quod omnibus aliis originem dant: omnes alii ad unum aut plures eorum referri possunt, horumque sunt gradus.

Bonum nanciscendi probabilitas spem movet; dum tenetur, solatio, voluptate, hilaritate, dein gaudio afficitur anima. Ad quod pertinent oblectatio, lætitia. Prodit se risu, cantu, saltatione. Hujus affectus est comes incuria, securitas, liberalitas, etc.

Tristitia gaudio opposita est. In hâc occurrunt: curæ, inquietudines, anxietas, afflictio, mœror, ut et pœnitentia, animique angores commissi mali sensu; lacrymas gignit ille motus animi. Quo relaxato, provocantur gemitus, lamenta.

Amor stricte talis sive Platonicus, ardens animi motus est ac in juventute sæviens; circumdatur ab amicitia, charitate, pietate, favore, compassione. Natura amoris materni, paterni, filialis etc. eadem est, et discerni debent omnes ab amore gloriæ, honoris, divitiarum, etc. (tot enim dantur amores quot sunt objecta quæ desiderantur.) Nam in his homo semper spectat ad commodum suum et ex objecto fructus percipere vult. In amore sexus, materno etc., nullum recluditur emolumentum. Natura hos, societas illos progenerat. In his emotio interna fortior est quam in illis.

Odium præcedenti affectui oppositum est. Ejus gradus sunt fastidium, inimicitia, antipathia, detestatio, execratio. Fundamentum est invidiæ, calumniæ, malevolentiæ, malignitatis, crudelitatis.

Ira animi pathema est vehemens, cui favent derisiculum, contemptus, injuria, contumelia. Dum repugnatur iræ, furor

commovetur; animadvertitur ardore, impatientia, æmulatione. Temeritas, audacia, arrogantia ejus sodales sunt, nec non superbia, insolentia.

Metus dum ad summum pervehitur, terrorem concitat; suspicio, circumspectio, consternatio istius affectus gradus sunt.

Bonum et malum quæ elementa affectuum animi constituunt relativa sunt, et nihil certi continent; quod unus pro malo habet, alter bonum judicat, et vice versa. Quod in unum metum injicit, in altero audaciam et iram promovebit. Quod illi placet, huic aversioni erit. Oritur hoc ex eo quod relatio, quæ objecta et nos inter existit, non in his reperitur, sed in nobis adest, scilicet in anima quæ judicium fert de natura eorum.

Conveniunt inter se affectus animi in eo quod animæ tranquillitatem et indifferentiam tollunt, quod ex eodem fonte oriuntur, ex dolore et voluptate, et quod corpus plus minusve concutiunt, ejusque imbecillitates germinare possunt, si excedant modum.

Differunt quoad naturam, originem et effectus eorum in corpus humanum.

(A). Quoad naturam.

1° Moderati sunt et vehementes. Moderati dicuntur quando anima leviter movetur, illis imperium adhuc habemus, eosque, nutu ac arbitrio suscitare, aut dimovere valemus. Vehementes, dum nos gubernant adfectus, voluntas eis obedit, iis succumbimus et turbæ inferuntur œconomiæ animali.

2° Vividi sunt et fortes. Illi impressionem aliquam supponunt violentam, sed mox evanescentem; hæc a sensibilitate pendet ut in infantibus, feminis, subjectis irritabilioribus et qui regiones habitant calidas. Hi profundum, grave, durabile aliquid, et meditationem validam requirunt, ut in hominibus minus sensibilibus, ætatis virilis, temperamenti biliosi.

(B). Quoad originem.

1° Referuntur objecta vel ad individuum proprium: unde ambitio, fastus, audacia, fortitudo, timiditas, ignavia, animi abjectio et qui reliqui sunt adfectus, vel ad alias personas sive res animatas: unde zelotypia, invidia, indignatio, aversio, odium, nec non benevolentia, amicitia, veneratio, etc.

2° Spectato tempore in quo se ostendunt objecta; dum præsentia sunt et grata, oritur gaudium, si ingrata, terror, ira, mœstitia suscitantur. Hæ impressiones, quamquam absint objecta, plus minusve diu in anima relinquuntur, ita ut si gratæ fuerint, adhuc anima reddatur hilaris, læta; si ingratæ, mœstitia, pœnitentia, animæ angores inferuntur. Dum futurum prævidemus eventum, accenditur spes aut metus, pavor a malo jamjam imminenti, desperatio a summo dolore cui nullum amplius opponi potest remedium.

(C) Quoad actionem illorum in corpus humanum.

1° Quislibet animi adfectuum prodit se per signa specialia, in facie, oculis, etc., observabilia, quæ illos adesse indicant et de quibus alibi sermo erit.

2° Omnes peculiarem sensum imprimunt in præcordiis, cujus varietas ad duplicem reduci potest speciem, ad gra-

tum nempè et ingratum. Spes, gaudium, amor, propterea *grati* vocantur adfectus; contra metus, terror, ira, tristitia, tædium, *ingrati*.

3° Inter adfectus animi, alii vitalem celeriorem reddunt processum, actionem cordis et vasorum intendunt, et sub hoc respectu *excitantes* audiunt; tales sunt amor, gaudium, ira; alii uti metus, odium, tristitia oppositos effectus exerunt. Quamobrem nomen *deprimentium* meriti sunt.

4° Pro directione in quam pelluntur vires vitales ac humores. In gratis et excitantibus adfectibus ad peripheriam vergunt humores, et *expanduntur*: brevi durant isti; ingrati et deprimentes contrarium efficiunt; ad interiora pelluntur vitæ vires ac humores et *colliguntur*; diutius in corpore hospitantur.

5° Denique ratione actionis eorum in speciale organon et morborum productionis; ira enim potius in hepar agit, tristitia in ventriculum, et sic porro.

Discernantur animi adfectus ab emotionibus quæ ad intellectum pertinent, uti curiositas, admiratio, hujusque generis aliæ.

Neque permisceantur cum sensationibus de quibus supra fecimus verba. Hæ enim ex intimo corpore, ex organorum exercitio derivantur. Voluntati haud submissæ sunt. Ut illi autem nascantur, conditiones requiruntur plurimæ. Nulli exsurgunt nisi mediantibus objectis externis, eorumque qualitates ad nos æstimemus; actio est voluntatis: nam impedire possumus quominus moveamur. Præterea amborum effectus in corpus nimis est diversus quam ut confundi possint.

Dicitur longitudo temporis (tædium), animæ inquietudo cum sensu ingrato et molesto, a quo vindicare se conatur homo, ab emotionum gratarum et animæ facultatum exercitii defectu orta. Status ille anxius, præsente dispositione ad melancholiam, vitæ tædium creare, et ad autochirium, in certis regionibus endemicum, perducere potest.

Energia ac duratio passionum emanant potissimum a natura objecti, ejus gravitate, præsentia, ab actione ejus protracta in mentem, et a sensibilitate atque charactere subjecti. In genere impressiones improvisæ, subitaneæ, insuetæ, obstacula vincenda, interni ac externi sensus vividi et exquisiti, amor sui in altiori gradu, emotio animæ jam existens, imaginationis vis quæ solitudine, silentio et obscuritate augetur, animi motus intendunt ac firmant.

Animalia haud moveri, quotidiana improbatur observatione. Facile dignoscitur, num canis sit iratus vel placatus, num tristis vel hilaris; omnia terrore plus minusve corripiuntur. Attamen parvo sunt numero emotiones eorum. Alio modo existunt, sentiunt, judicant quam homo: aliæ sunt eorum necessitates ac relationes; unde motus eorum alius esse indolis, sponte lucet.

Affectus animi modici non sunt vituperandi, uti voluerunt philosophi aliqui. Enimvero vitæ condimenta haberi possunt, illam sensibiliorem reddunt, et eximias præstant sæpe utilitates. Sed usus immodicus sive perversus eorum, homini infestus est, et veri morbi dici possunt, nam non solum animæ sed etiam corporis functiones perturbant.

PARS SECUNDA.

UNDENAM ORIUNTUR?

Vidimus supra, moveri animam, dum percutitur ab objecto in quo salutare quid aut existentiæ nostræ sive commodis noxium apprehendit. Est amor sui, sive motus sponte in quocumque homine ortus, quo hic conservationi ipsius invigilat, causam proximam affectuum sistens. Fundamentum ponit animi pathematum et sine eo nulla existerent. Quo magis istum deponimus amorem nostri, ratione judicioque utimur, et sub veram earum formam res intuemur, in eadem etiam ratione decrescunt animi affectuum numerus, energia ac duratio. Solus efficit igitur, ut anima ad objecta attendens, eorumque actionem relative ad nos commensurans afficiatur.

Amor sui qui sensibilitatis moralis species est, singulo individuo æquali dosi haud dispertitur, nec in ipso subjecto eadem in ratione constanter occurrit; discrepat vero et alteratur omni in vitæ tempore ac circumstanciis, ratione objectorum naturæ ac relationum, intellectus exercitii, societatis effectus, denique corporis dispositionis, ejusque status sani aut morbosi.

Ex dictis patet jam, fontes animi adfectuum sub triplici aspectu examinandos esse, atque amplecti *objecta extima eorumque relationes*, *statum hominis intellectualem et moralem*, deinceps *corporis conditionem sanam et morbosam*. In tribus sectionibus, de his seorsim agemus et periclitabimur quam partem singula harum causarum in genesi et evolutione animi pathematum habet, et quomodo in producendum hoc vel illud affectus genus influit.

2.

SECTIO 1ma.

DE OBJECTIS EXTERNIS EORUMQUE RELATIONIBUS.

Primaria conditio ut oriatur affectus animi, est objectum externum vel reale vel a mentis facultatibus productum. Absque hoc anima non afficitur: nam ut hoc fiat, requiritur perceptio et judicium de natura istius objecti, quod tanquam causa occasionalis agit; si desideretur impressio a rebus externis, nulla habetur conclusio ab anima et, quod intelligitur, nulla emotio. Equidem quamvis extra omnem dubitationis aleam positum sit, certam organorum dispositionem, pubertatem, viscerum abdominalium morbos peculiares quoque ideas et affectiones progenerare morales, et potius has quam istas, hæc tamen dispositio essentialis non est ad progeniem pathematis, hujus quidem evolutionem expeditiorem reddit, sed minime excludit ideas seu impressiones objectorum et conditio est sine qua non. Sic quamvis biliosi temperamenti homo ad iram valde sit pronus, irasci tamen nequit nisi exhibeatur animæ ejus malum inflictum, cui se opponere vult. Non possumus gaudere nisi simul cogitatio nos teneat, acquisitione boni prospera fortuna nos uti.

Ex antecedentibus jam concipitur mente, præter objectum externum seu ideam, huic anima pretium quoddam tribuat necesse esse, quo fit ut sensibilitas moralis in actum ducatur, anima illud amet aut abhorreat, illud metuat aut ei sese opponat, lætitia aut ægritudine illud consideret. Relationi itaque objecta quæ percipiuntur et individuum nostrum inter, innititur quam maxime origo passionum.

Hæc vero relatio proficiscitur ex societate, civilitate et hominum commercio inter se. Hæ proprietates quibus orbantur animalia, omnino sunt in causa ut res mundanas nova sub forma contemplemur, cum eis arctiori nexu jungamur atque bonum aut malum, dolorem aut voluptatem inveniamus. Divitiæ, honores, fama, etc. in societate fertilissimi animi adfectuum fontes, in populos incultos et qui civilium officiorum rudimenta nondum acceperunt, emotionem præstant vix sensibilem. Eorum acquisitione non gaudent, nec deperditio ægritudinem ciet.

Res manifesta adhuc est, dum conjicimus oculos ad eos qui vitam segregem ducunt, et ab hominum caterva remoti sunt, ut monticoli, insularii, etc. Illi multis causis occasionalibus animi adfectuum subducuntur, ignorant necessitates vitæ adventitias, ideoque paucioribus afficiuntur animi motibus, qui insuper leviores sunt characteremque mobilitatis ac inconstantiæ induunt. Cæterum curis nigris, nec odio tenaci mordentur, nec ægritudine conficiuntur, nec iracundia exardescunt; neque minus latent eos invidia, zelotypia cæterique hujus generis affectus hominibus tam infesti, et solo societatis effectu enati. Hanc veritatem jam notam fecit Hippocrates. *Si unus esset homo, non doleret, nam non sciret unde doleret :* idem de voluptate enuntiare licet; verum admoveatur tantum hæc sententia ad dolorem et voluptatem psychicum sive moralem.

Societas ac civilitas homines inter se nectit, arctius vitæ devincit eos, varios inducit usus, institutiones, necessitates, uno verbo, illarum ope aliam assumunt formam objecta externa, novæ exsurgunt relationes, ideo animi affectus omnius generis.

Vita imprimis homini magni evadit pretii : nam non solum vivit sibi unico, sed et aliis, quorum commodis ac utilitati servit ut parentibus, amicis, patriæ, etc. De se melius etiam existimat; unde quæ longum vitæ tempus beatumque reddere possunt, exquirit, quæ contra brevius ac miserum, avertere studet. Non mirum igitur, circumstancias quæ ad stabiliendam vitam conspirant, inter ea sanitas aut vitæ delinimenta, vel ad istam spoliandam, qualia sunt morbi aut alii casus adversi, animi motus generare vehementes.

Accedunt deinde proprietates ad se exclusive pertinentes, et quarum ope vitæ necessaria et commoda, felicitati suæ pro parte essentialia, sibi parare potest homo. Ad has referuntur bona, fortunæ, honores, jura, existimatio, fama. Quod si ponderemus permultos dari, qui honores, gloriam, famam vitæ ipsi anteponunt, seque pro illis devovent, insuper conatus majoris numeri hominum, ad obtinenda commoda supra dicta, impendi, jure concludere licet, ni fallor, has proprietates pro causis animi affectuum habendas esse feracissimas.

Haud minoris est momenti sui vinculum quo jungitur parentibus, conjugi, infantibus et consanguineis. Post hos homo magni æstimat amicorum aliorumque hominum emolumenta.

Denique societas exsurgit numerosior, quorum communibus commodis inservit; se colligit nempe civibus, regioni, patriæ suæ, tandem toti nationi. Hæc conjunctio, influxum exercet haud exiguum in originem passionum.

En fontes principaliores e quibus defluunt perturbationes animi fortissimæ et maxime durabiles. Agunt, ut vidimus, mediate, scilicet animæ exponendo ideam quam illa judicio,

et meditatione in bonum aut malum convertit, deinde, peracta hac operatione, dolore aut voluptate afficitur. Sed dantur aliæ causæ quæ directe in animam agunt illamque movent, absque dijudicatione aut perpensatione et quasi sympathicè. Pauca de iis faciemus verba.

Influxus musices in animam unicuique notus est; hæc, invita se, aliquando illius motus sequitur. Secundum musicæ expressiones, mox ira, audacia, mox affectus teneri blandique excitantur; modo evehitur anima, modo demittitur, mox vultu gaudia depinguntur, mox molestiæ indicia deprehenduntur. Non solum in hominem valetudinis integræ, sed majori adhuc vi in ægrotantem agit, ita ut ejus influxu ipsi dolores physici leventur. Hæc facultas absoluta tamen non est nec constans; nam multi dantur homines harmoniæ stimulo insensibiles.

Cantus sive vocis modulamen iisdem gaudet virtutibus ac musica, in minore autem gradu.

Spectacula scenæ animi affectibus evolvendis novam præbent occasionem. Dum agitur de re faceta et lepida, omnium animæ eriguntur voluptate suavi quam risu libero, genuino ostendunt. Econtra tragœdiæ exhibitio, tristes ac lacrymosas in animis relinquit emotiones.

Notandum venit pathemata quæ ex causis modo prolatis ortum ducunt, instabilia tantummodo esse, statim oblivioni dari et effectus in œconomiam ciere non notabiles admodum.

Ad hanc causarum classem referri potest transmissio illa

facilis, subitanea ab homine ad alterum. Sympathia est nobis incognita et reputationis dignissima. Vix hominem consideramus emotum, quin emotionis ejus nos etiam participes sentiamus, sublevatur etiam anima nostra vel eadem passione vel altera. Dum hominem ira valde excitatum contemplamur sive ipsa ira sive metu, aversatione, compassione commovemur. Visus pauperis commiserationem ciet; societatem quamdam vix adgredimur, quin eorum qui hanc componunt, dispositioni pedetentim nos accommodemus et sic porro.

Eodem mechanismo orator cui magna vis dicendi inest, sermone elato, auditores percellit, atque eosdem motus injicit, quibus mens sui ipsius percussa est. Idem est dicendum de actore, cujus imperium in animos eo majus erit, quo propiores sunt vero actiones ejus, et quo scitius partes suas agit.

Attentione digna adhuc venit sympathia et antipathia illa, quibus homines primo intuitu, et ipsa animalia, nullo ante inter se prægresso commercio, absque judicio et sine causa cognita se invicem amant vel odiunt. Quomodo hoc fiat ignoratur, sicut nos latet, quare homo, hunc cibum, colorem, sonum præoptat aut abhorret.

Denique omnes res externæ, qualiscunque sit earum natura, omne verbum, omnis idea, objectum animi adfectuum evadere possunt, dummodo anima cum illis in relationem trahitur, pretium aliquod in iis inspicit, et causam motuum simul invenit; at omnes homines, qualis sit conditio eorum, occupatio, vitæ genus, functiones in societate, causas passionum reperiunt. Cæterum omni in vitæ tempore, ubique locorum, domi vel foras, animi pathematibus obnoxii sumus.

Præterea ita dispositæ sunt res apud nos, ut quisque, pro

munere quod obit et vitæ ratione, causis specialibus passionum, huic conjunctis et propriis, expositus est. Sic miles ad defendendam patriam vocatus et gerens bella, ante prælium spem inter et metum versatur, dein irato animo in hostem irruit, deportata victoria, gloriatur, hilaris est et subridet, vel in fugam conjectus, animum habet demissum, mœret, pudet, dentibusque stridet. Sic divites qui arbitratu suo vivunt, fortunis bonisque innixi, superbi sunt et audaces; pauperes contra illorum subsidiis indigentes, humiles sunt et submissi. Ipsi docti et philosophi subjecti sunt animi motibus in ardore orationis, disceptationis, in divisione opinionum, etc.

SECTIO 2da.

DE STATU HOMINIS INTELLECTUALI ET MORALI.

Nonnisi sensuum totiusque vitæ animalis apparatus ope cum mundo externo vivimus. Si occludatur via inter res externas et cerebrum, vel dum hoc debite non dispositum est, tum vita relationis quoque exstinguitur; vegetabilium more trahimus vitam (patet hoc in somno, in fœtu et in quocumque casu præternaturali ubi functiones cerebri interrumpuntur), obscuras solummodo sensationes, organorum exercitio provocatas, persentimus, et nulla agitatio animæ oriri potest ob defectum perceptionis, judicii et conclusionis. Requiritur ideo integritas sensuum et cerebri ut locum habeant animi adfectus, et nullo alio pacto res contingunt.

Inter sensus, alii sunt ad creanda animi pathemata parum idonei. Tales sunt sensus, gustus, olfactus et tactus, qui ad vitam interiorem sive assimilationis magis attinere videntur:

attamen animæ gratas suppeditant impressiones et appetitibus, passionum causis, ansam præbere queunt.

Alii contra, ut visus et auditus, magis favent genesi passionum : nam viam sistunt publicam et patentem, quam sequi debent omnes impressiones externæ, ut ad animam perveniant.

Oculi frequentissimas et amplissimas animæ transmittunt impressiones. Hoc sensu docemur de imagine, colore, motu diverso, pulchritudine et turpitudine objectorum; imaginationi materiam subministrant, et maximam partem idearum nostrarum et cognitionis illis debemus; nos ad ineundum commercium cum similibus nostris accommodant: unde relationes augeri, et cum illis animi affectuum numerum, liquet.

Insuper ad legendum aptos nos reddit hic sensus : medium est per quod societatem majorem adhuc cum se invicem ineunt; nam non solum cum hominibus et rebus ante oculos nostros positis vivimus, sed lecturæ ope etiam cum iis quæ remota sunt et valde distantia; non modò quod nunc fit, sed etiam quod jam diu elapsum docet. Ejus ope denuo cogitationes opinionesque aliis traduntur; unde concursus illius ad producendos animi adfectus, evidens fit.

Sequitur sensus auditus, qui ideas ac notiones tam universales quam visus non communicat : attamen impressionum atque emotionum causa est frequens; fluviorum murmuris, tempestatum fremoris, avium concentus, etc. hoc conscii sumus sensu qui efficit ut musica et cantus in nos agant. De influxu illorum alio loco disseruimus.

Intime junctus est sensus iste cum loquela intellectus interprete, quæ hominem distinguit ab animali, per quam

ideas aliis immediate communicamus, magis reddimur sociabiles, et passionum originis causæ insurgunt solemnes. Gestus loquelæ vices adimplere valent.

Status hominis intellectualis et moralis magna pro parte animæ sensibilitatis mensuram determinat, ejusque emotionis receptivitatis gradum. Alio modo sentit homo et movetur, cujus intellectus quemdam perfectionis gradum consecutus est, quam ille qui stolidus est et rationis expers; alio etiam modo qui societatis effectu bene moratus ac politus, quam ille qui educationis privilegiis haud fruitur probæ.

Homo sapiens, peritus cujus mentis facultates excultæ sunt, difficulter movetur; placide enim et impavide vitæ vicissitudines contemplatur et dijudicat. Insuper ab objecto passionis abripitur attentio sua ad alias res quæ mentem suam occupatam tenent. In rebus ordinariis nullam habet diligentiam, et nonnisi res seriæ animam suam intentam continent, ac commovent. Si aliquo affectu laboret, rationis et sani arbitrii intermedio ei imperare, illumque reprimere valebit.

Stulti contra et rudes impulsionibus magis quam ratione reguntur, impetuose cupidinibus obsequuntur, naturæ objectorum haud student, eorum judicium pervertitur, et admodum sunt subjecti animæ perturbationibus.

Hic animadvertendum est, ad evolutionem animi affectuum, intellectus et educationis certum gradum animamque rationalem necessariam esse. Observatione enim compertum habemus, apud populos ignaros, asperos et qui servitutem serviunt rarius occurrere animi adfectus, quam ubi mores magis sunt culti et agendi modus rationabilior est.

3.

Ubicunque circuli ac congressus hominum dantur, ut in urbibus et alias, crebriora sunt animi pathemata. Etenim in his amplissimæ sunt relationes et commercium hominum inter se, luxuria insignis est, convivia, festa celebrantur, honoris, divitiarum desideria hospitantur, vita agitur immodica, et ambitionis, superbiæ, maledicentiæ, invidiæ sedes sunt, quæ omnia sane concurrunt valdopere ad evolvendos animi affectus.

Agricolæ contra simplicius viventes et solitario modo, multis causis animi affectuum occasionalibus subripiuntur.

Omnes societates non æque disponunt ad animi pathemata, sed datur diversitas pro natura et charactere hominum, quibuscum conversamur. Sic sexus sequioris sodalitas lepidos, blandos et mansuetos nos reddit, nobisque affectus teneros afflat. Cum probis et sapientibus collocutio nos ad virtutem inclinat, passionumque flammas exstinguit. Econtra cum improbis et male moratis congressio ad vitam licentiosam atque dissolutam perducit.

Insuper diversitas morum, institutionum, præjudicationum, religionum aliarumque causarum societatis accidentalium uti lites, bella, etc., in sensibilitatem moralem et originem passionum influunt. Singulæ harum relationum socialium non studebimus. Officio nos satisfecisse indicando eas, arbitramur.

Sensus si in statu sint excitationis, genesi animi affectuum favent. In hoc enim casu animæ impressiones transferuntur vivaces: unde ideæ acriores et durabiliores. Idem accidit, dum animæ facultates attentio, memoria et judicium valde explicatæ sunt. Sed nihil magis idoneum est ad gignendas passiones quam imaginatio fervida, quæ res exaggerat, animamque exstimulat et impellit.

Quo colligitur effectus lecturæ poëtarum et præsertim librorum qui vocantur *Romans* gallice. Hi enim, imprimis in ætate juvenili, imaginationem accendunt, phantasiam exaltant, rationis et liberi arbitrii culturam impediunt.

Idem dicendum est de ludis. Homo qui ludis et aleis tenetur, animam, ut plurimum, habet jactatam; continuo spem et metum inter versatur; dum fortuna ei favet, gaudet; dum contra valde adversatur, tristitia, pœnitentia, angor, ira quietem suum turbant. Tandem si ideæ Jacturæ temporis, fortunæ, famæ, honoris eum magnopere vexent, salutis spe orbatur manusque sibi infert violentas.

Inconstantia et appetentia hominum ad causas animæ commotionum disponentes computari queunt. Animalia momentarios solummodo percipiunt appetitus, qui silent quando explentur, nec hos provocant. Homo autem desiderio occulto felicitatem augendi suam, et variandi sensus tenetur. Multa in animo versat consilia ut suum scopum attingat, et agitationibus molestis sese objicit. Nunc si id quod tam ardenter appetebat, sibi conciliaverit, mox satietatem ei creat, rursus ad novas impellitur cupiditates, et sic causæ emotionum continuo renovantur.

Consuetudo, passionis evolutionem promptam reddit; qui sæpe irasci solent, minimo stimulo ac causa levissima iræ indulgent; homo cujus affectus solitus est gaudium, jocosus et festivus evadit.

Dispositio animæ quoque in ejus affectiones influit; si cogitationibus tristibus jam agitata sit, impressiones tum accedentes, ad affectus his similes, aut saltem qui earum naturæ participant, disponunt

Denique si objecta externa emotam inveniant animam, tum mutatur eorum relatio ideoque natura animi affectus, qui cæteris paribus, tunc multo fortior et corpori infestior erit.

SECTIO 3tia.

DE CONDITIONE CORPORIS SANA AUT MORBOSA.

Influxus corporis constitutionis in animi affectus in dubium vocari non potest; ira sequitur vires, obtingit utpote bilioso temperamento; timiditas in debili occurrit organismo. Femina, propter structuram molliorem, actionis magnanimæ virilis haud capax est. Quam actionem non exserit evolutio organorum sexualium in vitam moralem et animi adfectus? qualis dissimilitudo morum et affectuum inter incolas regionum calidarum et illos qui climata opposita inhabitant? In studio omnium istarum causarum incumbere magni interest: quod præstabimus, diversæ ætatis, sexus, temperamenti prius actionem statuendo, dein anni tempestatum, climatum et alimentorum effectus inquirendo, tandem dispositionem organorum et status morbosi influxum in animi affectus investigando.

CAPUT PRIMUM.

DE ÆTATE, SEXU ET TEMPERAMENTO.

Fœtum nullis laborare animi affectibus, nemo est qui dubitat. Etenim nullas habet ideas, nullum judicium; præterea conditiones supra enumeratæ et ad ortum animi adfectuum necessariæ hic desiderantur. Equidem passiones matris in vi-

tam fœtus influere possunt, et hoc quotidie observamus; sed nequaquam ipsæ in illo concitantur.

In tenera ætate et infantia ideæ rapidæ sunt et vividæ. Omnia objecta attentionem infantis pergefaciunt. In uno exclusivo quiescere difficulter potest; ratio inter se et objecta externa eum latet; systema sensoriale valde mobile est; paucis ideo animi affectibus et vix conspicuis obnoxius est infans. Mox ridet, mox ejulat. Gaudium et tristitia celeriter sese succedunt. Omnia quæ sub oculis ejus cadunt amplecti vult, recusatio objectorum illorum iræ aliquando sat gravi scaturiginem dat. Generatim meticulosus est infans, et zelotypia istius ætatis comes est habitualis.

In adolescentia et juventute, augentur facultates mentis, ejus operationes perfectiores evadunt. Imaginatio summum exercet imperium. Accedit evolutio organorum sexualium qua non solum status mutatur physicus, verum etiam vita moralis. Juvenis dignitate sua fit compos; vitæ experientia ei deest tamen, fit audacior, superbus et temerarius. In genere amicitia, amor, generositas, spes et gaudium affectus sunt huic proprii ætati.

Omnes facultates animæ ad summum perfectionis culmen pervenere in ætate virili. Impressiones non tam alacres sunt quam in juventute : verum fortiores ac stabiliores; ad suas operationes reflectit anima; meditatio prævalet; in unam alteramve ideam exclusorie intenditur et in contemplatione fixa abripitur anima. Minus facile movetur tum temporis; sed affectus ejus tenaciores sunt quam in juventute et ægre eradicantur; occurrunt tum tristitia profunda, hypochondriasis melancholia. Magis est nunc inquietus et curis exesus, mag-

na ei imponuntur onera, pro vario vitæ genere et conditione quam amplectitur in sociali vita; unde etiam agitationes variæ, animæque perturbationes oriundæ sunt.

In senectute sensus obnubilantur; consumpta est vitalitas; ad finem ruit vita; anima multitudine idearum obruta, novas vix admittit, quarum mox obliviscitur: adde debilitatem et labem totius machinæ animalis: exinde facile eruitur, meticulosis affectionibus obnoxios esse senes. Insuper iracundi sunt sæpenumero et morosi. In summa senectute operationes animæ perturbantur, cessant, et in statum infantiæ relabi hominem haud raro accidit; ejulat et ridet ut infans, etc.

Uterque sexus in infantili statu confunditur. Eandem habent faciem, vocem, easdem ideas et passiones puer ac filia: sed pubertatis tempore differentia physica et moralis distincte se prodit; organa juvenis robur et tonum acquirunt, structura autem nubilæ filiæ laxa et tenera superest. Feminæ fibræ sunt molles, musculi absque energia, corporis et animi vigor nullus. Systema nervosum sensibilius reddit uterus. Judicium ejus celere est, ingenium alacre; facillime et expedite malum aut bonum quod continet objectum deprehendit; si his jungamus irritabilitatem majorem et meditationis longæ ac profundæ impossibilitatem, tum affectus ejus animi vividos atque promptos, et nullo modo vehementes esse futuros sentimus et quare. Ob virium defectus sensum timida est, sollicita et anxia; homo contra opibus convictus suis, strenuus est ac in suscipiendo audax. Motus animi lenes et blandi uti amor, benevolentia, commiseratio, etc. huic sexui contingunt, et ex animæ corporisque dispositione derivantur. In genere, tantos non patiuntur affectus quam viri: nam totos dies domi sedentes, tam arcte non junguntur so-

cietati, nulla officia civilia aut politica præstare debent, brevi tantis non exponuntur causis animi pathematum quam viri. Observandum est, mores, inclinationes et affectus hominum mollioris et fragilioris fabricationis ad eos sexus sequioris accedere.

Homines temperamenti sanguinei qui sentiendi receptivitate ingenti præditi sunt, quorum ideæ rapide sese succedunt, imaginandi vis excellit, judicium expeditum, non autem profundum, animusque variabilis est, affectibus animi exhalantibus, qui vergunt ad exteriora, aditum concedunt. Magnanimi sunt, amori proclives, hilares, sinceri et humani.

Biliosum temperamentum in quo systema hepatis dominium habet, et observatur ingenii acumen, meditatio permanens, atque in opinionibus pervicacia ad suscipiendos animi affectus fervidos aptum reddit. Magnis ausis prompti sunt, ambitiosi, iracundi, superbi, audaces homines istius temperamenti quod insuper socius est affectuum inimicorum, fastidiosorum, melancholiæ, hypochondriasis, etc.

Homines quibus lymphaticum temperamentum largita est natura, operationum animæ tarditatem exhibent, ingenii hebetudinem, virium vitalium languorem, continuum in quietem nisum, animi adfectus contrahunt deprimentes, frigidos. Metus, timiditas, suspicio, superstitio illis communes sunt.

Nervosum quod sensibilitate summo in gradu, macie, promptitudine judicii, idearum ubertate et imaginatione flagranti cognoscitur, ad omne adfectuum genus disponit et ad extrema illos perducit. Accedit illud etiam ut affectus istius temperamenti characterem, ut in feminis, plus minusve assumant.

Non est monendum modificationes temperamentorum esse admodum numerosas, hæc fere nunquam sincera prodire, unum alteri plus vel minus appropinquare et adfectus animi illarum permixtionum rationem etiam sequi.

CAPUT 2dum.

DE ANNI TEMPORIBUS, CLIMATIBUS ET ALIMENTIS.

Hyeme obtunditur sensibilitas, sensus minus facile incitantur, ad interiora se confugiunt vires vitales. Homines, aeris injurias metuentes, in cubilibus sese includunt. Nix et gelu terram obvestientes; sol obliquis et debilibus radiis, quos intercipiunt nebulæ densæ, eam illustrans; regnum vegetabile et animale alto somno consopita; omnia animæ silentium imperant; pavorem et stuporem incutiunt. In hoc tempore frigidæ regunt passiones; morosi sumus et afflicti nulla causa cognita, quæ nos ad tristes affectus impellit. Languet anima sensibilis, et per media quibus stimulari et erigi potest, uti spectacula, ludos, musicam, etc. jus suum recuperare enititur.

Ver naturaliter affectus gratos provocat. Cœli puri, sereni, naturæ reviviscentis aspectus, odores suaves qui ex floribus afflantur, avium concentus et alia similia in anima excitant voluptatis sensum, quæ adaugetur adhuc norma ac harmonia quibus functiones peraguntur omnes. Amor conjugalis, filialis, patriæ, gloriæ hujus tempestatis comites sunt.

AEstate sanguis turgidus est et evectus; genus nervosum irritatur stimulis externis; sensus expergefacti sunt. Operationes animæ debite perficiuntur. Quod reliquum est, hepas vim adquirit prævalentem; unde oriuntur pathemata excitan-

tia et ad iracundiæ motus mirum in modum crescit dispositio. Observatione compertum habemus, in hoc anni tempore, multa committi facinora et immanitates.

In autumno, propter tempestatis vicissitudines, affectus gratos et ingratos, gaudium et tristitiam alterno modo imperare videmus.

Huc animadvertendus est animus ad tempestates et procellas quæ, pro quibusdam individuis et præsertim infantibus et feminis, momenta constituunt angoris et terroris insignis. Phænomenon illud animalibus haud alienum est, quæ, gestibus et agitationis inquietudinisque signis eas vaticinari videntur. In genere dum apricus est dies, hilariores et alacriores sumus quam per diem pluvialem aut quando nubilat aer. Ipsa diei tempora in animam agunt. Matutino tempore, quod veri æquiparari potest, rejuvenescimus quasi, hilari animo sumus, ideæ creantur fertilissimæ, claræ; ingenium viget; anima diei molestiis et jactationibus vacua est; vires, quas consumpsere vigiliæ, restituit somnus; corporis motus agiles sunt, impressiones jucundæ et vitæ suavitatem gustat homo. Vespere, excitata est anima diei antecedentis negotiis, ideæ tumultuosæ sunt, sensus defatigati, et animi motus turbidos sedare debet somnus; sed antequam lectum petamus, cum vestimentis cogitationes, curas et sollicitudines diei deponamus, et nulla alia turbetur causa somnus, opus est.

Alimentorum effectus in producendis passionibus manifestus est. Vegetabilia nutrimenta parum stimulant, sensibilitatem obnubilant; ad moderationem, sobrietatem, indifferentiam ac indolentiam disponunt. Animalis victus, parvo sub volumine substantiam nutrientem gravissimam continens, stimulans

est et calefaciens, animam turbidam reddit, eamque ad pathemata dirigit. Vinum, potuum spirituosorum princeps, imaginationem exaltat, intellectum acuit, animam oblectatur, dum moderate sumitur et adfectus generat excitantes. Alcoholis abusus corpus destruit lente, et morali habitudini non minus offert perniciem. Homo ebriosus omnibus fere impressionibus insensibilis est, nisi stimulo alcoholis; mens ejus obtunditur et ipse corrumpitur et pessumdatur.

Climata in passiones influunt quoque. In regionibus calidis, luminis, calorici, fluidi electrici magna copia diffusa est. Incolæ alimentis stimulantibus, aromaticis, nutriuntur; sanguis evectus est aere calido quem recipiunt pulmones; pubertas utriusque sexus precox est; ad pathemata excitantia inclinationem contrahunt. Feroces sunt et temeri; calumniis, maledicentiæ atque intolerabilitati indulgent. In frigidis climatibus moderate vivunt homines; ad quosnam animi motus dispositi sint intelligitur.

Qui regiones humidas et depressas habitant indolentes sunt, meticulosi, apathici; qui elevatas et siccas, affectibus exhalantibus replentur.

Actioni climatis in corpus protractæ adscribitur ista jactatio et temporis longitudo, quibus vexantur illi qui ex patria sua relegati sunt, cum flagranti aerem respirandi natalem cupidine et quorum sanitas in dies deterior fit, nisi huic indulgeatur. Ingrata ista adfectio *nostalgiæ* nomine salutatur.

CAPUT 3tum.

DE ORGANORUM DISPOSITIONE ET STATU MORBOSO.

Antequam explicentur generationis organa, fermentationis species occultæ in corpore procreatur, qua mutantur infantis mores et indoles, continuo ideis novis insolitisque sensibus distrahitur anima ejus, indocilis fit, turbidus, et totus conquassatur processus vitalis. Dum infertur mora et impedimentum pubertatis periodo, tum protrahitur etiam status physicus ac moralis infantiæ, nec mutationes solitæ incidunt.

Actio organorum generationi inservientium in vitam moralem et animi pathemata probatur adhuc, dum mutilantur aliqua istorum organorum. Castratio hominem, cujus animus natura magnus est et excelsus, debilem, ignavum, actionis ineptum reddit ingenuæ, frangitque animos. Docet observatio, homines qui adverso casu membro virili orbantur, hilaritatis consuetæ jacturam facere, et amissionis hujus recordatione perpetua opprimi ægritudine.

Graviditatis tempore mulieres irritabiliores sunt, facillimè moventur, et aliquando appetitus existunt tetri et inclinationes. Dum fluunt menstrua, sensibiliores etiam sunt et passionibus properæ. Major irritabilitas sexualium partium quæ indubitanter nymphomaniæ et hysteriæ ansam præbet, intellectum turbat, pathematum evolutionem promptam reddit, et in his varietates inducit insignes.

Hepas in affectus animi agere jam supra vidimus. Affectiones hujus visceris, et illæ totius systematis venæ portarum quæ contingunt imprimis in virili ætate, ad melancholiam, morositatem et similia disponunt.

In statu morboso cerebri functiones plus minusve læduntur, judicium, ut plurimum, obfuscatur, omnes impressiones, dolor et voluptas, alio modo quam in statu naturali percipiuntur, voluntas, proposita eadem non sunt; unde summopere tum immutari animi affectus, elucet.

In febrilibus affectionibus plerisque celeriter decurrentibus, systema sanguineum instigatum est, dolores aliquando acerrimi et impatibiles sunt, habetur lassitudo, inertia, anxietas, cephalalgia, insomnia aliquando, verbo, turba adest totius œconomiæ. Intellectus his tumultibus incolumis haud servatur, anima operationes suas rite haud exsequitur; et in hoc statu rerum, illam ab impressionibus externis et negotiis se removere nec conspicua pati emotione, haud indiget explicatione. Ne sit dictum de remissione atque harum affectionum reconvalescentia, ubi nervosum systema mobile est admodum, irregulariter distribuitur fluidum nerveum, levissimis afficitur stimulis homo, et singularis ad suscipiendos animi affectus datur receptivitas.

In morbis chronicis et organicis animi dejectio et infractio; dolores haud quiescentes, sanationis celeris spes nulla, sortis futuræ dubitatio, metus mortis, etc., in ægrotantis mente suscitant ideas tristes et melancholicas, inquietudinem, afflictionem, timorem et consternationem profundunt. Phthisici mentem exhibent ferè intactam, spe et fallaci fide usque ad extremum spiritum aluntur.

Res manifesta est adhuc, ubi læduntur cerebri functiones et in illis præcipue læsionibus quæ dicuntur vesaniæ, ut hypochondriasis, melancholia, mania, etc. In omnibus hisce affectionibus vel causa sit physica sive moralis, perversio adest

intellectus operationum, vel idearum perceptionum, vel imaginationis, attentionis aut memoriæ, ideoque affectus animi magnas subire conversiones videmus. Hypochondriaci ideas exhibent et inclinationes fixas ac tenaces, errores imaginationis eorum magni, inquietudine, terrore, morositate minima causa vexantur; suspiciosi sunt, cauti et formidulosi. Melancholici animi sui impotes sunt, idea aut passione tenentur unica, modo taciturni, modo læti sunt; affectus animi violenter eos invadunt; ira ad furorem aliquando evehitur, metus in terrorem transit, infortunium leve in desperationem eos adducit; in solitudine facillimi sunt. Maniaci modo taciturni sunt et morosi; modo lætitia exultantes, furor et motus iracundiæ hujus morbi symptomata sunt frequentissima.

In genere, læsiones cerebri primum tenent locum quoad turbas quæ oriuntur in mente, et influxum in morales affectiones, sequuntur morbi viscerum abdominalium, et organorum sexualium quorum imperium in animi pathemata æque potens est in statu pathologico quam in sano, denique referri debent morbi organorum in pectore inclusorum, quorum actio in vitam relationis minime est negligenda.

PARS TERTIA.

QUI SUNT EORUM IN CORPUS HUMANUM EFFECTUS?

Sicut corporis conditio in animam ejusque adfectus mirifice influit, eodem modo illi in omnia organa et systemata agunt. Qui semel ab animi pathemate forti abreptus fuit, hujus effectus in corpus non negabit. Quando leves sunt et moderati affectus animi, mutationes varias subeunt functiones quas indicabimus, verum non alteratur sanitas; dum autem ardenter sæviunt, duratione pertinaci inolescunt vel celerrime decurrunt; tum aberrant a normali statu functiones, et mala inducuntur innumera aliquando irreparabilia et exitiosa. Per hoc sane atrium multa transeunt mala. Non solum mentem, sed etiam corpus lædere possunt animi affectus; non solum vitales læsiones dictas, febres, inflammationes hæmorrhagias, nevroses progignunt, sed et organicas, scirrhos et canceres. Aliorum insuper morborum causas constituunt solemniores, tales sunt: hypochondriasis, melancholia, hysteria, et febres hecticæ morales.

Mutationes, quæ eveniunt in corpore, præsentibus affectibus animi, ob sympathiam inter omnes partes, eodem momento fiunt: sic dum quis ira commovetur, cor celerius fortiusque ferit, calor augetur, musculorum vis intenditur, facies mutatur simul, etc.; sed ut certo procedamus ordine, effectus eorum in singulas functiones et organa seorsim explorari opus est; nec non turbas, quas in illis suscitant.

Animi affectuum primus est effectus impressionem profun-

dam in imo corpore, sensum voluptatis aut doloris internum cum passione crescentem, et cujus actio mox per totum corpus diffunditur, generandi. Sensus ille varius est in singulo affectus genere, sensus delectationis quam adfert amor, ab eo cui ausam præbet gaudium, discrepat. Tristitia et metus eandem etiam perceptionem molestam non creant. Quam ira adportat impressio, cum nulla alia comparari potest. Illud cum perceptionibus quæ animæ a corpore mittuntur aliis, commune habent. Differt enim voluptas, sub actu generationis, ab ea quæ oritur, dum scabitur pruriens pars; voluptas etiam, visu pulchri objecti, ab oblectatione odorum dispar est. Dantur innumeræ dolorum species, pungentes scilicet, lacerantes, urentes, etc.

Hac facta impressione in centro epigastrico, totum agitatur systema nervosum viscerale seu gangliorum. Illud primum afficitur, dein reagit in omnia organa, et quam plurima sympathice parit phœnomena, sub animi affectibus observabilia. Dum modici sunt affectus, tum etiam reactio mediocris est, functiones haud multum recedunt a recto tramite, et mox in pristinum statum restituuntur. Immodicis contra, effectus sub sensus magis cadunt, diutius manent, et functionum exercitio obstacula poni, turbæque multæ concitari possunt. Gaudium, amor, ira nervosum systema ac vires vitales stimulant, et hanc ob causam nomen excitantium affectuum merentur; tristitia, metus, odium, etc. oppositos exercent effectus, vires vitales resolvunt, quasi comprimunt, functionumque languorem inducunt: unde vocantur deprimentes.

CAPUT 1mum.

DE EFFECTU EORUM IN VITÆ RELATIONIS FUNCTIONES.

Sensuum actiones augentur, imminuuntur vel pervertuntur, perceptiones non distinctæ sunt, vigente animi pathemate. Si homo ira valde commotus vulneretur, non prius de plagæ præsentia commonefactus est, quam animo placato. Generatim aperti sunt oculi et flagrant, cutis sensibilior est in amore; sub gaudio vividi sunt et splendent oculi, et lacrymis nonnunquam obvestiuntur: in metu immoti sunt, aperti, inquieti, auditus est acutior; in odio scintillant oculi, pupilla superciliis obtegitur, et versus objectum quod odium parit dirigitur. Mœror dignoscitur oculo collapso, hebete, absque splendore, cavo, circulo livido circumcincto et pendente palpebra. Qui ira accenditur, oculos exhibet rubros, scintillantes, interdum truculentos, eorum motus celeres sunt et sensibilitas magna.

Morbi quibus afficiuntur organa sensus post animi pathemata, sunt amaurosis, surditas, deperditio sensibilitatis.

Quia animi affectus ex sensibus internis originem trahunt, non est mirum, illos rursus in mentis operationibus conciere perturbationes. Qui tenetur emotione animæ forti, functiones cerebri ei turbantur, nullas habet ideas explicitas, ratio ei obfuscatur, voluntas turbatur et judicium fertur impulsui passionis analogum; si in objectum odium habeat homo, in hoc nonnisi odium et turpitudinem apprehendit, amore si ardeat, in objecto suo omnia præstanti sub forma ei apparent; desinente autem passione, errores in lu-

cem proferuntur, et suam contemplatur attonite imprudentiam. Turbæ illæ non semper ad hunc ascendunt gradum vehementiæ, nisi sæviente emotione, nec ultra paroxysmum raro perstant. Sæpe quidem evenit ut, sub affectibus animi, facultates mentis majori gaudeant energia. Excitantes vim animæ erigunt, sensus internos et externos exaltant, dum moderati sunt, ad ideas sublimes solertes homini in statu tranquillitatis impossibiles, et ad ratiocinia acuta interdum ducunt. Deprimentes, præsertim metus et desperatio animi prostrationem inducunt, attentionem nonnisi ad malum exspectatum aut præsens vertunt, imaginationem et vires corporis simul sufflaminant.

Morbi cerebri sunt phrenesis, pervigilia, sopores, apoplexia, catalepsia, epilepsia et omnes species vesaniæ: hypochondriasis, melancholia, mania et hydrophobia. Concussione vehementi systematis nervosi mors intervenire potest.

Motus musculorum vitæ animalis, et præsertim faciei, præsentiam animi affectuum patefaciunt. Nullus enim datur motus animi subfortis, quin appareat in vultu et gestibus. In facie hominis amore adfecti, legitur voluptas qua anima ejus fruitur; frons æqualis est, exstans, tument labia, motus corporis agiles sunt, illud ad anteriora flectitur ad amplectendum objectum amoris. Sub gaudio, vultus serenus est; motus et gestus vividissimi, inter quos observantur risus et saltatio; interdum etiam, ut in amore, tremor adest generalis. In metu frons rugosa est, oculi immoti sunt, comæ stant, musculorum actio imminuta est, manibusque porrectis stat homo, vel aliquando citati sunt motus, et pedibus quærit salutem. Terrore repentino paralytici fiunt musculi. In odio frons et supercilia rugantur, palpebræ elevantur, torvus est vultus et minax. In mœrore motus sunt languidi, vultus de-

pressus est et in longum extenditur, caput uni alterive scapulæ incumbit, et musculorum debilitas quandoque tanta est, ut corpus sustentare non amplius valeant, et sedere cogant hominem. Qui ira flagrat, frontem habet valde rugatam, plicæ dantur inter supercilia, oculi jactati sunt, motus corporis violenti, dentes strident, et musculorum vires insuetæ sunt, duplicantur, triplicantur et determinari nequeunt.

Morbi quibus hoc systema dedunt animi pathemata, sunt tremores, convulsiones, tetanos ac paralysis.

Vox in ordine se ponit cum systemate musculari. In tristitia vox est demissa, tremens et querebunda, loquela lenta est; suspiriis, fletu et singultu innotescit affectus ille. In gaudio vox est clara et suavis, quod etiam in amore observatur; cantatio illius comes est. In metu balbutit lingua, et vox faucibus hæret; terror vocem exstinguit sæpe; in ira vox est aspera, alta, clamans, inæqualis, intermissa vel deficiens.

Aphoniam interdum adduxerunt fortiora animi pathemata.

Affectus animi somno parum favent: quia cerebrum in statu excitationis tenent, somno contrariæ. Proprietas illa, præsertim excitantibus affectibus inest: quia incitant circulationem, et majorem affluxum versus caput sanguinis determinant. Inter deprimentes tristitia plus minusve disponit ad somnum: quia torporem infert viribus vitalibus, nec non circulationi sanguinis, quo fit ut cerebrum minus incitetur, sensus externi torpeant, et cerebrum ipsum languescat.

In affectibus tristibus et frigidis homo perceptiones ingratas internas ad exteriora vocare conatur per dolores qui

humores ab interioribus derivant. Homo desperationi traditus, comas extirpat suas, se ipsum mordet, aliasque sibi infert plagas. Gaudium, hujusque generis affectus alii sponte se exhalant.

CAPUT 2dum.

DE EFFECTU EORUM IN FUNCTIONES VITÆ INTERIORIS.

Circulatio sanguinea immediate actioni animi pathematum subdita est. Grata, dum moderata sunt, illam parum incitant, contractiones cordis mediocres, pulsum plenum et mollem reddunt. Calor paulisper augetur quoque. Dum alacriores sunt emotiones istæ, tum etiam celerior fit gyrus sanguinis, pulsus irregulares sunt et parvi, facies mox rubet, mox pallet; in ira sanguis tumultuose movetur, cor cum energia in eum agit, pulsus fortes sunt et celerrimi, ingens sanguinis copia ad caput et ad cutem fertur, arteriæ carotides micant admodum, rubet facies, calor augetur et actio musculorum increscit. Interdum etiam sub ira cor, ob validas contractiones suas, non amplius reagit, pulsus fit parvus, intermittens, et suboritur lipothymia. Affectus deprimentes cordis vim infringunt, pulsum reddunt parvum, lentum et debilem; sanguis ad interiora colligitur; unde sensus frigoris, pallor faciei et membrorum. Cor sanguine nimis obrutum, functiones suas cessare, et lipothymiæ mortali ansam præbere potest; ad cerebrum parva copia sanguinis transmittitur, quo fit, ut actiones hujus organi necessario debilitari debeant.

Morbi quos suscitant animi affectus in hoc systemate, sunt febres acutæ, inflammationes, hæmorrhagiæ quas etiam sis-

tere possunt, congestiones in varias partes, stases abdominales, cordis palpitationes, syncopes, anevrysmata cordis et vasorum majorum, tandem mors sequela esse potest turbarum quæ abolitionem functionum cordis inducunt.

Sub affectibus animi gratis respiratio libera est et jucunda, debite dilatatur thorax, circulat recte sanguis in pulmonibus, et blande succutitur risu pectus. Quando exeunt finem, tum fit tumultuose et præpropere respiratio, quod contingit similiter in ira, ubi aliquando convulsiva est, et anima intercludi potest. Sub ingratis anxia est respiratio, pondere quasi opprimitur pectus, ob difficiliorem transitum sanguinis ad cor sinistrum; apparent suspiria, seu inspiratio longa ad cellulas pulmonum ampliandas, et oscitatio cujus mechanismus idem est; singultus et fletus persæpe eduntur.

Morbi quos pariunt in organis respirationis sunt: inflammationes acutæ et chronicæ pulmonum, tussis, asthma et phthisis. Mors evenire potest intercepto subito spiritu.

Sub gratis affectibus digestio stomachalis et duodenalis congruo modo fit, omnes liquores ratione, a natura statuta, in organa digestiva effunduntur, et in æquilibrio sunt; sed dum fortiores sunt, tum invertuntur hæc phænomena et variæ turbæ nascuntur. Ingrati affectus præsertim digestionis officium lædunt; sub his nullus datur appetitus, ventriculus suum amisit tonum et torpet, iners est succus gastricus, indigesta jacent in hoc organo assumpti cibi, et epigastrium constringunt; tum temporis observantur etiam ructus, abdominis tensio, borborygmi, constipatio, aliæque turbæ apparatus digestionis enascuntur.

Hæ sunt cardialgia, vomitus, dyspepsia, phlegmasiæ mucosa-

rum membranarum, febres biliosæ, scirrhi et canceres ventriculi, obstipatio, colici dolores, diarrhœæ, cholera morbi, etc.

Effectus animi affectuum in secretiones nunc investigabimus. Insensibilis perspiratio promovetur, et facilior redditur affectibus excitantibus; deprimentes eam prohibent. Sub illis calidi sunt sudores et generales, sub his partiales et gelidi. Salivæ natura mutatur in ira rabiosa, spumatque os. Bilis secretio augetur in ira; unde vomitus biliosi, sive, per spasticam contractionem canalis choledoci, ejus iter ad duodenum præpeditur; unde obvenit icterus. Erysipelatis exempla, post terrorem et iram, haud desunt. In metu magna copia secernitur muci in intestinis, sphincteres relaxantur; unde diarrhœa, et urinæ involuntarius fluxus; quod etiam contingit in gaudio. Hujus liquidi secretio nonnunquam supprimitur post terrorem. Lachrymæ cadunt sub animi pathematibus gratis et ingratis, sed primæ dulces sunt et leves, alteræ amaræ et ardentes. Semen e receptaculis fugit suis in variis affectibus; lac in mammis stagnat, et ei qualitates, alumni sanitatem lædentes, aliquando imprimunt vehementes passiones. Denique secretio adipis actionem passionum experitur, certo vero lapsu temporis.

In absorptionem cutaneam quoque agunt animi pathemata; neminem latet eorum influxus in evolutione morborum, a miasmate aut contagio pendentium. Observatione constanti compertum est, homines strenua, forti et audaci anima in discrimen vitæ sese inferentes, a contagio sæpius immunes relinqui, quam alios animæ parvæ et dejectæ, aut in metu amittendi vitam, ob præsens periculum, versantes. Collectiones aquosæ, in variis partibus corporis, pas-

sionum effectum in absorptione membranarum serosarum et textus cellularis, horumque exhalatione quam evidentissime probant.

Nutritio afficitur quoque ab animi pathematibus, sed actione solummodo diuturniori, et protracta, postquam digestionem et circulationem turbarunt, a quarum integritate nutritio pendet.

Tandem, animi affectuum actio in organa generationis adæquat eam, quam exerunt in corpus in genere. Grati organis genitalibus incrementum dant, vitam eorum exaltant, et ad venerem ea excitant; sub ingratis, inertiæ totius corporis consortia sunt.

Affectus matris in conformationem et sanitatem fœtus influere, quotidie comprobatur; minus arduum est hoc explanare, quam morborum hæreditariorum causas statuere.

Multis morbis, læsioni functionum horum organorum tribuendis, dant ocasionem et sunt potissimum in homine: anaphrodisia, satyriasis, priapismus; in femina : hysteria, nymphomania, menorrhagia, amenorrhea, leucorrhea, abortus, suppressio lochiorum, lactis, peritonitis, etc.

Effectus passionum in corpus humanum eo graviores et periculo magis sunt stipati, quo fortiores et durabiliores istæ sunt, quo magis in subjectum debile agunt, quo celerior est transitus unius affectus in alterum, et quo magis ex improviso feriunt.

Fortiores, quæ modum excedunt nocere explicatione non eget. Diuturnæ valde noxiæ etiam sunt; gravescunt enim nisi exhalentur, sed colliguntur et concoquuntur in corpore,

ut ita dicam. Odium cum non placatur, tristitia non levatur, nec tollitur metus, tum actione eorum protracta mala oriuntur gravia et subinde incurabilia.

Infausti sunt etiam effectus eorum, si debile sit subjectum vel dum affectione jam laborat pathologica; nam turbas, quæ jam ex imminutione et irregulari virium vitalium partitione nec non functionum anomaliis orta sunt, nunc concussione totius vitalis processus, occasione animi motus, singulariter exasperari, quis miratur?

Transitus passionis in alteram oppositam subitaneus sanitati maxime infestus est. Non sine noxa, gaudio jam abrepto homini succedit summa tristitia et vice versa. Valde sunt metuendæ istæ successiones rapidæ, istæ concussiones cum actione fluidi electrici comparabiles; has sufferre nequit corpus, nam vitæ vim et motus enervant, exhauriunt. Quod accidit, dum oculus diu in tenebris versans, subito nitori luminis vividi exponitur, hic quoque producitur. Spes, vitæ tam amica, et tam levis affectus, in hominem timore, tristitia aut desperatione ad imum dejectum si agat, nocere potest. Idem dicendum est de passionibus improvisis.

Non semper cum eodem damno agunt affectus animi; morbos ponunt sæpe, verum alios tollere quoque possunt, et in quibusdam casibus officia præbuerunt præstantia. Ira paralyses sanavit, usum linguæ reddidit, arthritidis paroxysmos sustulit; unde tanquam remedia quoque considerari possunt. De effectu et usu animi adfectuum in morbis sequenti in articulo disseremus.

PARS QUARTA.

AN MEDICUS INTERDUM IN ÆGRIS EOS EXCITARE DEBET, ET QUOMODO.

Salutares effectus in sanandis morbis, excitatione animi adfectuum, in dubium vocari non potest. Gaudio febres intermittentes curatæ, amore morbi languoris oppugnati sunt. Spes labescentes multos letho eripuit. Quid? accidit interdum, ut eorum usus auxiliis pharmaceuticis anteferendus sit, et in illis solis omnis fere spes curationis jaceat; quando nempe malorum fons in causis moralibus hæret, et in quibus tollendis patientis salus innititur; frustra enim remediis pharmaceuticis impugnantur symptomata, mox recrudescunt, quia non sublata est causa eorum. Hoc in casu, cupidines, dolores et turbæ ægrotantis medico exploranda sunt, ut in animam agat mediantibus aliis adfectibus oppositis, et ejus redintegretur tranquillitas. Si negligatur hæc rei summa, paulum tum opitulatur medecina. Sed non semper detegi potest dispositio animæ ægroti, nam hic illam medicum celando, attentus est aliquando et studet: tum therapia sæpe tentatur anceps. In hac conditione rerum, repetenda est *Celsi* sententia: *melior censendus est amicus medicus quam extraneus*. Reipsa medicus amicus non solum habitudines et idiosyncrases ægri noscit, sed et melius monitus est de vitæ genere ejus politico ac privato, ejus inclinationibus et moribus quam extraneus, quem hæc latent et quæ primo intuitu haud patefiunt. Æger amico consilia prius credet sua, quam extraneo. Ipse ille ægri fiduciam facilius consequetur, ejusque verba majori cum oblectamento ab ægro accipientur quam illa extranei.

In morbis acutis et febrilibus non prosunt affectus animi; nam in hisce affectionibus, quies omnino necessaria est et animæ et corporis, natura sufficientibus ad hos morbos curandos prædives est adminiculis. Sed sub declinatione eorum et in convalescentia, in affectionibus nervosis et in morbis chronicis aliis haud parum contribuunt ad curam. Status animæ et directio affectuum, in profligationem aut recidivam morborum istorum influunt quemadmodum. In omnibus hisce casibus sedulo tristes affectus ex ægrotantis animo eliciendi sunt, et ad blandos recurrendum. Grata colloquia, musica, amicorum congressus, deambulationes, rusticus aer, narratiunculæ lepidæ, festivæ et similia hæc præstant officia, et mirabilem in modum sanitatis reditum adcelerant.

Inter adfectus animi alii aliis palmam præripiunt, et suscitari merentur; tales sunt in genere, spes, gaudium, amor, etc. Grati isti adfectus raro nocent, si ratione usurpentur, symptomata mitigant, crisium operationes perfectas, et sanitatis restaurationem brevem exequuntur. Ingrati contra, morbos graviores reddunt aliquoties, et recidivarum origines sunt. Isti ad longævitatem disponunt, hi vitæ filum abscindunt. Illi functionum normam affirmant, hi harmoniam earum adimunt. De omnibus hisce affectibus seorsim agemus.

Spes dulcissimus est affectus, ægro saluberrimus et subsidium, e medecina morali depromptum, ponit efficax. Utilem in corpus exerit actionem qua natura in operationibus suis juvatur; metum de eventu misero removet, animam placat, et ut velociter elabantur tempora, efficit. Hoc modo ad morbi sanationem concurrere potest, et nisi medicationis partem constituat, saltem morbus minus pertinax tum erit, quam si æger de sorte sua ambigere debuisset. Ægro futuræ sana-

tionis spem inculcare maximopere refert, quod fit, ei exponendo, malum leve esse, periculose se non ægrotare, et mox in pristinum statum restitutum iri. In eundem finem plurimam confert fiducia operam.

AEgri fiduciam contrahendi haud ambiguæ est utilitatis, ac momenti. Potenter agit in animam patientis, sanationemque maturat; æger curis medici, de cujus eruditione convictus est et potestate, sese committens, religiose illius sequitur mandata, præsentiam ejus excupit flagitanter et sibi levamento esse, censet. Medicus iste ad profligandos morbos, præsertim eos qui a systemate nervoso pendent, plus valebit indubitanter, quam ille cui fiduciam non adjungit ægrotans, et qui necessitatis solius causa arcessitus est, quamquam eruditione sint æquales ambo. Nonne agyrtæ agunt hoc modo, id est, spem et fiduciam firmatam intrudendo stolidis ægris? Nonne hac agendi ratione, remedium unum, mysticis ceremoniis ac superstitione stipatum, repulit morbos qui toti pharmacopoli officinæ restiterant?

Gaudium in morbis perutile etiam est. Animæ voluptatem adfert magnam, et sub hoc res meliores se habent, ideo periclitari illud debemus, et eo magis, quod morbi primus effectus est ingratas impressiones transmittendi ad animam, quibus mala augentur præsentia. Gaudium vires vitales evehit, pro levi haberi potest stimulo in morbis chronicis asthenicis, et ubicumque quassanda est blande machina animalis. Creatur affectus ille, dum suppeditantur ægro ea quæ ardenter appetit et innocua tamen sunt. Ipse medicus ægrotanti exemplo esse debet, hilaris scilicet erit animi, et sermonem lætum cum eo habebit. Caveatur prorsus a gaudio inopino

et exsultabundo, præcipue quando ægro deficiunt vires, aut iste admodum irritabilis est.

Amor motus ciet in corpus salutares et in morbis proficuus esse potest, sed moderatim cum eo procedendum est: alioquin multa ex hoc errore exsurgerent mala. Usus istius affectus generalis non est: quippe quod omnes ad illum suscipiendum proclives non sunt, nec in multis excitari potest, nec decet. Huc spectant parentes et amici quibus aditus concedi potest ad ægrotum et juvat, nisi aliqua causa huic favori se opponat.

Iram aliquando egregii fuisse auxilii in morbis alio loco diximus; sed simulare possumus nequidem, istum affectum excitantem vehementiorem, quamvis totum corpus moveat, et ex inertia tollat, attamen relinquere mox collapsum virium, et languorem generalem. Idem dicamus de gaudio subito et exultanti. Igitur medicus prudens nonnisi in casibus, ubi nullum aliud remedium sufficienter systema nervosum concutere valet, hanc medelam ambiguam periclitari audet. Iram provocare difficile non est, si suscitetur nempe in ægro idea offensi aut mali injuste intusi.

Terror validissimum est excitans quod plurimas turbas gignere potest. Affectiones quasdam nervosas, paralyses, epilepsiam, febres intermittentes et alios morbos sustulit: sed quantum nocuit contra hujus affectus usus! quanta nova mala anterioribus adhuc graviora non adduxit? quam cautissisimus igitur sit medicus in excitando illo, nonnisi in casibus desperatis, et si nullum restet perfugium, adhibendum

est subsidium illud energicum, et tum quidem requiritur vir eruditus, sagax, et in re medica versatissimus.

Metus affectus est per sanitatem non solum injucundus, verum etiam in morbis molestissimus. Mentis corporisque vires frangit, et morborum solutioni obstat; loquor præcipue de metu mortis, durantibus potissimum morbis chronicis tam communi qui animum exedit, ægrumque angoribus tradit diris. Procul propellendus est ideo omnis metus species quæ ægrotanti infesta esse potest. Intelligitur hinc, ægro periculum in quo versatur haud aperiendum esse, et vetari medicum, inquietudinis indiciis ostendere, quod angue pejus, adesse periculum. Hic excipiuntur morbi qui a chirurgia auxilium expostulant, in quibus discrimen palam facere decet, ut videbimus statim.

Antequam chirurgica operatio instituatur, cogitatio, metusque doloris et difformitatis futuræ, mortis terror ægroti deflectendus est, et monente professore nostro doctissimo *Baud* « Animus ab omni cogitatione molesta avocandus » est, et quoad ejus fieri potest, eo usque adducendus, » ut æger operationem discupiat, illamque potenter effla- » gitet. » Quod si sese opponat operationi, præcavendi eam impossibilitatem tempusve prorogandi, ægro explanabit chirurgus, et exponet simul discrimen cui se committit, si hæc negligatur. Uno eodemque tempore cum operatione cessare malum vel saltem levari, non tacebit.

Tristitia et alii hujus generis affectus deprimentes nequaquam laudandi sunt in morbis, idcirco non excitandi; corpus magis adhuc debilitant, morbi solutionem ac valetudi-

nem confirmatam impediunt. Jam exhaustum est corpus effectu morbi, qui per se animam contristat et ad suscipiendos frigidos affectus valde proclivem eam reddit, adveniente nunc adfectu animi nocivo, malum ingravescendum esse, paucis comprehenditur.

Quod si quandoque salubres fuerint isti affectus in morbis quibusdam a nervorum mobilitate pendentibus, attamen in omni fere morbo vituperandi sunt; omni studio incumbat medicus ad præcludendum aditum affectibus tristibus, et si jam adsint, ad eos debellandos oppositosque promovendos.

PARS QUINTA.

QUA RATIONE, ALIAS IPSOS PRÆCAVERE, AUT ET ALIAS PRÆSENTES TOLLERE VEL SALTEM MODERARE?

Modicum animi affectuum usum, præcipue gratorum contemnendum aut præcavendum esse, haud existimamus. Ecquis amori denegabit eximias virtutes quibus jungitur arcte homo uxori, infantibus, etc.? Quid dulcius spe sine qua nihil moliremur? Nonne gaudere licet dum beate decurrit vita, nostrisque congrua optatis? Nonne grati adfectus sanitatem reddunt constantem ac stabilem?

Alio modo comparata est res, quando moderationis fines transgrediuntur, gaudium dum in lætitiam exsultantem abit, dum nimis flagrat amor; tum enim pervertitur intellectus, sanitatique non minora inferuntur damna. Idem dicendum est de ingratis affectibus, præsertim si ira ad furorem ex-

tollatur, metus in terrorem transeat. Hujus generis adfectus præcavendos et debellandos esse, nulli dubitamus.

Sponte excitari non posse animi adfectus, sed indirecte a rebus quæ animæ bonum aut malum his, ut solet, juncta, nostramque ducentia voluntatem repræsentant, jam probavimus. Itaque eos præcavendi facultate gaudemus, si utamur ratione ac experientia, ad verum cognoscendum rerum pretium; sæpe enim fallimur a passione quæ non naturam rei, sed ea quæ nancisci aut evitare cupimus ostendit et bonum aut malum, quæ reapse non possident istæ res, amplificat.

Imprimis plurimum præstat educatio exquisita, qua exacuitur intellectus, excoluntur mores, et ratio prævalet, unde fit ut libertas juveni sit, et imperium absolutum in semet ipsum, minus moveatur a causis externis, et facilius passionibus opponere sese valeat.

Ponantur ante oculos atque ediscantur incommoda omnia, quibus ansam præbent animi commotiones, et præsertim fortiores. Sub his enim libertas tollitur, ad actiones, quas, his absentibus, judicio libero, animoque tranquillo, non fecisset compellitur homo, ratio succumbit, et sic dum excedunt modum, per se vitiosæ sunt. Et vero qui a passionibus vincuntur, qui nimis elati lætitia, nimis afflicti molestia sunt, leves debilesque æstimantur; omnium superior est, qui pathematibus imperare potest; hic, tentato prælio rationis ope, passionum victor, sibi placet, qui autem ab iis vincitur, animo imbecilli sese accusat.

Ast non solum animæ, verum etiam corpori ingentes aliquando inferuntur turbæ. Quisque, finito iræ impetu,

molestiam aliquam atquè defatigationem persentit in totó corpore, languor succedit cum antecedenti commotione rationem servans. Hæ leves certò sunt sequelæ hujus pathematis tam ardentis, gravioresque ex eo ortas vidimus; et quot ei indulsisse non pœnitet? Idem dici potest de aliis affectibus ingratis. Ipse amor et gaudium immodicum mala inducendi multa privilegio donata sunt.

Sola ista cogitatio hominem ad reprimenda pathemata compellere deberet, et sufficit aliquando. Sic nonnulli iræ sequelas metuentes, ab ea sese abstinere, et aliis affectibus, ne lædant, se subtrahere potuerunt.

Insuper natura objecti quod perturbare animam potest rite dijudicanda, hujusque pretium statuendum est, ne cadat animis, vel efferatur lætitia leviori causa. Si quis deperdat objectum quod magnipendit, sint v. gr. bona sua, tristitiæ indulgere non debet, sed judicio et ratione utetur, quibus docebitur, fortunas istas verum bonum haud esse, sanitatem, liberum sensuum animæque facultatum exercitium, et virtutes eas longe superare, et hisce ideis impleta mente, animus tranquillus homini servabitur, et a mœrore et desperatione qui tam multos e medio sustulerunt, nimis sensiles et rationis expertes, liberatus erit. Si gravior est jactura, patienter feratur infortunium; animæ defectione enim huic non succurritur. Miramur constantiam animi *Anaxagoræ*, qui dum audiverat de morte filiorum suorum, respondebat : « sciebam me genuisse mortales. »

Eodem quoque modo ad illatum malum attendens homo moderate atque obfirmata anima, ulciscendi vim coercere po-

test. Ita, rebus momento suo ponderatis, odium, gaudium nimium, ipsæque amoris flammæ fervidæ restingui valent.

Caute fugiantur opportunitates quæ imaginationem inflammare possunt. Sub ejus enim exaltatione, levissimus stimulus vividas creat perceptiones, animamque turbat. Exposuimus alio loco, commercium et relationes multiplices hominum inter se, maximum constituere fontem animi pathematum; ne obnoxius sit istis causis homo, congregationibus eorum, quoad ejus fieri potest, sese subducat. Societas tamen et familiaritas hominum sapientium ac virtute præditorum seligendæ sunt; etenim consilia et exempla eorum repagula opponunt a passionum furore inexsuperabilia.

Labor et exercitium corporis nos passionum imperio subtrahendi, potestate pollent. Non solum corpori addunt tonum, verum etiam nimiam systematis sensiferi mobilitatem imminuunt, attentionem animæ ab objectis quæ illam turbare possent, deflectunt. Ut major sit effectus et utilitas laboris, rure confugere possumus, ubi arctius naturæ connectimur, et desiderantur magis causæ animi pathematum.

Infringantur autem sensuum et corporis voluptates; nam quo magis istæ urgent, eo minus est imperium cerebri, et observatione compertum habemus, eos, qui in mollitiis vitam agunt, valdopere animi affectibus expositos esse, et istorum furori frena injicere vix posse.

Non est monendum, quod spectari debet ad organorum dispositionem, et varias affectiones; si enim talia incusen-

tur ut causæ animi pathematum, iis mutandis cardo verteretur ut præcaveatur eorum genesis.

Quando existit jam animi pathema, eædem quas delineavimus regulæ ad oppugnandum illud, applicari adhuc possunt; ut prompte debellentur tum passiones, inter se opponi possunt. Amor nimis flagrans frangitur movendo fastidio; gaudium nimium metu ac tristitia sublevatur; compescitur ira, dum pietas et indulgentia suscitantur, dum ad irati voluntatem paulisper nos accommodamus, et ostenditur nobis vel aliis non in animo fuisse eum offendere, et nisi tum placetur, ii subtrahendi sunt in quos impetum facere conatur; præterea incutiendo metum sæpe defervescit ira. Mœror deflectitur, dum gratæ animæ depinguntur ideæ; gaudium excitandi indicatio habetur. Dum metus molestus hominis pectus opprimit, fortitudo animæ revocanda est; ad avertendum illum expedit nonnumquam ira. Odium mollitur quando amicitia atque teneri affectus commoventur.

Non possum non loqui iterum de discrimine, et pertimescendis incidentibus quibus ansam præbere potest transitus subitaneus ab uno affectu in alterum oppositum. Gradatim itaque mutentur affectus animi, in aliis convertantur et quasi dividantur, si fas est ita loqui; quibus positis intelligitur, homini graviter afflicto non repente enarranda esse quæ ei sunt maximi oblectamenti.

Dum resistit pathema, quamquam orationes abhibeantur solertissimæ, et auxilia omnia quæ directo in animam agunt tentata sint, confugiendum est ad media, quæ quidem malum ipsum non adoriuntur, sed tantummodo illud levius reddunt

et effectus ejus mitigant. Hæc sunt diætetica, pharmaceutica, et chirurgica.

Affectus animi excitantes qui contingunt, utplurimum, juventuti, hominibus temperamenti sanguinei, biliosi, iis qui regiones inhabitant elevatas, et qui regimine stimulante utuntur, temperantur deprimendo vires vitales et sanguinis cursum tardiorem reddendo; aer spiretur moderatus, alimentum sumatur parcum; e regno vegetabili depromptum; conveniunt loca depressa; a potibus alcoholicis abstineatur præsertim, et quærantur aquosi, aromate orbati; quies necessaria est. Dum timetur orgasmus vitalis, vel jam symptomata phlogistica in chorum veniunt, prompte eis mederi debet medicus, et ratione habita temporis et loci, sanguinis missiones institui, diæta, res refrigerantes, acida vegetabilia, sales, balnea tepida præscribi possunt.

Affectus deprimentes quibus subjiciuntur homines debiles, temperamenti lymphatici impugnantur evehendo vires vitales. Sub eis aer erit siccus et calidus; regimen observabitur stimulans; modicus vini usus animi dolores et ægritudines lenit, atque fortitudinem ei largitur; rusticus aer, itinera longa, et motus corporis utiles sunt et activi et passivi; inter illos deambulatio, venatio, saltatio, lanistrarum ars, etc., inter hos equitatio, navigatio, vectatio in rheda, etc. Neque omittantur aliæ animæ recreationes, utpote musica, colloquia grata et quæ reliquæ sunt. Omnibus hisce mediis jungi potest medicamentorum stimulantium farrago, tonica, nervina, martialia et aquæ minerales. Notandum tamen est, quod providenter agi debet cum stimulantibus, et ante eorum adhibitionem inquirendum est, nonne pathema diutinum, irrita-

tionem ponat et foveat alicubi, quo in casu haud parum nocere possent.

Ut faveatur curæ animi affectuum, affectiones dimovendæ sunt quæ istos gignere aut alere possunt. Si adest exaltatio systematis biliosi, dispositio ista ad irascibiles affectus adæquato regimine tollatur, et ab omni stimulo caveatur. Si mobilitas nervorum notabilis est admodum, quod contingit apud hystericas in quibus status physicus atque moralis in se invicem reagunt, hæc balneis frigidis, frictionibus, et antispasmodicis pharmacis impugnanda est. Quando existit irritatio in organo aliquo, vel læsio hujusce functionis, quibus aluntur animi pathemata, hæ debellandæ sunt, et illarum restitutione in statum normalem, etiam evanescent hæc.

Post accessum animi pathematum sanitas plus minusve læditur, imprimis post iram et terrorem. Primo in casu, ob fervorem ac impetum sanguinis, remedia lenia et demulcentia postulantur. Si sanguinis gyrus, jam sedato æstu iræ, ad rhythmum naturalem non perveniat, et palpitationes cordis in luce sunt, tum venam tundere prudentiæ consentaneum est. Post terrorem vehementiorem non sine fructu adhibentur ether sulfuricus, opium et similia. Sub mœrore magno conducit apprime potus multus subacidulus, aqua frigidiuscula. In universum, a medicatione violenta, emeticis, purgantibus abstineri oportet. Regula hæc minime est negligenda, quando alias noxas in corpore derelinquunt animi pathemata, quo in casu methodus curandi institui debet naturæ cujusvis affectionis adornata. In genere, difficulter sanantur isti morbi, quia sæpe pertinaces sunt, foventur aliquando a passione et sæpe recrudescunt.